PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

HABITÆ IN SEMINARIO SANCTI SULPITII

PARISIIS. — EX TYPIS SIM. RAÇON ET SOC., VIA DICTA ERFURTH, 1.

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

HABITÆ

IN SEMINARIO SANCTI SULPITII

SECUNDA EDITIO

ACCURATE RECOGNITA AB AUCTORE

Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.

(*Ivo Carmutensis*, Decr. IV part.)

TOMUS TERTIUS

PARISIIS

APUD JACOBUM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

29, VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29

1862

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY
JUN 2 1937
9660

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

PARS QUARTA

DE JUDICIIS, DELICTIS ET POENIS.

Devenimus ad partem ultimam *Prælectionum* in qua de *Judiciis*, de *Delictis* et de *Pœnis* disseritur.

Cum Dominus noster Jesus Christus voluerit constituere societatem perfectam in ordine spirituali, et suæ Ecclesiæ præposuerit pastores cum officio docendi et regendi, consequens fuit ut iisdem tribueret facultatem statuendi de omnibus causis, tum realibus, tum personalibus quæ ad ordinem spiritualem referuntur, et salubribus pœnis coercendi pervicaces; alioquin non prævaleret disciplina, nec ordini publico fuisset provisum. Quidquid vero ad illam potestatem judiciariam et coercitivam attinet, complectitur ea pars juris canonici quæ est

de Judiciis, *Delictis et Pœnis*, quam absolvere conabimur, pro ratione nostri propositi, dicendo : 1° de natura et diversis speciebus judiciorum; 2° de competentia fori ecclesiastici; 3° de ordine servando in judiciis solemnibus; 4° de judiciis summariis; 5° de actibus extrajudicialibus qui judiciis affines sunt; 6° de remediis canonicis contra judicia et actus extrajudiciales quibus reus se præter æquitatem gravatum queritur; 7° de delictis; 8° demum de pœnis quas judex ecclesiasticus potest reis irrogare.

SECTIO I[a]

DE NATURA ET DIVERSIS SPECIEBUS JUDICIORUM ECCLESIASTICORUM.

644. — I° *Quid et quotuplex sit judicium ecclesiasticum?*

I. Judicium (a verbo *jus-dicere*) est definitio causæ, per judicem competentem, præmissa discussione.

Tria sunt igitur elementa judicii : causa quæ in litem venit, causæ legitima discussio, pronuntiatio ab auctoritate competente.

Causam dicimus objectum seu materiam litis : sive disceptetur de jure et obligatione, sive de doctrina, sive de personis, *causa* nuncupatur in stylo forensi.

Præmittitur examen causæ ut appareat in quo sensu lis sit dirimenda, quid jure debeatur; judicium enim non est actus arbitrarius superioris, sed definitio causæ ad præscriptum legis naturalis et canonicæ; causa autem non definitur nisi prævia accurata discussione omnium quæ ad quæstionis solutionem legitimam attinent.

Judex competens est ordinarius, vel delegatus, prout vi juris suo muneri per canones annexi, aut vi nudæ commissionis a judice ordinario delegatæ, sententiam pronuntiat. (278-279.)

Hinc sequitur 1° judicium esse actum jurisdictionis in foro

externo; quamobrem quæstiones solutæ in prima parte *Prælectionum*, de jurisdictione voluntaria et contentiosa, materiæ præsenti connectuntur.

Sequitur 2° actus *judiciales* merito dici, qui proxime referuntur ad judicium, uti sunt : informatio prævia, citatio juridica, interrogatio testium, etc... Ea vero quæ ad judicia proprie dicta non ordinantur proxime ; v. g. ea quæ a privatis fiunt, vel etiam a superiore, sed intra fines meræ administrationis, licet aliquando analogiam habeant cum judiciis, vocantur actus *extra-judiciales*.

II. Judicia in diversas species distinguuntur, ratione objecti, judicis, et formæ.

1° Ratione *objecti*, judicium est civile, criminale, vel mixtum. *Civile* appellatur, quando actor deducens causam in judicium, non prosequitur vindictam, sed suum aut alterius commodum; puta si agatur de collatione sacramentorum, de valore matrimonii, de obtinenda reparatione damni; seu etiam quando irroganda est reo pœna levis, quæ non excedit paternam correctionem, et indicitur in bonum delinquentis ut emendetur, potiusquam in pœnam delicti. Erit *criminale*, si agitur in vindictam delicti, causa tutandi ordinem publicum, et generatim quoties infertur pœna gravis, v. g. suspensio presbyteri a sacris in perpetuum infligenda, excommunicatio major, privatio tituli ecclesiastici... Quando judex utrumque finem intendit, vindictam et emendationem, judicium vocatur *mixtum*, quia est simul, sub vario respectu, civile et criminale.

2° Ratione *formæ*, judicium dividitur in *solemne* et *summarium*. *Solemnia* judicia sunt quando servantur omnes formæ usitatæ in tribunalibus, quas in sectione III[a] explicabimus; *summaria*, quando ad dirimendum citius litem, judex ea tantum retinet processus judicialis, quæ necessaria habentur ad cognitionem veritatis. In priori casu, *sedet pro tribunali*, ut aiunt; in altero casu agit *de plano*. Hæc suo

loco fusius exponentur, quo magis appareat distinctio inter judicia et actus extrajudiciales.

3° Ratione *judicis*, judicium est *primæ* vel *secundæ instantiæ*, vel *definitivum*, prout datur, vel non, facultas provocandi ab inferiori judice ad superiorem, uti dicetur in quæstione *de appellationibus*.

645. — II° *Qui interveniant judiciis ecclesiasticis?*

Ex ipsa definitione judicii sequitur tres præcipue personas judiciis intervenire, judicem scilicet, reum et actorem. Judex potest quandoque sententiam ferre absente reo, si reus rite citatus comparere detrectaverit, ut dicetur infra ubi agetur de citatione. Potest etiam in certis casibus pronuntiare quin ullus actor intervenerit, quando nempe est delictum notorium et flagrans; nihil quippe obstat quin in ea hypothesi sententiam ex suo officio ferat. Verum regula generalis, ordoque consuetus est ut judicium provocetur ab aliquo personam actoris sustinente. In iis quæ sunt ordinis publici, ad servandam tuendamque disciplinam, actor non est communiter alius præter promotorem curiæ Episcopalis, quoad causas diœcesanas; in cæteris vero quæ privatorum vel communitatum jura, commoda, seu injurias spectant, unusquisque potest pro suis negotiis actorem se constituere, v. g. in causis beneficialibus, matrimonialibus, parochianis. Clericus beneficiarius qui se injuste gravatum prætendit ab altero, conjugatus qui suum matrimonium reputat contractum fuisse contra jus cum impedimento dirimente, parochus qui queritur de injuria suæ parochiæ illata, et uno verbo alius quilibet cujus interest, agere potest causas suas deferendo coram judice, sive per se, sive per procuratorem quem elegerit. Jura excludunt tantummodo minores qui nec agere, nec respondere possunt, in judicio nisi per tutorem aut per curatorem, et excommunicatos denuntiatos quos sacri canones decernunt repelli ab agendo et testificando in curiis et judiciis; sed hæc, quæ nunquam in praxim adducuntur apud nos, explicare

supervacaneum arbitramur [1]. Utilius, magisque ad statum præsentem accommodatum erit exhibere notionem compendiosam varii officii personarum ex quibus componitur tribunal ecclesiasticum, aut quæ in eo admittuntur; quod efficiemus recensendo, tum eos qui partem præcipuam habent in judiciis, tum alios qui in gradu humiliori inserviunt, cæteros denique qui ad defendendum causas reorum admittuntur.

I. Primum locum occupant Officialis, Assessores, et Promotor.

Officialis nuncupatur qui vicem Episcopi supplet, et cui potissimum demandatur exercitium jurisdictionis contentiosæ ordinariæ Episcopi, intra fines diœcesis (n° 193). Juristæ civiles affirmabant olim Officialem non aliter quam in solo *Auditorio* episcopali posse jus dicere; hæc autem assertio non consentit principiis generalibus. « Cum Episcopus in sua tota « diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere, du- « bium non existit, ait Bonifacius VIII, quin in quolibet ipsius « diœcesis loco non exempto, per se vel per alium, possit « pro tribunali sedere; causas ad forum ecclesiasticum spe- « ctantes audire. » Cap. *Cum Episcopus*, 7, DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII, in VI°. Hodie, sublatis veteribus officialitatibus, quibus ad sententiarum exsecutionem princeps conferebat auxilium brachii sæcularis, et quarum exinde ordinem judicialem statuere præsumebat, nulla superest difficultas [2].

Officiali quandoque consociantur *Assessores*, qui nempe judici assident, eumque juvant in discussione causæ, unde etiam consiliarii vocantur. Debent, ex suo officio, consi-

[1] Hæc passim exposita reperias apud plerosque canonistas in commentariis tituli I DE JUDICIIS, lib. II Decret.

[2] Cum veteres officialitates suppressæ sint a lege civili, et gubernium exinde non agnoscat titulum *officialis*, judex ecclesiasticus prudenter abstinebit a perferenda hac denominatione, et potius titulum *vicarii generalis*, vel *delegati* ab Episcopo, assumet, quando talis est causa ut a partibus judicium forte deferendum sit ad *consilium status*.

derate perpendere quæcumque ad litem interpositam referuntur : an ordo judiciorum rite servetur, an et quatenus valeant probationes adductæ, an exceptiones oppositæ admittendæ sint, an demum sententia quam judex prolaturus est juris canonici sanctionibus consentiat; et si quid animadverterint contra jus disponi, tenentur judicem admonere ut provideat; alioquin merito arguuntur neglecti officii et injustitiæ sententiæ.

Canones vix mentionem habent de assessoribus, nec requirunt illorum præsentiam in curia ecclesiastica, nisi agatur de processu criminali in causa hæresis, quando nomina testium non possunt communicari reo vel etiam quando agitur de depositione clerici. Forte tamen expedit, in statu præsenti, ut assessores sint in causis præsertim criminalibus, ne reus queratur hæc negotia gravioris momenti unius judicio definiri. Cæterum, an et quatenus inducenda sit hujusmodi institutio, prudenti arbitrio Episcopi dimittitur; qui, si opportunum duxerit adsciscere consiliarios officiali, simul statuet an assessores futuri sint solummodo a consiliis, an veri judices, cum voto decisivo, adeo ut sententia pronuntiari necessario debeat ab officiali ex pluralitate suffragiorum, quod non parum recedit a regulis judiciorum hucusque servatis. Si votum decisivum attributum sit assessoribus in omnibus cujusvis speciei causis, nobis videtur officialem agere vices delegati, potius quam judicis ordinarii; qua enim ratione ille habebitur uti ordinarius, eamdem jurisdictionem cum Episcopo habens et idem auditorium, cujus jura sic limitantur ut non valeat aliter sententias pronuntiare, quam ex assensu majoris partis consiliariorum sibi assidentium[1] ?

[1] In omnibus diœcesibus ditionis Sanctæ Sedis statutum fuit ab an. 1831 ut tribunal criminale cujuslibet Episcopi constet Ordinario et quatuor aliis judicibus. (*Appendice del regolamento criminale*, 5 nov. 1831.) Omnia

Promotoris officium est invigilare conservationi disciplinæ, sacrisque juribus tuendis, et provocare judicium in delinquentes. Potest, imo debet, ut suo munere rite fungatur, intervenire omnibus causis quæ referuntur ad ordinem publicum, quando judicialiter aguntur; dare conclusiones, instare pro servanda disciplina, et promovere ad tribunal superius, si male judicatum arbitretur.

II. Secundo loco reponimus notarios et apparitores, seu nuntios judiciales qui ex parte judicis adhiberi solent in curiis ecclesiasticis; ex parte autem rei, procuratores et advocatos.

1° *Notarii* dicuntur qui ex officio constituti sunt, ut gesta fori externi, vel etiam quæ privatorum sunt, scriptis authenticis excipiant[1].

Jus canonicum præscripsit ut notarius intersit judicio, qui omnia in tabulas referat : « Statuimus ut tam in ordinario « judicio quam in extraordinario judex semper adhibeat, aut « personam publicam si habere potest, aut duos viros idoneos, « qui fideliter universa judicii acta conscribant. » Cap. *Quoniam*, 11, DE PROBATIONIBUS, lib. II Decret.

Plures canonistæ dicunt Episcopum non posse, ex jure sibi proprio, sed solummodo ex generali consuetudine, creare notarios; « quia, ait Pirhing, solus princeps supremus potest « quidpiam a jure communi omnium gentium veluti dispen- « sando, constituere; id autem valde exorbitans est a jure « communi gentium, ut uniùs hominis scripturæ quæ est « testis mortuus et inanimatus, sine vivæ vocis contestatione, « et alio adminiculo, plena fides adhibeatur. » (In tit. XXII, lib. II Decret.) Rectius sentiunt, juxta nos, qui arbitrantur

judicia quæ in materia criminali, ea forma non servata, proferri contigerit, rescinduntur auctoritate superiori.

[1] Dicuntur *Notarii* a *notis*, seu ex abreviato scribendi modo, quibus olim gesta in vel extra judicium excipiebant; *Actuarii*, dum acta, dicta et gesta judicialia notant; *Tabelliones*, quia annotationes suas olim referebant in tabulas. (Schmalzgrueber, in tit. DE JUDICIIS, n° 14.)

solum quidem Papam posse creare notarios « quoad effectum « ut possint suum officium exercere per totum orbem; » Episcopum autem posse creare notarios intra suam diœcesim, qui scilicet non possint conficere instrumenta extra territorium constituentis, « licet intra territorium confecta, « faciant ubique locorum plenam fidem, » ut ait Fagnan (in cap. *Sicut te*, nis 43-45, NE CLERICI VEL MONACHI, etc.) Nedum id exorbitet a jure communi gentium, ubique potius moribus gentium insitum est ut quivis superior jurisdictionem habens legislativam, administrativam et judiciariam, constituat notarios et cancellarios qui ex officio actus publicæ auctoritatis, intra suæ ditionis fines, conscribant et asservent, et quorum scripturæ in locis exteris fidem faciant, quod sicut in societatibus politicis, ita in Ecclesia observatur. Cæterum, cum omnes admittant Episcopum id valere saltem ex universali consuetudine, non est cur diutius in ea quæstione immoremur.

Notarii possunt assumi ex ordine clericorum aut ex ordine laicorum, pro arbitrio Prælati. Quod clerici valeant obire munus notariatus in curia ecclesiastica non est dubium; ab antiquis enim temporibus concilia et antistites elegerunt e clero qui gesta fori ecclesiastici scriptis authenticis consignarent. Quapropter canones qui officium tabellionis clericis interdixerunt, interpretamur de tabellionatu in foro sæculari. Certum etiam est laicos adhiberi posse in notarios; hoc quippe nulla lege vetatur, quinimo licitum supponunt canones, et praxis plurium curiarum ecclesiasticarum firmat. Decretales quibus interdictum fuit ne laicis demandentur negotia clericalia, non hic faciunt, quandoquidem munus notarii est nudum ministerium, quod jurisdictionem non includit. Magis tamen opportunum videtur ut clerici laicis anteponantur, quia ratione sui officii notarius pluribus negotiis regiminis episcopalis, et causis personalibus clericorum, se admiscet quæ vix expedit viris sæcularibus communicari.

Mos est, quamvis nulla lex canonica id statuerit, ut notarii quando constituuntur, juramentum præstent de officio rite implendo.

2° *Apparitores*, qui et nuntii judiciales dicuntur, jussa judicis exsequuntur, citationes partibus intimando, litigantes in jus vocando : hos etiam, quatenus fieri possit, expedit eligere e clero ut multa removeantur a notitia laicorum, quæ dignitatem status ecclesiastici afficiunt.

3° *Procuratores* et *advocati* causam rei gerunt. Priores negotium causæ suscipiunt; juramentum præstant, consensum dant ad aliquam compositionem, si opus sit; et hæc cuncta agunt nomine rei cujus præsentiam et vices supplent. Advocati reo assistunt scriptis et verbo, et etiam procuratori in curia agenti.

Quisque valet sua ipse negotia tractare ; si autem nolit, aut impediatur, liberum ipsi relinquitur ut ea gerenda committat procuratori. Constitui autem possunt procuratores clerici, aut sæculares, quod etiam de advocatis dicimus, nisi intercesserit decretum superioris, vel localis consuetudo, in contrarium. « Non indiscrete judex censetur egisse, procurato« rem laicum ad agendum vel defendendum in causis « spiritualibus admittendo, ait Bonifacius VIII; cum regula« riter qui non prohibetur expresse ad exercendum procura« toris officium, idoneus debeat reputari. » Cap. I, DE PROCURATORIBUS, lib. I, in VI°. Jure communi excluduntur ab officio procuratoris infames, excommunicatione majori innodati, minores viginti quinque annis, religiosi demum, qui, nisi id exposcat sui monasterii utilitas, et mandatum aut licentiam a Prælato habuerint, non possunt, ne in foro quidem ecclesiastico, procuratoris officium obire, uti supponitur in cap. *Ex parte tua*, 2, DE POSTULANDO, lib. I Decret.[1]. Cæteri

[1] Cf. Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Pirhing in titulum XXXVII, DE POSTULANDO, et in tit. XXXVIII, DE PROCURATORIBUS.

omnes, jure communi, admitti possunt in utrumque officium procuratoris et advocati; verumtamen Episcopi jus certum habent statuendi conditiones et hanc præsertim, ut clericis committantur negotia tractanda in curia ecclesiastica, laicis omnino exclusis, si ratio temporum et locorum id postulaverit.

SECTIO II[a]

DE COMPETENTIA FORI ECCLESIASTICI.

646. — Forum ecclesiasticum dicimus ipsam jurisdictionem Ecclesiæ, seu potestatem ipsi propriam cognoscendi et pronuntiandi de causis quæ ad ordinem spiritualem referuntur[1]. Totuplex proinde distinguitur forum quotuplex est jurisdictio : forum internum et externum, forum voluntarium et contentiosum.

Forum internum ordinatur ad regimen conscientiæ. Dicitur forum sacramentale, vel simpliciter internum, prout exercetur intra sacrum tribunal pœnitentiæ, vel extra confessionem. Forum externum ordinatur ad regimen societatis christianæ. Vocatur voluntarium vel contentiosum, prout superior exercet alterutram jurisdictionem, voluntariam aut contentiosam. (N° 278.) In præsenti, de foro contentioso potissimum agimus; et dicendum nobis est, tum de competentia fori externi in genere, quousque extendatur, quodnam sit illius objectum et subjectum; tum de competentia respectiva judicum in specie, ut statuantur regulæ cano-

[1] *Forus*, genere masculino, designat locum quo lites aguntur. Cap. *Forus*, 10, DE VERBORUM SIGNIFICATIONE. Consessus judicum sæpius vocatur *Auditorium;* in curia Romana dicitur *Consistorium*, quando S. Pontifex præsidet conventui Cardinalium.

nicæ quibus definitur et circumscribitur singulorum jurisdictio.

ARTICULUS I. — DE POTESTATE JUDICIARIA ECCLESIÆ.

647. — I° *Utrum Ecclesia habeat potestatem judiciariam in foro externo contentioso?*

Potestas judiciaria fori contentiosi tria hæc complectitur : jus definiendi causas ecclesiasticas de quibus litigatur; obligationem reo impositam se sistendi coram judice, ipsique obsecundandi; jus tandem cogendi reum, si damnatus sit, ut pœnam sibi inflictam subeat.

Potestatem his conditionibus expeditam Ecclesiæ competere certissimum est. Ferre utique potest, jure proprio, sententias quæ suum effectum sortiantur in foro tam contentioso quam voluntario, reo etiam invito.

Prob. 1° Divina Christi ordinatione. Verba Christi : *Quæcumque alligaveritis... quæcumque solveritis...* ad utrumque forum internum et externum, seu voluntarium, seu contentiosum, referuntur; siquidem declarant, absque ambiguitate et distinctione, Deum ratihabiturum in cœlis sententias quas primi pastores protulerint in terra; ligaturum et soluturum quæ alligaverint aut solverint in Ecclesia, in ordine ad finem supernaturalem. Ergo, dummodo suam actionem non protendant ultra fines sacris traditionibus, non secus ac ipsa natura rerum, præfinitos, valent ferre sententias quæ effectum sortiantur in foro externo, reo etiam invito. — Idem sequitur ex aliis verbis Christi : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum... si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos testes... si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.* Habemus in hoc textu omnia quæ sunt judicii

propria : accusatorem, reum, judicem, causæ cognitionem, sententiam, coercitionem. Causa defertur ad pastores Ecclesiæ, uti judices; reus adducitur coram tribunali, adsunt testes, profertur sententia, et tandem reus, si non obtemperaverit, separatur a communione publica Ecclesiæ, a fidelium consortio, quæ cuncta indicant forum contentiosum.

2° Praxi apostolorum. Apostoli qui divina Christi instituta nobis tradiderunt, haud semel usi sunt potestate judiciaria, et regulas insuper dederunt quas in hujus juris exercitio sequi debeant pastores. S. Paulus excommunicavit incestuosum Corinthi; præcepit, in epistola quæ est ad Thessalonicenses, ne fideles se admisceant illis qui non obtemperaverunt ipsius mandatis; alibi admonet Timotheum quod tradiderit Hymæneum et Alexandrum Satanæ, in pœnam blasphemiorum; ad eumdem scripsit ne accusationem reciperet contra presbyterum, nisi sub duobus vel tribus testibus. Similia egit S. Joannes in epistola III^a^, ubi conqueritur de ambitione et invidia Diotrephes cujus opera mala *commonebit*, si venerit ad Ecclesiam in qua Diotrephes ille primatum affectat. Quis non videat in hac agendi ratione exercitium potestatis judiciariæ?

3° Traditionibus Ecclesiæ. Primi pastores, exemplo et monitis Apostolorum instructi, adhibuerunt formas fori contentiosi, ab ipsis initiis Ecclesiæ, antequam jus humanum mutuari possent a principe sæculari. Duo testimonia conferre satis erit, alium e Tertulliano, alterum e S. Cypriano. « Coi-« mus in cœtum, ait Tertullianus... Ibidem fiunt exhortationes, « castigationes, et censura divina. Nam et judicatur magno « cum pondere, ut apud certos de conspectu Dei; summum-« que futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit ut « a communicatione orationis et conventus, et omnis sancti « commercii relegetur. » (*Apologet.*, cap. XXXIX.) S. Cyprianus mandavit ad Cornelium : « Cum statutum sit omnibus nobis, « ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi crimen est ad-

« missum... oportet utique eos quibus præsumus non cir-
« cumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua
« subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic cau-
« sam suam ubi et accusatores et testes sui criminis pos-
« sunt. »

Multa hujusmodi referunt *Constitutiones apostolicæ* ex quibus in aperto est Ecclesiam prioribus sæculis usam fuisse jurisdictione coercitiva in foro externo. Auctor libri fuse exponit ordinem qui suo ævo servabatur apud judicem ecclesiasticum, diem judiciorum, modum quo adducebantur et deponebant testes, pœnas in calumniatores inferendas, moderamen tenendum in castigatione rei : « Nec de omni peccato
« idem judicium pronuntietis; sed de unoquoque suum,
« singulis delictis, tum parvis, tum magnis, multa prudentia
« judicetis... Alios solis minis et terroribus, alios mulctatione
« largiendi pauperibus, rursus alios jejuniis comprimes: item
« alios ex Ecclesia ejicies pro magnitudine et gravitate crimi-
« nis. » (Lib. II *Constitutionum*, cap. XLVIII.)

4° Definitionibus Sanctæ Sedis. Joannes XXII condemnavit, uti erroneam et hæreticam, hanc propositionem Marsilii Patavini, « quod Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum
« hominem quantumcumque sceleratum potest punire, pu-
« nitione coercitiva, nisi imperator daret eis potestatem. »
(Bulla *Licet juxta doctrinam*, an. 1327.) Benedictus XIV proscripsit librum gallice scriptum : *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances, spirituelle et temporelle*, auct. *Laborde*, cui hoc maxime exprobravit quod:
« collatam a Christo Domino Salvatore nostro Ecclesiæ suæ
« potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones,
« sed etiam jubendi per leges, et devios contumacesque ex-
« teriore judicio et salubribus pœnis coercendi atque cogendi,
« labefactet, convellat, et prorsus eliminet, ecclesiasticum
« ministerium ita sæculari dominationi subjiciens, ut ad hanc
« spectare pronuntiet de externa omni ac sensibili guberna-

« tione cognoscere ac judicare. » (Breve *Ad assiduas*, an. 1755.) Eamdem doctrinam in synodo Pistoriensi renovatam damnavit Pius VI his verbis : « Propositio affirmans « *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra* « *limites doctrinæ et morum, et eam extendendo ad res exte-* « *riores et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et* « *corde ;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere,* « *per vim exteriorem, subjectionem suis decretis,* quatenus « indeterminatis illis verbis : *extendendo ad res exteriores,* « notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus po- « testatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in « disciplina exteriore constituenda et sancienda, hæretica. « Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem sub- « jectionis suis decretis exigendæ, aliter quam per media « quæ pendent a persuasione ; quatenus intendat Ecclesiam « *non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum di-* « *rigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per le-* « *ges, ac devios, contumacesque exteriori judicio ac salubri-* « *bus pœnis coercendi, atque cogendi,* ex Benedicto XIV in « Brevi *Ad assiduas*, inducens in systema alias damnatum ut « hæreticum. »

5° Ratione theologica. Essentiale est societati externæ cui præsunt legislator et magistratus, ut habeat tribunalia erecta ad solutionem dubiorum, ad litium et dissidiorum conclusionem, ad cohibitionem pravorum qui ordinem publicum sua temeritate perturbant. Societas quæ hoc jure ad sui tuitionem privaretur, subsistere non posset. Ergo certo certius est hanc eamdem potestatem inesse in Ecclesia, quia Christus composuit societatem perfectam.

In eam sententiam consentiunt omnes catholici, ne iis quidem exceptis qui propensiores se exhibuerunt ad restringendum jura exteriora Ecclesiæ. « L'Église, *ait* Fleury, a par « elle-même le droit de décider les questions de doctrine, « soit sur la foi, soit sur la règle des mœurs... Elle a le droit

« d'établir des pasteurs, et elle peut les destituer, s'il est « nécessaire... Elle a le droit de corriger tous ses enfants, « leur imposant des pénitences salutaires, soit pour les pé- « chés secrets qu'ils confessent, soit pour les péchés publics « dont ils sont convaincus. Enfin, l'Église a le droit de re- « trancher de son corps les membres corrompus, c'est-à-dire « les pécheurs incorrigibles qui pourraient corrompre les « autres. Voilà les droits essentiels de l'Église, dont elle a « joui sous les empereurs païens, et qui ne peuvent lui être « ôtés par aucune puissance humaine. » (*Institutions au droit ecclésiastique*, liv. II, chap. I.)

Quæ sint salubres pœnæ quibus Ecclesia coercere valeat pervicaces, fusius expendemus infra, ubi de *Pœnis* irrogandis. Concludimus in præsenti, ex traditionibus et definitionibus ecclesiasticis, primos pastores, qui et judices constituti sunt, posse condemnare delicti reos judicio exteriori; censuram publicam illis inurere; eos relegare a consortio fidelium ne conventibus ecclesiasticis intersint ac divinis officiis communicent, vim etiam adhibendo, si opus sit, ut repellantur qui invito pastore sacris adesse præsumerent; clericos contumaces e suo gradu, dignitate et beneficiis, dejicere, ut in illorum locum alii substituantur. In his, et aliis similibus, potissimum se exserit auctoritas coercitiva Ecclesiæ (n^is^ 753, 754).

648. — II° *Quodnam sit objectum potestatis judiciariæ Ecclesiæ?*

Objectum potestatis judiciariæ idem est ac potestatis doctrinalis, legislativæ et administrativæ; hæc enim cuncta eodem jure reponuntur, in eumdem finem conspirant. Itaque:

I. Ecclesia habet exclusive jus sententias ferendi de causis, sive juris sive facti personalis, quæ directe respiciunt ad fidem, sacramentorum valorem et administrationem, cultum divinum, observantiam præceptorum divinorum quibus informatur vita christiana, officia personalia clericorum, Ordi-

num religiosorum approbationem, regulas et vota... Hæc cuncta, si ratione sui ac finis proximi considerentur, sunt solius fori ecclesiastici, quia non ad alium finem directe ordinantur quam ad finem supernaturalem.

Magistratus sæcularis qui se immiscere præsumit hujusmodi negotiis spiritualibus, sua potestate abutitur, fines naturales ordinis civilis excedendo, nisi tamen in id consentiat Ecclesia. Hinc est quod SS. Pontifices, concilia et Episcopi, dum laudibus extulerunt christianos principes qui multa sapienter præscripserunt in disciplina etiam canonica, de ipsorum pastorum consensu, ipsius Ecclesiæ votis obsecundando; graviter e contra conquesti sunt libertatem ecclesiasticam vi oppressam, quando principes præsumpserunt invadere sacra jura, statuendo sponte sua et auctoritate propria de negotiis ordinis spiritualis.

Abstrahimus ab ordinationibus accidentalibus politiæ quas auctoritas sæcularis statuere necessarium ducit, quo certius removeantur occasiones periculosæ perturbationis publicæ, et de quibus dicitur in articulo 1° concordati an. 1801 : « Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum « quoad politiam quas gubernium pro publica tranquillitate « necessarias existimabit. »

649. — II. Ecclesia jus habet pronuntiandi de rebus mixtis, quatenus ad suum finem referuntur.

Res mixtas dicunt canonistæ ea quæ, licet sua origine sint sæcularia, sub quodam tamen respectu respiciunt etiam ad forum ecclesiasticum, et vicissim, res, sua natura ecclesiasticas, quæ, sic statuente jure, in utroque foro agitari possunt, ita ut sit *locus præventioni*, ut aiunt : id est, judex qui prior hæc ad suum tribunal adduxit, sive laicus ille sit, sive clericus, non possit ab altero impediri quominus de iis suam sententiam proferat[1]. Res mixtas, alio modo, plures appel-

[1] Cf. Engel in tit. DE FORO COMPETENTE, § 11, n^is 67, 68. — Reiffenstuel, ibidem, n^is 151-158.

lant causas quæ, pro vario respectu quo considerandæ veniunt, ratione proxima ad utrumque simul forum ecclesiasticum et civile reducuntur. Res hujusmodi *annexas* etiam dicemus, quia ex duobus veluti elementis componuntur, altero ordinis ecclesiastici, altero ordinis civilis.

Non sunt apud nos, in statu præsenti, res fori mixti quæ dent locum præventioni sensu mox exposito; sed plurima sunt quæ, natura sua ad utrumque forum, diversa ratione referuntur. Citare sufficiat, exempli gratia, causas personales, matrimoniales et beneficiales.

Causæ personales clerici, aliæ clericum qua talem, aliæ qua civem afficiunt. Priores sunt fori ecclesiastici; posteriores fori sæcularis, in regionibus ubi, ex assensu saltem tacito Ecclesiæ, non amplius subsistunt immunitates personales clericorum. (N° 363.)

Causæ matrimoniales, aliæ substantiam vinculi conjugalis attingunt, aliæ effectus civiles qui connectuntur matrimonio. Sub priori respectu, matrimonium recensetur inter res spirituales, quia connubium est contractus divina institutione formatus ad morum sanctitatem, et sublimatus ad dignitatem sacramenti. Idcirco concilium Tridentinum definivit causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos; quod SS. Pontifices interpretandum censuerunt in sensu exclusivo, quod nimirum ad solos judices ecclesiasticos pertineat pronuntiare de validitate matrimonii christianorum. Sub altero autem respectu, matrimonium est res temporalis, quapropter judicis sæcularis est lites exortas de dote et regimine communitatis, de successione, de bonorum administratione, dirimere.

Causæ beneficiales proprie dictæ, seu quæ directe referuntur, tum ad institutionem, unionem, divisionem, collationem officii spiritualis; tum ad jus adipiscendi bonum temporale ecclesiasticum officio spirituali annexum, regimen et usumfructum ejusdem boni ad præscriptum sanctorum ca-

nonum, sunt per se fori ecclesiastici, quia, vel ex suamet natura sunt mere spirituales, vel sunt rei spiritualis accessorium et consectarium, atque consequenter idem forum sortiuntur. Servandæ sunt tamen regulæ de quibus convenit inter utramque potestatem in concordatis. Causæ quæ ad bonum temporale, qua tale, referuntur abstrahendo a ratione officii et beneficii ecclesiastici, uti v. g. quæ moveri possunt de servitutibus, hypothecis, oneribus realibus, ordinationibus politiæ ruralis et urbanæ, sunt fori civilis, in regionibus ubi non subsistunt immunitates reales.

Graves olim ortæ sunt difficultates Ecclesiam inter et judices sæculares circa possessorium et petitorium in materia beneficiali. *Possessorium* nuncupatur processus in quo disputatur de possessione adipiscenda, vel retinenda, vel recuperanda, quod importat fruitionem bonorum temporalium et exercitium functionum spiritualium. *Petitorium* dicitur actio ad vindicandum jus permanens ad aliquod beneficium, in qua scilicet non agitur solum de possessione et prærogativis facto possessionis connexis, sed de jure in re, vel ad rem beneficialem. Ab initio, neutrum, nec possessorium, nec petitorium deferebatur ad magistratus civiles; postea vero possessorium fuit usu devolutum ad illorum tribunal, sive causam usurpaverint magistratus, sive, quod verisimile arbitramur, res fuerit concordi animo ita constituta inter Episcopos et Reges, ut efficacius reprimerentur brachio sæculari invadentes beneficia jam legitimo titulari asserta, vel perturbantes contra fas possessionem pacificam. SS. Pontifices Martinus V, Eugenius IV, Leo X, hanc consuetudinem, in partibus Galliarum ubi a diuturno tempore inducta fuerat, custodiri annuerunt, declarando pœnas jure canonico sancitas contra confugientes ad magistratum sæcularem, causa possessorii, non habere locum in Gallia et Delphinatu, hac tamen adhibita restrictione : « Per hoc nullum jus, seu jurisdictionem in « præmissis cognoscendi, regi de novo acquiri volumus, sed

« antiquum, si quod habeat, conservari[1]. » Paulatim, labentibus annis, jurisdictio magistratuum protensa est ad petitorium, ob maximam rerum connexionem, et exinde graviter labefactatam scimus auctoritatem Ecclesiæ, et libertatem ordinis clericalis in causis maxime spiritualibus. « C'est une « maxime générale, *ait* Pey, qu'on a appliquée non-seulement « en matière de dîme et de bénéfice, mais à tous les droits « spirituels, droit de juridiction, droit d'exemption, droit « de collation; droits honorifiques, pouvoir de prêcher, d'ad- « ministrer les choses saintes, de visiter les paroisses, et à « toutes les fonctions sacrées. En conséquence, tout a été « porté devant les tribunaux laïques sous la forme du pos- « sessoire[2]. »

650. — III. Ecclesia non habet, jure divino, potestatem judiciariam in res mere temporales, qua tales; præcipere tamen potest ea quæ, in usu rerum temporalium, necessaria sunt ad finem supernaturalem, et vetare quæ eidem ordini sunt contraria; quamobrem de temporalibus, sub eo respectu consideratis, judicare potest.

Ratio primæ partis deducitur e distinctione utriusque societatis, religiosæ et civilis.

Ratio secundæ partis deducitur e relatione quam usus rerum temporalium habet ad finem supernaturalem, prout consentit cum lege divina, vel ab ea dissentit. Nemo catholicorum dubitat quin Ecclesia, pro officio quod a Christo Domino suscepit nos docendi et regendi in ordine supernaturali, possit, imo debeat, ratione habita circumstantiarum: 1° nos docere cum summa auctoritate quid licitum, quid vetitum sit lege divina in usu rerum temporalium; 2° nobis præcipere ut mores nostros ad præscriptum legis divinæ, tum naturalis tum evangelicæ, accommodemus, agendo quæ

[1] Gohard, *Traité des bénéfices*, tom. VII, pag. 279-281.
[2] Pey, *Autorité des deux puissances*, tom. II, chap. III, § VII.

divinitus sunt imperata, præcavendo quæ vetita; 3° inobedientes et contumaces afficere pœnis canonicis, uti explicatum fuit in Iª parte.

Hac ratione Ecclesia condemnat usuras, præcipit jejunia et abstinentiam, vetat fieri diebus festivis opera servilia, mercatus et actus forenses, quæ sunt res temporales. Primævis sæculis prohibuit ne christiani suas causas civiles deferrent ad tribunalia judicum ethnicorum, quia id periculosum arbitrabatur. (Nis 64, 65, 66.)

651. — IIIº *In quibus resideat potestas judiciaria Ecclesiæ, et quatenus primi pastores possint per seipsos, aut per delegationem exercere hanc potestatem?*

I. Jure divino potestas judiciaria residet in S. Pontifice et in Episcopis, uti explicatum fuit in prima parte *Prælectionum*, ubi etiam actum est de causis majoribus reservatis Sanctæ Sedi (n° 78).

Jus canonicum non definivit omnes causas majores; quod sapienter provisum est ne limitata præsumatur jurisdictio pontificia; sed firmum stat principium, ubivis gentium per Ecclesiam catholicam admissum, referendas esse ad hanc Sanctam Sedem difficiliores quæstiones, quæ ad fidem, ad sanctitatem morum, ad disciplinæ integritatem, ad libertatem Ecclesiarum multum conferunt.

Sic, ut exemplum inter plura alia citemus, nullibi, quod saltem noverimus, expressa lege declaratum fuit causam de validitate aut nullitate matrimonii principum annumerandam esse inter causas majores. Nihilominus tamen, cum res sit per se gravissimi momenti, et aliunde pertimescendum sit ne desit sufficiens libertas judici in partibus quibus dominatur princeps cujus interest, usus obtinuit ut ad Ecclesiam Romanam deferatur. Desinente sæculo XII Cœlestinus Papa III graviter conquestus est de nonnullis Episcopis Galliarum qui sententiam divortii dixerant inter Philippum regem Franciæ et Ingelburgem; et judicium, præter fas pronuntiatum, irri-

tavit. « Non est, inquit, a temeritatis vitio alienum, quod in « tam arduo et difficili negotio non fuit censura Sedis « Apostolicæ requisita per quam vel ipsum canonice finire- « tur, vel committeretur aliquibus qui idem servato juris or- « dine secundum canonica statuta terminarent. Hic revera « contra sanctorum Patrum veneranda concilia processum « est manifeste, qui majores et difficiliores quæstiones ab « universis ad Sedem Apostolicam censuerunt debere præ- « ferri, quod usque in hodiernum diem non solum a Galli- « cana Ecclesia, præterquam in præsenti articulo, verum « etiam a longe remotioribus devotissime observatur [1]. » Reservatio igitur causarum, præter casus præfinitos a jure, pendet a gravitate rerum, et in his ratio maxime habetur adjunctorum temporum et locorum, nam multa eveniunt quæ legislator non prævidit. Hac nostra ætate, cum moveretur in Galliis quæstio de amovibilitate succursalistarum, de pensionibus a gubernio solutis clero parochiarum et Episcopis, de oblationibus percipiendis occasione functionum sacri ministerii; atque multis videretur opportunum fore hunc statum rerum immutari, quem parum decere dicebant dignitatem et libertatem cleri; SS. noster Pius Papa IX declaravit hujusmodi causas, pro rei gravitate, deferendas esse ad Sanctam Sedem.

Jure ecclesiastico potestas judiciaria residet in patriarchis, primatibus, metropolitanis, conciliis provincialibus, prælatis regularibus jurisdictionem quasi-episcopalem obtinentibus; quod in prima parte etiam expositum fuit.

652. — II. Omnes qui, jure divino, aut humana institutione, habent potestatem ordinariam fori externi, illam exercere valent, pro suo arbitrio, vel per seipsos immediate, vel per delegationem, suas partes officiali committendo, dum-

[1] *Annales Ecclesiastici* Baronii, ed. Mansi, tom. IX, pag. 693, 694, anno 1195.

modo, tum in delegatione, tum in exercitio juris, servent regulas sanctis canonibus præstitutas.

Neminem fugit Episcopos usos fuisse sua jurisdictione per seipsos immediate, absque Coepiscoporum concilio, et etiam sine cleri sui respective interventu, per priora sæcula. S. Paulus excommunicavit incestuosum Corinthi, et alios quosdam etiam *Satanæ tradidit in interitum carnis*, ad procurandam salutem animarum. Eodem jure, discipuli Apostolorum, qui Ecclesiarum regimini præpositi sunt, sententias tulerunt, seu reales, seu personales, in causis ordinariis disciplinæ et correctionis morum, quin necessarium arbitrarentur sibi e clero consiliarios adsciscere, vel rem in conventu Episcoporum componere; quod tamen nunquam prætermiserunt in negotiis majoribus.

Sæculis ætatem Apostolicam secutis, præsertim a sæculo IV et V, invaluit in plerisque Ecclesiis disciplina adigens Episcopos ad definiendum causas graviores non aliter quam in concilio provinciæ, et ad sibi consociandum clericos in cognitione causarum inferiorum, in quibus scilicet agebatur de clericis minoribus et de laicis. Hunc morem sanxerunt multa concilia, in Africa, in Hispania, Germania, et cæteris regionibus habita, quæ præscripserunt synodum trium Episcoporum pro judicio presbyteri, et duodecim Episcoporum, si in causam veniat Episcopus. Hinc velut axioma dicebatur : « Episcopus sacerdotibus et ministris ho- « norem solus dare potest, solus autem auferre non potest. » Concilium Carthaginense IV providit causis clericorum inferiorum et laicorum hoc canone : « Episcopus nullius causam « audiat absque præsentia suorum clericorum, alioquin irrita « erit sententia Episcopi, nisi clericorum præsentia confir- « metur. » Nulla tamen ea de re fuit lex generalis ordinem hunc judicialem præscribens in universali Ecclesia, et exempla citantur sanctorum præsulum qui ab eo identidem recedendum putaverunt, attentis circumstantiis, in iis etiam

Ecclesiis ubi disciplina conciliorum Africanorum statuta fuerat[1].

Versus sæculum XIV instituta fuerunt tribunalia officialitatum, quibus Episcopi, non jam immediate per seipsos, sed per suum vicarium generalem seu officialem, jurisdictionem contentiosam exercuerunt in clericos et laicos suæ diœcesis. Hæc immutatio disciplinæ facta est, non ex abrupto, nec ulla lege generali, sed sensim, ut plerumque fit in moribus Ecclesiæ. Causæ criminales Episcoporum paulatim ad Sanctam Sedem exclusive devolutæ sunt, in prima etiam instantia, quando de privatione sedis agebatur : quoad vero causas minores cleri, cum synodi provinciales rarius haberentur, Episcopi providerunt, pro diversa natura rerum, ut causæ tum personales tum reales in sua diœcesi subortæ, examinarentur et definirentur in sua præsentia, convocatis senioribus Ecclesiæ, vel coram suo Archidiacono. Cum autem postea Archidiaconi quorum officium erat inamovibile, aliquam independentiam in suis functionibus affectare viderentur, et aliunde huic muneri non sufficerent, siquidem multum per mediam ætatem excreverant attributiones jurisdictionis ecclesiasticæ, a sæculo XIV post concilium Lateranense, Episcopi plerumque instituerunt vicarium generalem ad nutum revocabilem, cui jurisdictionem contentiosam, maxima ex parte, commiserunt.

653. — Ex notionibus historicis quas summatim delineavimus, sequitur 1° Episcoporum arbitrio et prudentiæ dimitti ut sibi reservent, vel officiali committant, exercitium jurisdictionis contentiosæ. — Canones qui olim requisierant synodum Episcoporum pro causis diaconorum et presbyterorum, in desuetudinem abierunt; concilium autem Tridentinum plenam libertatem relinquit Episcopis judicandi per

[1] Apud Grat. caus. XV², quæst. VII. — Thomassin, *Discipl. Eccles.*, part. II. lib. III, cap. CI-CXIV.

seipsos; nec mentionem quidem habet de interventu officialis.

Sequitur 2° Episcopum, si officialitatem instituerit, libertatem retinere causas sibi reservandi, vel sententias ipse ferendi, quando expedire judicaverit.

654. — Solutis quæstionibus de natura, objecto et subjecto jurisdictionis ecclesiasticæ, necessarium non videtur ut inquiramus in quos hæc potestas judiciaria exserenda sit, cum evidenter exinde sequatur Ecclesiam sua jura, quæ ad bonum regimen societatis christianæ et ad omnium Christi-fidelium salutem suscepit, in omnes, absque ulla distinctione exserere posse, prout in Domino judicaverit expedire. Non excipiendi sunt qui se ab unitate catholica, hæresi vel schismate, sejunxerunt; absit enim ulli fas esse abrumpere, propria voluntate, vincula quibus vi baptismi ad Ecclesiam pertinet. Nec meliori jure magistratus sæculares se subducere præsumunt jurisdictioni Ecclesiæ, pro excessibus commissis in exercitio sui muneris, independentiam potestatis sæcularis prætexentes. De independentia potestatis sæcularis in suo foro nequaquam contendimus; verum, si fines sui fori prætergrediantur, si, inquam, sub obtentu regiminis civilis, jura sacerrima, legesque naturales et evangelicas violent, Ecclesia, quæ interpres atque custos constituta est juris divini, in eos auctoritate certo animadvertere valet (n° 65).

Omnes proinde christiani, quocumque in statu versentur, subditi sunt potestati judiciariæ Ecclesiæ; cum autem hujus exercitium diversis prælatis demandetur, quorum certis finibus determinata est jurisdictio, reliquum est ut singulorum competentia definiatur, quod in articulo subsequenti aggredimur.

ARTICULUS II. — DE COMPETENTIA FORI SINGULORUM JUDICUM ECCLESIASTICORUM.

655. — I° *Quibus regulis determinetur competentia judicis in foro ecclesiastico?*

Regulas canonicas exposuimus in Iª parte harum *Prælectionum* quæ in solutionem præsentis quæstionis viam aperiunt; ex illis enim regulis sequitur neminem reputari judicem competentem nisi 1° constitutus fuerit auctoritate publica cum jurisdictione, seu ordinaria, seu delegata in foro externo; 2° suam jurisdictionem exserat intra species causarum quæ jure communi, aut data delegatione definiuntur; 3° eam denique exserat in personas solummodo quæ eidem jurisdictioni subditæ sunt.

De prima conditione satis dictum fuit in loco citato, ubi etiam discussæ sunt variæ quæstiones magni momenti de judice existimato qui titulum coloratum, aut invalidum, habet (nis 279-287). De secunda conditione stabilita sunt principia in eadem parte, ubi de restrictione jurisdictionis (n° 303). Addere sufficiat certas causas in specie occurrere posse pro quibus judex non esset competens ob personales circumstantias quæ illum suspectum reddunt, quando nempe, aut in eadem causa advocatum gessit antequam officium judicis obtineret, aut inimicitias gerit contra partes, uti infra dicetur ubi de recusatione judicis (n° 669).

Quod ad tertiam conditionem attinet, necessarium est definire ex principiis generalibus juris in quas personas judex valeat suam jurisdictionem protendere, quod efficere conabimur explanando tres regulas jure communi assignatas.

Iª Regula : GENERALE EST UT ACTOR SEQUATUR FORUM REI. Cap. *Cum generale*, 8, DE FORO COMPETENTI; lib. II Decret. Ratio dictat neminem in jus vocandum esse apud judicem cujus

auctoritatem non agnoscit, nec tenetur agnoscere. Si quis causam habeat cum religioso ordinis exempti a jurisdictione episcopali, eum convenire debet non apud Ordinarium diœcesis, sed apud prælatum regularem sub cujus jure constituitur reus. Si clericum judicio persequatur, in causis fori spiritualis, eum convenire debet non apud Metropolitanum, sed apud Episcopum respectivum, exceptis casibus appellationis et cæteris nonnullis jure canonico præfinitis.

Quando causæ sunt connexæ, ratione personarum quæ insimul conveniuntur, vel ratione objecti circa quod quæstiones diversæ principaliter aut accidentaliter in judicium deducuntur, adeo ut una causa sine altera plene ac liquido cognosci ac definiri nequeat, adeundus est ille judex qui competens sit respectu omnium coreorum qui citantur, et negotiorum quæ definiri debent, ut servetur regula.

A regula receditur in casu quem *reconventionis* dicunt, in quo nempe reus coram judice conventus, vicissim ipse suum actorem convenit coram eodem judice, et in eodem judicio. Hæc agendi ratio vocatur etiam in jure *mutua petitio*, eo quod reus mutuo reagat in actorem, et sic oriantur duæ mutuæ seu reciprocæ petitiones. (Schmalzgrueber in tit. DE MUTUIS PETITIONIBUS, lib. II Decret.) Leges canonicæ concedunt reo facultatem conveniendi suum actorem, cum in causis civilibus, tum insuper in criminalibus, quando præsertim intendit prosequi suam vel suorum injuriam. Porro, effectus reconventionis est prorogare jurisdictionem judicis in actorem, licet alias sibi incompetentis, adeo ut actor non possit recusare hunc judicem coram quo ipse causam agit. Ita olim statutum fuerat in jure Romano : *Cujus actor in agendo observat arbitrium*, aiebat percelebris jurisperitus Papinianus, *eum habere contra se judicem in eodem negotio non dedignetur*. Eadem sententia in jurisprudentiam canonicam translata est.

II[a] Regula. REUS JURIDICE CITATUS TENETUR AD JUDICIUM

ADESSE, NISI MANIFESTA SIT INCOMPETENTIA JUDICIS. Auctoritas superioris inducit obligationem parendi; reus tenetur proinde vadimonium obire. Suas, si habet, rationes afferet contra competentiam, servata libertate appellandi. In jure Romano scriptum erat : *Prætoris est dicere an sua sit jurisdictio; vocati autem est non contemnere auctoritatem prætoris.* (Cap. *Cum personæ*, 7, DE PRIVILEGIIS, in VI°.) Non objiciatur neminem esse judicem in sua propria causa; judex enim, in casu quæstionis subortæ de competentia, non pronuntiat in causa quæ sua sit, et ex qua emolumentum percipiat, sed jurisdictionem declarat quam in bonum commune recepit ab Ecclesia.

III[a] Regula : QUISQUE FORUM SORTITUR RATIONE DOMICILII, DELICTI, CONTRACTUS ET REI DE QUA LIS MOVETUR. Cap. *Licet*, 20, DE FORO COMPETENTI. Hanc ultimam regulam explicabunt solutiones quæstionum proxime subsequentium.

656. — II° *Utrum et quatenus domicilio determinetur competentia judicis?*

Domicilium est locus commorationis diuturnæ. Distinguitur domicilium proprie dictum, quasi-domicilium, simplex habitatio, locus originis.

I. Nihil dicendum de *loco originis*, ad quem in causis judicialibus non attenditur, nisi lis moveatur de clericorum ordinatione, de quo sufficienter explanatæ sunt supra sanctiones canonicæ (n° 164).

II. *Domicilium* est locus quo aliquis suam sedem posuit cum intentione illic stabiliter commorandi, nisi quid inexpectatum avocet. Duo proinde ad domicilium constituendum faciunt : intentio commorandi perpetuo, id est stabiliter per tempus indefinitum, et factum externum habitationis saltem incœptæ quo intentio hæc manifestatur. Domicilium haberi simul potest in pluribus locis, si in duobus vel tribus locis aliquis stabiliter commoretur per notabilem partem anni. Si dubium forte oriatur circa conditiones domicilii, judicis erit

pronuntiare, qui, ut super hoc sententiam ferat, considerare debebit attente circumstantias loci, personarum, maxime et causarum, diuturnioris commorationis in loco [1].

Domicilium est ratio universalior sortiendi forum; siquidem exinde aliquis fit vere incola et subditus judicis qui in locum habet jurisdictionem ordinariam. Cap. *Dilecti*, 17, eod. tit. supponit regulam certam esse ut singuli *ubi domicilium habent valeant conveniri*.

Hinc 1° judex potest inquirere in subditum, etiam absentem, pro delicto in loco domicilii patrato; ubicumque enim reus actu versetur, remanet sub eadem jurisdictione, quamdiu domicilium non mutaverit. 2° Judex potest similiter inquirere in subditum præsentem pro delicto extra territorium patrato, etiamsi illud commiserit ante domicilium obtentum; nam forum domicilii generale est; ad omnia extenditur quæ non excipiuntur formaliter a jure. 3° Utrum etiam possit judex convenire subditum absentem pro delicto patrato extra locum territorii non ita aperte constat. Affirmandum tamen arbitramur, quia hæc esse videtur opinio communis doctorum forum domicilii haberi ordinarium et generale quoad omnia. Quamobrem, licet judex domicilii non possit exercere jura ori contentiosi extra territorium suum, ut alibi dicetur, potest nihilominus reum absentem citare per nuntium vel per litteras, et contumacem punire pœnis spiritualibus, v. g. suspensione, excommunicatione. Intimatio judicii non est actus judicialis, et exsecutio harum pœnarum fit absque strepitu judicii; utrumque igitur fieri potest in territorio alieno [2].

III. *Quasi-domicilium* acquiritur facto habitationis cum animo degendi per tempus diuturnum, puta majorem vel saltem notabilem partem anni. Controvertitur apud canonistas utrum habens alicubi quasi-domicilium possit ibidem conve-

[1] Cf. Schmalzgrueber, in tit. DE FORO COMPETENTI, nis 8-16.
[2] Pirhing, eod. tit., n° 14.

niri pro delictis extra territorium patratis, adeo ut eadem sit, sub illo respectu, conditio domicilii et quasi-domicilii. Plures, quos citat Schmalzgrueber, n° 17, negant, quia jura statuunt de domicilio; porro, inquiunt, in tali causarum genere, recedendum non est a sensu naturali verborum. Alii, ut videtur communius, affirmant : 1° Quia per quasi-domicilium acquiritur jus parochiæ ad omnia sacramenta, excepta solum ordinatione; habetur proinde forum internum, et non est ratio cur non sortiatur simul forum externum; 2° quia non decet illum qui diutius in loco commoratur, et ibi juribus et privilegiis parochialibus gaudet, eximi ab obligatione respondendi de suis actibus ubicumque gestis. Ita præ cæteris Reiffenstuel et Pirhing. Alii tandem, distinctione facta inter varios casus, arbitrantur conformius fore principiis generalibus juris, ut qui habet simul quasi-domicilium in uno loco, et verum domicilium in altero, non conveniatur a judice quasi-domicilii pro gestis extra territorium. Si vero supponatur reum nullibi, aut nonnisi in remotissimis regionibus, habere verum domicilium, existimant nihil obstare quominus conveniatur a judice quasi-domicilii.

Hæc opinio servare videtur regulas æquitatis et applicanda præsentibus temporum circumstantiis. Judicis quasi-domicilii erit decernere, attentis circumstantiis, an ipse debeat reum convenire, vel causam dimittere Ordinario domicilii. Hoc pendere arbitramur, tum a ratione diuturnæ commorationis rei in loco quasi-domicilii ubi forte majorem partem vitæ suæ degit, aut saltem indefinite et indeterminato tempore moratur, donec occasio data eum alibi transferat, uti faciunt tot homines, hac præsertim ætate, qui domicilium stricte sumptum non habent, tum a ratione impossibilitatis moralis in qua esset judex domicilii causam cognoscendi et definiendi, si in exteris procul regionibus suam habet sedem. — Cæterum quæstio non est magni momenti quoad praxim, siquidem superior potest interdicere sacras functiones sa-

cerdoti alieno quem noverit indignum ob crimina extra suum territorium perpetrata, quin necesse sit adhibere formalitates processus judicialis, et hoc ipsi sufficit ad finem intentum.

IV. *Simplex habitatio* sufficit respectu vagorum qui nullibi habent quasi-domicilium. Non possunt esse sine judice qui in illos animadvertat, si necessitas postulaverit; ergo subduntur judici loci ubi degunt, illisque applicatur axioma : *Ubi te invenero, ibi te judicabo.*

657. — III° *Quandonam aliquis forum sortiatur ratione delicti?*

Caput *Licet*, supra citatum, declarat unumquemque sortiri forum judicis loci in quo deliquit; quod sapienter ordinatum est ut debita satisfactio detur diœcesi cui injuriam intulit delinquens, et etiam ut facilius habeantur probationes delicti, in loco ipso ubi fuit patratum.

Ut vero statuatur modus applicandi regulam, distinguendi sunt casus. Vel delinquens est in loco delicti, vel ab eo discessit post juridicam citationem, vel ab eo recessit, nulla adhuc facta citatione.

1° Judex potest convenire reum adhuc præsentem in loco delicti, et illum etiam titulo quo forte fuerit provisus privare, si natura criminis id requirat. Prob. ex capite *Postulasti*, 14, DE FORO COMPETENTI. Proposito dubio utrum sacerdos qui possidet beneficium ecclesiasticum in una diœcesi, et in altera deliquit, debeat in loco delicti judicari, in causis præsertim quæ privationem officii exposcunt, Innocentius III respondit : « Per Episcopum in cujus diœcesi deliquit sententia poterit pronuntiari in eumdem, sed ab eo in cujus diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud exsecutio facienda. » Reiffenstuel commentatus verba hujus decretalis, merito observat Episcopum loci delicti non ferre tantummodo sententiam declaratoriam, dimittendo alteri sententiam privationis, sicut quidam dixerunt; hoc enim non concordat cum

textu juris, qui Episcopo beneficii relinquit solam exsecutionem sententiæ.

Nec dicatur Episcopum, si privet clericum extraneum suo titulo, se immiscere negotiis alterius diœcesis. Titulus beneficialis est jus incorporeum residens in persona clerici, atque illi inhærens, non secus ac alia jura; ergo cum idem clericus subdatur ratione delicti Episcopo loci, potest utique ab eo privari suo jure. Hæc cum ita jure communi ordinentur, sequitur Episcopum loci in quo situm est beneficium, non constitui judicem, sed simplicem exsecutorem in tali casu. Si tamen perspexerit sententiam aliquo defectu laborare qui locum dare possit nullitati, supersedebit ab exsecutione, usquedum res plene ac peremptorie definita sit.

2° Reus præventus juridica citatione, antequam e loco discesserit, tenetur comparere; et jure punietur uti contumax si non obtemperaverit. Gregorius IX interrogatus de reo qui, citatus tempore opportuno, contendebat declinare judicium, allegando se e loco recessisse, respondit : « Tuæ « prudentiæ dubium esse non credimus, quod is in præ« dicta causa, jus revocandi forum non habet, quasi ab « altero præventus. » (Cap. *Proposuisti*, 19, eod. tit.) Est proinde regula generalis, causam semel juridice incœptam oportere ad sententiam usque perduci, tum ut honos judici deferatur, tum ne perturbetur ordo institutus processus judicialis.

3° Reus qui e loco delicti discessit ante citationem, non tenetur respondere judici ejusdem loci. Ita communiter canonistæ qui ad casum propositum apponunt axioma juris : *Extra territorium jus dicenti non paretur impune.*

Quamvis tamen judex loci delicti non valeat convenire reum, potest dirigere litteras requisitorias ad judicem domicilii, qui, positis certis conditionibus, debet cogere reum, etiam sub comminatione censurarum si opus sit, ad se sistendum coram Ordinario loci delicti. Nullus affertur canon

quo hæc disciplina expressis verbis constabiliatur; cum vero ita fuerit ordinatum jure Romano pro judicibus sub eodem principe constitutis, et sit aliunde æquitati bonoque communi consentaneum, translatum in disciplinam canonicam dicunt. « Istud congruit bono communi Reipublicæ, ait Reiffenstuel: « tum ut ad exemplum et ad terrorem aliorum delicta gra- « via ibi publice puniantur ubi fuerunt perpetrata; tum ut « hac ratione satisfiat illi communitati quæ per delictum in « suo territorio commissum graviter offensa et injuriata fuit; « tum tandem quia alibi non tam facile reus convinci posset « super crimine [1]. » Conditiones requisitæ ut fiat hæc remissio sunt : 1° ut res sit adhuc integra; id est, Ordinarius loci domicilii illam ad suum tribunal, facta legitima citatione, non revocaverit; 2° ut judex loci delicti remissionem postulaverit, et simul, cum suis litteris requisitoriis, transmiserit summariam causæ cognitionem, et probationem delicti, ne forte innocens infametur; 3° demum ut delictum sit grave et causa criminaliter tractetur; non enim expedit hæc media extrema assumi in negotiis levioris momenti.

658. — IV° *Quandonam quis sortiatur forum ratione rei et contractus?*

1° Causæ reales remittuntur ad judicem loci in quo sita est res. Si quis proinde possideat beneficia in duabus diœcesibus, tenetur causas agere coram Episcopo diœcesis in qua est beneficium de quo litigatur. Hæc regula, quæ vix locum habet extra causas beneficiales, non est in usu apud nos, quandoquidem paucissima quæ supersunt beneficia residentiam personalem requirunt, unde fit ut, sub eo respectu, judex *rei sitæ*, idem sit qui judex domicilii.

2° Contractus est etiam ratio sortiendi forum, quod sapienter statuerunt leges civiles et canonicæ, cum in loco contractus facilius constare possit de solemnitatibus requisi-

[1] Cf. Reiffenstuel, in tit. DE FORO COMPETENTI, nis 67-74.

tis in celebratione contractus, et de sensu atque stipulationibus initæ conventionis ; hæc enim locorum consuetudinibus explanantur. Regulam intelligimus de ipsis quasi-contractibus, et de alio quocumque actu, seu rerum gestione unde enascitur obligatio, uti communiter tradunt canonistæ et jurisperiti. Judex ecclesiasticus potest proinde citare clericum, licet extraneum, qui in loco contraxit, et in eum ratione contractus jurisdictionem exercere, quandiu ibidem versatur. Si clericus e loco discesserit, nulla adhuc facta citatione, subducitur foro judicis hujus loci, nisi tamen contractu spoponderit se in loco conventionis responsurum, quo in casu, idem animadvertendum putamus quod mox dictum est de foro delicti. Cap. *Romana*, 1, DE FORO COMPETENTI in VI°.

Eadem regula locum insuper habet, et quidem maxime, in causis matrimonialibus, quando dubitatur an matrimonium celebratum sit ad præscriptum juris canonici, an coram proprio pastore, an adhibitis testibus, an præviis proclamationibus jure requisitis. In hoc tamen etiam casu, non secus ac in præcedenti, supponimus partes adhuc versari in loco contractus.

Nota. Cum ex dictis multiplex sit forum competens, nec unum excludat alterum, sequitur reum posse conveniri pro eadem causa coram diversis judicibus: si vero reapse id contingat, erit inter judices locus præventioni ; ille scilicet causam definiet qui prior eam occupaverit citando reum.

659. — V° *Quid jure statutum sit de cognitione causarum in curia Romana?*

Forum Rom. Pontificis universale est quoad omnes Christifideles, et Roma, id est locus quo sedet S. Pontifex, communis est omnium christianorum patria pro suis causis ecclesiasticis. Cum tamen curia pontificalis negotiis pene obrueretur, et impar foret singulis providere, si cunctæ causæ undequaque ad illum indiscriminatim referrentur;

cum aliunde auctoritas episcopalis non leve detrimentum pateretur ex relatione immediata omnium causarum, etiam minoris momenti, hæc fuere jure communi constituta :

1° Quivis, seu clericus, seu laicus, dum præsens est Romæ, potest ibidem conveniri, quamvis nec delictum in eo loco patraverit, nec res de qua litigatur sita sit Romæ. Cap. *Licet*, 20, DE FORO COMPETENTI. Ipsi tamen fas est, ex eodem capite, *causam domum avocare;* postulare scilicet ut sibi liceat ad propria redire, et in suo domicilio judicari, si Romam venerit ob causam necessitatis.

2° Qui, dum Romæ præsens est, ad vadimonium venire compellitur coram Ordinario sui domicilii, potest hujus judicis forum declinare, postulando ut causa promoveatur ad curiam Romanam, si Romam venerit aliqua ratione necessitatis, v. g. ad expedienda negotia, quamdiu in ea moram trahit, durante negotiorum prosecutione. Cap. *Divina*, 3, DE PRIVILEGIIS, Extrav. comm. Eo privilegio excluduntur parochi non residentes. (Conc. Trident., sess. XXIII, cap. I.)

3° Cæteræ causæ, non majores, debent regulariter cognosci atque in prima instantia definiri ab Ordinariis locorum, antequam appellatione deveniant ad curiam Romanam. Ita statuit Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XX : « Causæ « omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, « etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordina- « riis locorum duntaxat cognoscantur... Ab his excipiantur « causæ quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Aposto- « licam sunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabilique « causa judicaverit S. R. Pontifex per speciale rescriptum, « signaturæ Sanctitatis Suæ propria manu subscribendum, « committere, aut avocare. » Ea lege magis conservatur, uti modo dicebamus, tribunalibus inferioribus sua auctoritas, et simul cavetur ut causæ sint maturius discussæ atque explicatæ quando, si opus sit, devolventur ad curiam pontificiam. Benedictus XIV præscripsit ordinem hocce decreto concilii

indictum servandum omnino esse, adeo ut ipsimet Legati *a latere* abstinere teneantur a cognitione causarum, præter casum legitimæ appellationis postquam judicatæ sint ab Ordinariis locorum. « Volumus, inquit, statuimus et manda-« mus, quod omnes causæ, tam civiles quam criminales, « exceptis privilegiatis quæ ex eodem concilio, vel alias juxta « sanctiones canonicas, apud nos et Sedem Apostolicam trac-« tari possunt, aut debent, coram Ordinariis locorum dun-« taxat in prima instantia cognoscantur, neque a Metropolita-« nis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque judicibus eccle-« siasticis, etiam nostris et Sedis Apostolicæ Nuntiis, vel *de* « *latere* Legatis, aut cameræ nostræ generali auditore, et cæ-« teris quibuslibet curiæ nostræ judicibus ad se vocari, vel « aliis committi possint, nisi per viam appellationis, et in ca-« sibus non prohibitis, ad ipsorum tribunalia deferantur. » (Cons. *Ad militantis Ecclesiæ*, § 42, an. 1742.)

SECTIO III[a]

DE ORDINE SERVANDO IN JUDICIIS SOLEMNIBUS.

660. — Judices procedere debent ordinatim ad cognitionem et definitionem causarum, servatis accurate formis quas leges constituerunt. Sunt judicia in quibus omnes conditiones processus forensis accurate servandæ sunt, et quæ idcirco *solemnia*, alias *ordinaria*, nuncupantur : alia possunt modo summario pertractari, et dicuntur *summaria*. Dicendum nobis est in hac sectione de ordine præfixo judiciis ordinariis, sive civilia sint, sive criminalia. Tres erunt articuli : 1[us] de jure prærequisitis ad discussionem judicialem causæ ; 2[us] de litis contestatione et discussione causæ usque ad prolationem sententiæ ; 3[us] de sententia et sententiæ exsecutione.

ARTICULUS I. — DE CONDITIONIBUS PRÆVIIS AD JUDICIALEM DISCUSSIONEM CAUSÆ

Tria requiruntur ut causæ in judicium deferantur : libellus, informatio prævia, et citatio rei.

661. — I° *Quid jure constitutum sit de libello, de accusatione et denuntiatione?*

I. Libellus est scriptum judici oblatum continens causam,

nomen rei et nomen actoris. Libello inseruntur 1° nomen actoris, ut judex sciat quis agat, utrum proprio suo nomine, vel uti procurator alterius cujus vices gerit; 2° nomen rei qui actione convenitur; 3° narratio brevis facti principalis cum necessariis circumstantiis; 4° delicti locus et tempus, si sit libellus criminalis.

Actor præterea suggerit judici et reo quid petat, quid sibi adjudicari prætendat, ut reus sibimet consulat, cedendo, aut de re contendendo, prout visum fuerit; quod si vero in materia criminali procedat, sufficit enarrasse factum, quia lex ipsa concludit, et certam pœnam delictis imponit. Petitio scriptis consignatur, ut judex ab exordio litem ordinare valeat absque ulla ambiguitate.

Leges præscribunt libellum offerri in omni judicio ordinario, civili, aut criminali (cap. *Ignarus*, 1, DE LIBELLI OBLATIONE), exceptis solummodo casibus in quibus judex ipse motu proprio et ex officio procedit, aut de notoriis agitur in quibus nec ordo juris consuetus servandus est, aut tandem res per appellationem ad judicem superiorem defertur; quia idem libellus, qui in prima instantia semel oblatus fuit, sufficit.

In causis civilibus libellus offertur ab eo cujus interest: exponendum ipse curat quid prætendat et quonam jure, uti modo insinuatum fuit.

In causis criminalibus libellus exhibetur ab accusatore vel denuntiatore, aut a promotore ex officio agente, de quo memorandum illud decretum concilii Lateranensis, habiti an. 1210 : « Ut in omnibus diligens adhibeatur cautela, « ne forte per leve compendium ad grave detrimentum ve- « niatur, sicut accusationem legitima debet præcedere in- « scriptio, sic et denuntiationem charitativa monitio, et in- « quisitionem clamosa prævenire insinuatio. » Cap. *Qualiter et quando*, 24, DE ACCUSATIONIBUS.

662. — II. Accusatio est delatio alicujus criminis facta apud judicem competentem, in vindictam publicam, assumpto

onere probandi. Jura requirunt ab accusatore ut libellum proferat quo accusati nomina, criminis speciem, locum et tempus quo patratum asseritur, perspicue designet, cum sua subscriptione qua se ad talionis pœnam obstringit, si in criminis probatione defecerit.

Modus ille crimen ad judicium deferendi diu viguit in Ecclesia, uti supponit titulus I libri V Decretalium. Pœnam talionis canones sanxerant ad efficacius removendum calumniatores, unde dicitur in cap. *Nullus*, 2, Causæ IV, quæst. IV : « Inscriptio primo semper fiat, ut talionem accusator recipiat; « quia ante inscriptionem nemo judicari debet, vel damnari, « cum et sæculi leges eadem retineant. »

Recentiori tempore eamdem sanctionem innovavit Pius V in Bulla *Cum primum* adversus eos qui aliquem calumniaverint de crimine simoniæ, blasphemiæ, et concubinatus. « Si aliqui ex calumnia aliquos denuntiasse comperti fuerint, « eos ad pœnam talionis teneri volumus et mandamus. » Canonistæ arbitrantur hanc legem extendi ad omnes calumnias in materia criminali, coram judicibus factas. (Schmalzgr., tit. II, lib. V, n° 17.)

A pluribus sæculis accusationes istæ criminales in desuetudinem abierunt; ex eo scilicet tempore quo moribus societatis, tum religiosæ tum civilis, inductum fuit ut privati partes contra reum non sustineant nisi ad reparationem sui damni, et dimittatur ministro publico officium prosequendi vindictam criminum, ad tuitionem ordinis publici. Non existimamus quidem vetitum esse alicui se accusatorem constituere, subsistunt enim vetera jura; sed invaluit alia consuetudo.

663. — III. Denuntiatio est delatio facta alicujus criminis apud superiorem, quin denuntians velit accusatorem se constituere.

Duplex est denuntiatio, *charitativa* et *judicialis* : charitativa, si fiat superiori, ut reum paterna admonitione corrigat;

judicialis, si eidem superiori fiat, ut reum puniat pro ratione delicti, ad vindictam publicam.

Denuntiatio charitativa fieri debet servato ordine quem textus evangelicus indicat, et quem theologi exponunt in tractatu *de Decalogo*, ubi *de correctione fraterna*. Regula generalis est non deveniendum ad superiorem, nisi postquam alia media sunt insufficientia, aut impossibilia. Denuntiatio charitativa communiter præcedere debet judicialem, juxta ea quæ in cap. *Qualiter et quando* indicantur : hæc autem, si tandem fiat, rem defert ad judicem ut reum inquirat ac puniat. In eo differt denuntiatio ab accusatione quod denuntiator non se constituat accusatorem, ut publice litem sustineat, nec pœnam talionis incurrit, si deficiant probationes ; attamen libellum offert in quo nomen suum inscribit, et causa finita, reus, si absolutus fuerit, requirere potest nomen denuntiatoris, ut eum de calumnia accuset.

Denuntiatio judicialis duplicem effectum habet : respectu quidem judicis ut possit, imo debeat ex officio inquirere et processum incipere, citando et examinando testes [1] ; respectu autem denuntiantis, ut illum adstringat ad designandum nomina testium, et suggerendum media probationis. Quod si defuerint probationes, denuntians præsumitur calumniator, et qua talis punitur pro gravitate delicti denuntiati, nisi probet se non animo calumniandi denuntiasse, sed bona fide existimasse probationes delicti sufficientes. Cap. *Cum dilectus*, 2, DE CALUMNIATORIBUS.

Denuntiatio judicialis a privatis facta, moribus obsolevit eadem fere ratione qua accusatio : hodie nemo communiter partes assumit denuntiandi reum, et causam coram judice prosequendi, in materia criminali, præter officialem publicum qui vulgo Promotor nuncupatur.

664. — II° *Quid jure statutum sit de prævia informatione?*

[1] Cf. Schmalzgrueber, in tit. 1 libri V^i Decret., n° 125.

Informatio est inquisitio facta a superiore, seu illius auctoritate, de veritate aut falsitate delicti.

Canonistæ triplicem informationem distinguunt, scilicet generalem, specialem et mixtam. Est informatio *generalis* quando superior inquirit generatim de personis et delictis in communi, an statuta serventur, an patrata sint delicta. Informatio dicitur *specialis* quando ex officio, vel ad alicujus querelam seu denuntiationem, inquirit de delicto in specie contra certam personam. Demum *mixta* nuncupatur, si superior de aliquo crimine patrato inquirat quis illud commiserit, nulla expressa in particulari persona.

I. In causis civilibus judex potest, absque ulla prævia informatione, cum libellus sibi oblatus fuerit, partes citare ad litis contestationem. Si tamen causa sit difficilis, et ambagibus implicata, uti sæpius sunt causæ matrimoniales, opportunum erit præmitti informationes ne nimium res protrahantur in tribunali, et ut judex cum cognitione negotii secure procedat.

II. In causis criminalibus notoriis non requiritur prævia informatio. Notorium dicitur delictum quando fuit perpetratum coram pluribus, in loco publico, adeo ut nulla tergiversatione celari aut negari queat; quod judicis prudenti arbitrio declarandum committitur, siquidem jura non præcisis conditionibus statuunt quando sit notorietas facti. Supposito igitur quod factum sit reapse notorium, judex nequaquam adstringitur ad ordinis judiciarii observantiam in iis quæ ad accusationem, denuntiationem et præviam informationem referuntur; hæc enim non ad alium finem introducta sunt quam ad criminis dubii veritatem investigandam, eo modo quo removeatur scandalum, et periculum infamandi reum si forte sit innocens; qui finis cessat ubi est notorietas facti. Idem a fortiori dicendum est si reus constituatur in delicto flagranti, si nempe coram ipso judice, pro tribunali sedente, delinquat: nec processu, nec probatione, nec alia juris solemnitate opus est in tali casu,

« quia aspectus judicis, ait Schmalzgrueber, inducit ipsi evi-
« dentem probationem quoad decisionem causæ. » (In tit. 1, lib. V Decret., nis 1-20.)

III. Extra casus memoratos fieri non debet regulariter informatio specialis in aliquem de causa criminali, nisi præcesserit accusatio, aut denuntiatio judicialis, vel infamia.

Certum quidem est superiorem posse inquirere generatim de statu diœcesis, licet nulla diffamatio præcesserit; ea siquidem agendi ratione bono communi providet, et nulli injuriam irrogat. Quod si detegat in hac generali informatione, aliquem esse merito suspectum super crimine, locus exinde erit inquisitioni speciali quam illico aggredi poterit, nulla alia prævia infamia. Certum etiam est superiorem instituere posse inquisitionem mixtam, specialem quoad tale delictum, generalem autem quoad personas, nulla præcedente infamia contra aliquem privatim. Id requirit ratio boni publici, ut superior inquirat quoties perpetratum est delictum; alioquin populus offenderetur in neglecta justitia, et pravi homines invalescerent spe immunitatis. Quod vero ad informationem specialem attinet, diximus illam regulariter fieri non posse nisi præcesserit diffamatio.

Probatur 1° ex capite *Qualiter et quando* supra relato, unde concluditur de nemine jure inquirendum nisi præveniat *insinuatio clamosa*. Idem plures alii textus adstruunt, præsertim Decretalis Innocentii III, *Inquisitionis*, 21, DE ACCUSATIONIBUS, in qua Pontifex ad dubium propositum respondit : « Nullum
« esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu
« clamosa non præcesserit insinuatio, propter dicta hujus-
« modi (duorum aut plurium testium juratorum) puniendum:
« quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non
« debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis
« de quibus clamores aliqui præcesserunt. » 2° Auctoritate doctorum qui in hanc sententiam communiter consentiunt, ut videre est passim apud interpretes in jure versatissimos

quales sunt Fagnan, Barbosa, Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber. 3° Ratio hujus disciplinæ est quod maxime expediat, tum bono privatorum, tum etiam bono communitatis, ut delicta remaneant occulta, quamdiu nec societas nec cæteri privati ullum exinde detrimentum patiuntur. Hac agendi ratione superior vitat scandala; consulitur famæ rei, cui relinquitur aliud medium sæpe efficacius emendationis in foro pœnitentiæ, et in foro voluntario superioris qui illum paterna correctione ad meliorem frugem adducere tentabit. « Merito « quisque queri potest, ait Schmalzgrueber, sibi fieri inju- « riam, si in vitam ejus juridice inquireretur, cujus fama « alioquin est integra; nam per talem inquisitionem redditur « suspectus, et jacturam famæ atque existimationis suæ pa- « titur, quod sine gravi causa non licet. » (In tit. 1, lib. V, « n° 196.)

Canonistæ ex citatis Decretalibus concludunt processum institutum contra aliquem super crimine, non præcedente infamia, esse irritum; et ita quidem ut neque per subsecutam plenam probationem, ipsamque criminis confessionem, convalescat, ut de eo inquisitus condemnari et puniri possit.

Diximus *regulariter*, quia nonnullæ admittendæ sunt exceptiones : 1ª Si sint indicia verisimilia et probabilia delicti; v. g. si reus convictus sit de crimine quod plerumque conjunctum esse solet cum alio de quo instituitur inquisitio; aut si occurrant circumstantiæ quæ gravem præsumptionem contra reum inducunt; hæc enim diffamationis loco succedunt, nec immerito ipsi diffamationi æquiparantur. 2ª Si delictum vergat in detrimentum societatis, ut si agitur de crimine hæresis, aut de sollicitatione ad turpia in foro pœnitentiali, aut de morum corruptore qui sub velo hypocrisis malum operatur; nam communis est opinio in his sufficere gravem suspicionem ut superior instituat specialem informationem. Plures canonistæ idem asserunt de casu quo delictum directe tendit in præjudicium tertii privati, quod intelligendum puta-

mus hac subaudita conditione : si reus abutatur simulata virtutis specie in alicujus detrimentum.

Exceptis casibus adductis, cæterisve his similibus, non arbitramur fas esse superiori operas dare inquisitioni speciali, ad denuntiationem hominis privati, imo ne ad denuntiationem quidem officialis publici; alias vis legi inferretur, et illusoria evaderet disciplina canonica in materia gravi.

665. — Judex ad quem causa criminalis defertur, aut qui ex officio informat, ad præscriptum regularum memoratarum, debet 1° inquirere de *corpore delicti;* ut certo ipsi constet delictum fuisse perpetratum; 2° de diffamatione rei in quem instituenda est informatio specialis; an sit reipsa diffamatus in loco, quod supponit eum non ab uno vel altero male audire, sed a pluribus, alias non esset diffamatio; an diffamatio originem habeat a personis honestis et fide dignis, aut a malevolis et maledicis; si enim ex qualibet fama contra aliquem inquiri posset, nullus quantumvis honestus vir unquam securus foret a speciali inquisitione, et ab exinde sequentibus præjudiciis, cum vix ullus sit contra quem malevoli non loquantur; 3° informare citato reo et præsente, nisi contumaciter absentaverit; aut saltem si non citatus sit, ita concedente consuetudine, ipsi tradere capitula, seu articulos inquisitionis, cum depositionibus testium, ut sciat de quo accusatur, suam innocentiam tueri valeat, et exceptiones, si quæ sunt, opponere. 4° Deberet insuper, ad præscriptum Decretalis *Qualiter et quando*, nomina testium exprimere, ut habeat reus facultatem se defendendi... *ne per suppressionem nominum, infamandi audacia præbeatur;* at illa communicatio nominum testium gravissimis sæpe difficultatibus obnoxia est; timendum scilicet ne grave periculum exinde testibus immineat, et consequenter ne se subtrahant, aut veritatem dissimulent; de quo infra iterum dicturi sumus. 5° Tandem judex audiet ac ponderabit rei exceptiones et defensiones; quibus, una cum ex adverso urgentibus indiciis,

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE

præsumptionibus ac depositionibus, accurate perpensis, videbit an debeat reum dimittere, aut ulterius ad citationem procedere.

666. — III° *Quid sit citatio, quatenus sit necessaria, quos effectus producat?*

I. Citatio est actus quo aliquis vocatur, ex mandato judicis, in subeundum judicium.

Judex aliquando ex officio reum citat, ad nullius instantiam; aliquando ad instantiam actoris cujus personaliter interest, aut promotoris. In utroque casu exprimere debet : 1° nomen sui ipsius, et titulum suæ delegationis si delegatus sit; 2° nomen rei qui vocatur in judicium; 3° diem et locum quo reus debeat se coram judice sistere; 4° causam cur vocetur, ut sibi consulat, an cedere, an contendere expediat. Si tamen judex existimet opportunum dissimulare causam, potest hoc ultimum differre ad diem obiti vadimonii.

Citatio multiplex distinguitur : 1° in publicam seu edictalem, et privatam seu personalem. *Publica* dicitur, si fiat per vocem præconis in loco publico, vel per edictum; *privata*, si notificetur reo aut illius procuratori. 2° In realem et verbalem; est *realis* si manus in reum injiciantur; *verbalis*, si fiat viva voce aut scripto. Prior non est amplius in usu apud judices ecclesiasticos. 3° In simplicem et peremptoriam. *Simplex* continet merum præceptum se sistendi coram tribunali, et tribus vicibus repeti debet, antequam reus censeatur contumax, si ad vadimonium non venerit; *peremptoria* est, quando declaratur unam locum trium tenere, et ea sola reum constitui contumacem, si die præfinita non paruerit. Si fiat citatio simplex, intercedere debet certum tempus, ut puta quinque vel decem dierum : si fiat citatio peremptoria, concedi etiam debet tempus conveniens reo, ut sibi consulere valeat, suasque res disponere. Quantum vero temporis debeat assignari, nullo jure præfinitur; id judex ex æquitate, ratione habita circumstantiarum, determinat.

Citatio fieri potest ab ipsomet judice; vel, quod magis decere videtur, a nuntio judiciali; vel etiam litteris ad reum directis, modo tamen medium certum adhibeatur certiorandi litteras ad locum destinatum pervenisse et reo fuisse traditas, quod hodie facilius obtinetur.

II. Citatio est omnino necessaria, adeo ut ipso jure irritum sit judicium prolatum contra absentem non requisitum.

Lex naturalis vetat quominus judex se periculo exponat condemnandi innocentem; hoc autem in discrimen incurrit qui partes non auditas judicare præsumit. Dato etiam factum materiale, seu corpus delicti, ut aiunt, certum esse, possunt multa concurrere quæ forte reum excusant, aut saltem notabiliter imminuunt delicti gravitatem, quasque judex plerumque ignorabit, nisi detur reo facultas se tuendi. Jus canonicum suis præscriptionibus sancitas voluit has regulas æquitatis. « Nos contra partem inauditam non possumus « aliquid definire, » ait S. Gregorius Magnus. In alio textu juris qui Cornelio Papæ tribuitur, hæc leguntur : « Omnia « quæ adversus absentes in omni negotio aut loco aguntur, « aut judicantur, omnino evacuentur : quoniam absentem « nullus addicit, nec ulla lex damnat. » Cap. *Susceptis*, 1, DE CAUSA POSSESSIONIS; cap. *Omnia*, 4, causæ III, quæst. IX.

Nonnulli excipiunt si delictum sit notorium, et certo constet nullam causam exceptionis intercedere; quam exceptionem probant ex adducto exemplo judicii quod S. Paulus protulit contra incestuosum Corinthi, licet inauditum. Non negamus contingere posse delictum usque adeo notorium esse, ut certissimum sit nullam superesse reo exceptionem, seu defensionem, ne quidem ad extenuandam culpam, et tunc citationem non requiri, quod insinuat Alexander III, in cap. *Cum sit Romana*, 5, DE APPELLATIONIBUS : « Si raptor sit, « aut violentus detentor alienæ rei, qui appellat, hujusmodi « appellatio facta in judicio apud ecclesiasticas personas so- « let audiri, nisi forte manifestus raptor, aut fornicator exi-

« stat, sicut ille quem absentem et irrequisitum Apostolus ex-
« communicavit. » Sed res est periculo plena, et jure communi sapienter providetur ne judex, etiam sub prætextu notorietatis, prætermittat citationes canonicas. Aliunde, citatione opus erit ut reus præsens sit quando proferetur sententia.

III. Citatio plures effectus operatur.

1° Reum addicit ut se sistat coram judice, personaliter aut per procuratorem.

Canonistæ communiter asserunt judicem non posse obligare reum ad veniendum personaliter, si agatur de causa civili; quod etiam dicendum de ipsomet judice delegato Sanctæ Sedis, nisi id fuerit ipsi specialiter concessum. Ita statuitur in cap. I, DE JUDICIIS, in VI° : « Juris esse ambiguum
« non videtur judicem delegatum, qui a S. Sede mandatum
« ad hoc speciale non acceperit, jubere non posse alterutram
« partium coram se personaliter in judicio comparere, nisi
« causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel
« pro calumniæ juramento faciendo, vel alias juris necessitas
« partes coram eo exegerit personaliter præsentari. »

Regula proinde generalis est liberum relinqui reis in causa civili, ut pro suo arbitrio sese sistant personaliter, vel sui loco procuratorem constituant qui ipsorum vices agat, eorum nomine respondeat, et etiam juramenta valeat præstare. Verumtamen notabilis, ex ipsomet jure, apponitur exceptio pro variis casibus in quibus judex necessariam arbitratur præsentiam personalem rei, in iis præsertim quæ ad factum referuntur, ut ex illius qualitate, maturitate, enarratione, compositione vultus, veritas occulta certius detegatur, et usta feratur sententia.

2° Juridice citati, si mandato judicis obtemperare renuunt, possunt post trinam citationem, vel unicam peremptoriam, judicari et pœnis canonicis affici, quia *contumacia pro præsentia reputatur;* modo tamen nulla ratione adversæ valetudinis, aut alia causa legitima, impediti fuerint.

3° Citatio inducit præventionem inter plures judices, habentes jurisdictionem in eamdem causam; quapropter reus sortitur forum judicis qui illum prior, ac tempore opportuno, citaverit.

4° Citatio prorogat jurisdictionem judicis delegati, qui lite introducta per citationem, causam ad exitum usque perducit, etiamsi contigerit illius titulum, id est delegationem, perimi morte mandantis. (N° 305.)

5° Tandem inducit *pendentiam litis*, ut aiunt, quando ad reum pervenerit; porro, lite pendente nihil innovatur, ad præscriptum juris, quod super hac regula integrum titulum habet XVI^um^ lib. II Decretalium.

667. — *Quæ personæ citari possint et conveniri a judice?* Regula generalis est omnes qui, ex dictis supra, subsunt jurisdictioni judicis, posse citari si causa requirat : difficultas autem est quoad parvulos, minores, fœminas, religiosos, et excommunicatos.

De pupillis et minoribus perraro, ne dicamus nunquam, agetur in nostris hodiernis curiis ecclesiasticis, quia sublatæ sunt causæ beneficiales respectu ipsorum; et vix est causa personalis quæ illos uti reos adigat se sistere coram judice ecclesiastico. Sufficiat memorare Constitutionem Bonifacii VIII *Si annum*, 3, DE JUDICIIS, in VI°, qua statuitur minores quatuordecim annis non posse, ne quidem pro causis spiritualibus, per seipsos stare in judicio; ipsis, si conveniantur, dandum esse curatorem ab Episcopo, vel ab Episcopi officiali, qui causam agat, nisi judex opportunum existimet, habita ratione ætatis et rationis, ipsis potestatem faciendi ut aliquem sibi procuratorem constituant.

Quod ad fœminas attinet, idem S. Pontifex Bonifacius VIII prohibuit ne judices citent fœminas quæ sub regula canonice vivunt, ac præsertim quæ sub clausura morantur; et ne illas, vel etiam consentientes, admittant personaliter ad judicium. Judex ad illas accedet, si necessarium sit; vel delegatos de-

putabit qui illas interrogent et responsa referant. Si quid in contrarium contigerit attentari, declaratur « ipso jure irritum « et inane. » Aliæ mulieres citari possunt, in causa criminali, et cogi censuris ut se sistant personaliter : in cæteris causis nunquam adducuntur invitæ. Cap. *Mulieres*, 2, eod. titulo.

De religiosis dictum fuit in IIª parte *Prælectionum canonicarum;* jura judicis ecclesiastici in religiosos determinantur regulis ibidem præfinitis (nis 491-495). De excommunicatis infra tractabitur ubi de *Censuris*.

ARTICULUS II. — DE PROCESSU JUDICIALI A CITATIONE FACTA USQUE AD SENTENTIAM.

Ut exponatur ordo processus judicialis qui vias parat sententiæ, dicendum est 1° de litis contestatione, 2° de exceptionibus, 3° de præstatione juramenti, et 4° de probationibus.

668. — I° *Quid sit litis contestatio et quem effectum' producat?*

I. Litis contestatio consistit in petitione actoris coram judice proposita, et contradictione rei, qui scilicet factum, seu debitum negat, et litem suscipit. Nulla lis constituitur si quod actor affirmat, reus fateatur; si quod unus requirit, alter se facturum spondeat; reliquum est solummodo ut judex tempus reo indicet quo rem pollicitam præstari oporteat.

Litis contestatio dicitur, apud canonistas, basis et fundamentum judicii in causis civilibus quæ forma solemni tractantur. Est adeo necessaria, ut judex non debeat, lite non contestata, testes audire; quanto minus proferre sententiam, quod inscribitur in ipsomet titulo VI° UT LITE NON CONTESTATA,

NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM, VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM. Sunt tamen admittendæ exceptiones, uti declaratur in cap. *Quoniam* ejusdem tituli, pro casu quo timet judex ne morte testium, vel illorum futura absentia, cognitio veritatis subtrahatur, vel etiam pro alio casu quo urget necessitas agendi, et reus litis contestationem retardat frustratoriis dilationibus.

Prætermitti potest litis contestatio in judiciis summariis, aut saltem fit modo minus solemni; item in causis appellationis, si in prima instantia locum habuerit; in notoriis quæ hanc conditionem nullatenus exposcunt; ac demum « univer-« sim, ait Schmalzgrueber, in omnibus casibus quibus non « requiritur libellus; cum enim libellus sit origo litis, remisso « libello, remittitur etiam litis contestatio. »

In causis criminalibus, cum pluribus abhinc sæculis, non procedatur per viam accusationis, nec etiam denuntiationis privatæ, uti supra notavimus (n^is 663,664), locum litis contestationis tenet petitio promotoris qui ex officio causam producit, vel etiam ipsamet judicis interrogatio juridica, et responsio rei qui delictum sibi objectum negat, aut extenuat.

II. Litis contestatio hunc parit effectum præcipuum ut partes teneantur causam incœptam prosequi, nec recedere valeant quin contumaces habeantur. Insuper interrumpit præscriptionem longi temporis. Tandem, lite contestata, judex non potest amplius recusari, nisi supervenerit nova suspicionis ratio, quia partes præsumuntur in eum consensisse.

669. — II° *Quid sint exceptiones, et quatenus judex recusari possit a partibus?*

I. *Exceptio* nuncupatur exclusio actionis, qua scilicet reus actionem contra se intentatam retardare vel penitus eludere contendit (gallice : *moyen de décliner une action, ou d'en retarder la poursuite*). Duplicis speciei sunt exceptiones, aliæ *dilatoriæ*, aliæ *peremptoriæ*.

Exceptiones dilatoriæ actionem non tollunt, sed differunt

ad tempus : v. g. si reus objiciat sibi minime sufficere tempus assignatum ut præparet negotia, ut articulos probationum componat, testes necessarios perducat, locum judicii adeat ; item si objiciat libelli ambiguitatem; si dicat se fuisse in eadem causa ab altero judice præventum. Exceptiones peremptoriæ actionem perimunt, juri enim actoris etiam in futurum obstant : hujusmodi sunt sententia quæ in rem judicatam transiit, compromissum ex mutuo partium consensu, præscriptio quæ debito tempore completa est [1], recusatio judicis suspecti.

Reus jus certum habet opponendi exceptiones, quas et probare debet, ad sui tuitionem; sed debet eas objicere ab initio, nempe ante aut immediate post litem contestatam, nisi rationes excipiendi per decursum processus noverit. Judicis est pronuntiare de harum exceptionum valore, una solum excepta de qua speciatim dicendum. Itaque :

II. Licitum est recusare judicem propter causas legitimas quæ scilicet eum suspectum reddunt; v. g. si inimicitias cum reo exercuerit; si necessitudines, ex cognatione, affinitate, aliasve, habeat cum parte adversa, si antequam officium judicis susceperit partes advocati gesserit in eadem causa; hæc enim, et alia his similia, timorem injiciunt ne judex, præoccupato animo, præter fas pronuntiet; unde jura canonica voluerunt in talibus rerum adjunctis liberum fore reo recusare judicem. « Quod suspecti et inimici judices esse « non debeant, et ipsa ratio dictat, et multis exemplis pro« batur, » ait sanctus Nicolaus papa. (Cap. 15, causæ III, quæst. v.)

Recusatio proponitur in libello, in quo simul rationes ex-

[1] Actiones criminales præscribuntur spatio XX annorum, a die commissi criminis; quinquennio præscribitur actio ad accusandum de peccato carnis, exceptis adulterio, incestu, stupro vi illato, et sollicitatione ad turpia in sacro tribunali. Reiffenstuel, n° 179; Schmalzgrueber, n° 120, in tit. DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

ceptionis allegantur. Nullus est judex, præter unum S. Pontificem, qui non possit recusari ; siquidem jura sunt absoluta, et respectu omnium militat eadem ratio æquitatis naturalis.

Judicium de objecta exceptione ob judicem suspectum fertur, non ab ipso judice cujus interest, sed a superiore, vel ab arbitris, uti statutum legitur in cap. *Secundo requiris*, 41, et *Cum speciali*, 61, DE APPELLATIONIBUS. In priori decretali Cœlestinus III præcepit ut qui affirmat habere judicem suspectum, suspicionis causam coram eodem allegare teneatur, et partes constituant arbitros qui non sint valde remoti, « coram quibus si causa suspicionis intra terminum competentem probata non fuerit, auctoritate sua judex demum utetur. Quod si coram ipsis causa suspicionis probata fuerit, causæ cognitioni supersedere tenebitur recusatus. » Quomodo autem eligi debeant arbitri declarat Innocentius IV in altero textu : reus nempe et judex arbitros mutuo consensu assument ; si non possint in eosdem consentire « ipse unum, et ille alium eligat, qui de suspicionis causa cognoscant ; et si nequiverint in unam concordare sententiam, advocent tertium, ut quod duo ex ipsis decreverint robur obtineat firmitatis... Causa suspicionis probata legitime, de recusatoris assensu personæ idoneæ committat negotium recusatus, vel ad superiorem transmittatur. » Hæc est igitur regula sanctis canonibus sancita pro casu exceptionis contra judicem suspectum : arbitri pronuntiant de ipsa causa suspicionis, non de substantia processus.

Recusato judice suspenditur negotium, cum ex citatis textibus judex supersedere debeat cognitioni causæ donec sublata fuerit exceptio. Dubitatur apud doctores, utrum eo usque suspendatur jurisdictio judicis, ut irrita sit sententia, si forte judex pronuntiaverit, non obstante recusatione. Dicendum videtur suspendi omnino jurisdictionem in duplici casu : 1° si causa suspicionis sit notoria ; 2° si electi fuerint arbitri. His vero exceptis, probabilius est sententiam non irritari ipso

jure, sed obnoxiam fore rescisioni, si appellatio intercesserit apud superiorem judicem, juxta statutum Innocentii III : « quod si justam recusationis causam noluit admittere dele- « gatus, sed coram suspectis eum litigare cogebat, a tali « gravamine potuit licite ad nostram audientiam appellare : « quodque post appellationem hujusmodi est præsumptum, « judicari debet irritum et inane. » Cap. *Super quæstionum*, 27, § 5, DE OFFICIO JUD. DELEGATI.

670. — III° *Quæ juramenta præstentur in judiciis ecclesiasticis?*

Triplex est species juramentorum quæ præstari consueverunt in curiis ecclesiasticis, nempe : juramenta de *calumnia*, de *malitia*, et de *veritate dicenda*. (Cap. *Sæpe contingit*, 2, DE VERBORUM SIGNIFICATIONE, Clem.)

I. Juramentum de *calumnia* præstatur ab utraque parte, actore et reo, qui protestantur se non animo calumniandi, nec partem adversam frustrandi, litem intentare, aut excipere, sed bona fide, intentione jura sua tuendi. Juramentum de *malitia* præstatur, non super integro negotio, sed super parte negotii ; nimirum, super singularibus articulis, et super exceptionibus, ante vel post litis contestationem, quando est aliqua ratio præsumendi dilationem, aut exceptionem proponi fraudulenter causa protrahendæ litis. Juramentum de *veritate dicenda* præstatur a reo, actore, et testibus, ut constringantur obligatione veritatem sincere detegendi, prout eam noverint.

II. Juramentum de *calumnia* et de *malitia* præstari necessario debet, jure communi Decretalium, si ab alterutra parte litigantium petitum fuerit. Hoc prius præstat actor qui ad litem provocavit; deinde reus qui litem excipit. Si alteruter juridice requisitus abnuat jurare, causa eo ipso cadit; scilicet actor suam actionem deserere, reus pro confesso haberi censetur. Verum, a diuturno tempore, obsolevit praxis hujus juramenti in curiis ecclesiasticis; quapropter cum illud memorandum duxerimus solummodo ad intelli-

gentiam canonum, non diutius immorari expedit in discutione quæstionum practicarum quas canonistæ pertractant in suis commentariis tituli VII DE JURAMENTO CALUMNIÆ, lib. II Decret. Juramentum de *veritate dicenda* usu constanti tribunalium retinetur. Judex illud necessario exigere debet a testibus, uti infra dicetur; quatenus autem illud deferre possit aut debeat actori et reo, paucis dicemus, distinctione prius habita causarum civilium et criminalium.

III. In causis civilibus, juramentum defertur aliquando ab alterutro litigantium approbante judice, aliquando ab ipsomet judice ex officio, ei qui probationem semiplenam dedit, ut religione juramenti suppleat id quod suis probationibus deest; quæ melius ex dicendis enucleabuntur. (N° 678.)

In causis criminalibus, actor non præstat juramentum, et si præstiterit, nihil exinde roboris accedit actioni; nisi enim plene probaverit delictum reo objectum, sententia condemnatoria nequaquam proferenda est.

Nec etiam reus tenetur juramentum præstare de dicenda veritate contra semetipsum. Benedictus XIII hoc juramentum per reos criminaliter inquisitos præstandum subtulit atque submovit, in concilio provinciali Romæ celebrato an. 1725, quia quotidiana experientia compertum erat nihil ex praxi veteri utilitatis elici, quin potius multis perjuriis occasionem dari. « Nec juramentum hujusmodi, inquit, ullatenus a reis « in futurum per quoscumque judices et ministros, sub quo- « cumque prætextu, causa et quæsito colore, volumus, exi- « gatur; alias examen, sive constitutum, ac acta omnia nulla « sint eo ipso et irrita, omnique careant contra reos effectu. » (*Conc. prov. Rom.*, tit. XIII, cap. II.)

Tametsi hoc decretum solis Ecclesiis in ditione temporali Sanctæ Sedis constitutis indictum sit, ubique eadem prævaluisse videtur disciplina, quia ubique urgent eædem rationes, quas brevi compendio his verbis indicat concilium Romanum:

ne illa penitus exigantur, sacri ipsa juramenti ratio postulat et suadet.

671. — *Nota.* Clericis olim vetitum fuit præstare juramentum, non obtenta prius licentia sui superioris. Episcopi tenebantur adire S. Pontificem, et clerici suum respectivum Episcopum. Cap. *Inhærentes*, 1, DE JURAM. CALUMNIÆ. Huic disciplinæ in honorem clericalis ordinis, ab ipsismet principibus sæcularibus inductæ, derogatum est consuetudine. « Quoad facultatem obtinendam a S. Pontifice pro præstando « juramento ab Episcopo, ait Giraldi, et obtinendam ab hoc « respectu clericorum, derogatum est contraria consuetu- « dine, propter difficultatem recurrendi in omnibus casibus « ad Pontificem respectu Episcopi, et ad Ordinarium res- « pectu clericorum... et hoc procedit de quocumque jura- « mento. » Idem canonista animadvertit invaluisse consuetudinem ut Cardinales, Episcopi, et clerici in sacris constituti juramentum præstent in judiciis, non tactis, nec exhibitis Evangeliis, sed manu pectori admota. Extra judicium, quando, v. g. emittunt professionem fidei, jurare consueverunt tactis Evangeliis. (*Expositio juris Pontificii*, part. I, sect. CCXXXIII et CCXXXVII.)

672. — IV° *Quid et quotuplex sit probatio, et qualis requiratur ad ferendam sententiam?*

I. Probatio de qua in præsenti agitur est argumentum ex quo judex deducit quid sentire, ac pronuntiare debeat de re, aut de facto dubio et controverso.

Probatio vocatur *judicialis* quando producitur intra curiam, lite incœpta, et ordinatur ad sententiam. Probatio fit ut veritas incerta et occultata detegatur coram judice; siquidem ipsius est pronuntiare sententiam expetitam a partibus, nec eam proferre valet, donec cognoverit quid de re dubia et controversa sentiendum sit. Porro, veritas detegitur per argumenta idonea, id est, quæ ad rem propositam faciunt, et sic veritati connectuntur, ut ex illis attente discussis judex

necessario concludere debeat, aut probabiliter inferre, in quonam sensu causa definienda sit.

Probatio duplex est : alia plena, altera semiplena. Probatio plena ea est quæ plenam fidem facit judici de re in litem deducta, et ita ejus mentem circa causam instruit, ut nullo alio requisito sententiam ferre valeat, et controversiam definire. Probatio *semiplena* ea est quæ vim quidem habet movendi et inclinandi animum judicis versus unam partem, sed non cum morali certitudine quæ sufficiat ad proferendam sententiam, in causis præsertim gravioribus. Hujusmodi probationem suppeditat depositio unius testis, vel etiam depositio plurium si non sint omni exceptione majores. Sunt gradus diversi utriusque probationis quos determinare solent homines æstimatione morali, et quandoque semiplena probatio ad plenam propius accedit. Animadvertere præterea oportet duas semiplenas probationes, si conjungantur, et ad unum eumdemque finem tendant, quandoque dare moralem certitudinem, ac proinde æquiparari probationi plenæ : quæ enim non probant singula, collecta juvant.

673. — II. Probationem requiri nemo est qui non fateatur, sed duo inquirenda veniunt : 1° Cuinam incumbat onus probandi ; 2° utrum plena probatio semper requiratur ; an semiplena quandoque sufficiat.

Ad 1^um^ : dicendum est onus probandi incumbere regulariter actori, eoque non probante reus absolvitur. « Accusator, quod « asseverat probare se non posse confitendo, reum necessi- « tate contrarium probandi non adstringit, cum per rerum « naturam, factum negantis probatio nulla sit, » ait sanctus Gregorius, cap. *Accusator*, 2, caus. VI, quæst. V.

Regulam statuit jus naturale ; æquum enim est ut ille probet qui affirmat rem dubiam in alterius præjudicium, nisi tamen habeat pro se præsumptionem juris : atqui actor est qui affirmat, et reus negat. Si contingat reum ipsum affir-

mare, uti quando exceptiones opponit, tenebitur probare, quia sub eo respectu, quoad scilicet oppositionem exceptionum actorem quadamtenus gerit; tenebitur etiam quoties intercedit in gratiam actoris præsumptio juris, siquidem mox dicetur eam esse vim præsumptionis ut onus probandi transferat in illum contra quem militat.

Ad 2^um^ : probatio plena requiritur in causis criminalibus, et etiam in causis civilibus quæ possunt nocumentum grave inferre.

In jus canonicum translata est hæc regula juris Romani, quæ principiis legis naturæ innititur : « Sciant cuncti accusa-« tores eam se rem deferre debere in publicam notitiam, quæ « munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis do-« cumentis, vel indiciis ad probationem indubitatis et luce « clarioribus expedita. » Caus. II, quæst. VIII, cap. 2. Verba hæc *luce clarioribus* intelligas de documentis quæ veram certitudinem moralem inducant, quod sufficit; alioquin vix ulla esset causa quæ perduci posset ad sententiam.

Semiplena probatio quandoque sufficit in causis civilibus; quod nonnullis casibus adductis explicare opportunum est. 1° Unius testis depositio probat sufficienter in iis quæ nemini nocent et alteri prosunt; v. g., si testis ætatis maturæ et indolis quæ suspicionem removeat, testetur de baptismo collato. (Cap. *Cum itaque*, 112, dist. IV, DE CONSECRATIONE.) 2° Semiplena probatio sufficit ut judex sententiam ferat de matrimonio non contrahendo, id est interdicat partibus quominus contrahant matrimonium. (Cap. *Præterea*, 12, DE SPONSALIBUS; — *Super eo*, 2, DE CONSANGUINITATE.) 3° Quando gravia sunt indicia delicti, quamvis non plenam probationem afferant, potest judex, pro suo prudenti arbitrio, ratione habita circumstantiarum, reum pœna moderata afficere, interdicere ad tempus sacris functionibus, vel etiam ab officio manuali removere. Innocentius III interrogatus an deponi debuerit Abbas quem accusaverant crimine simoniæ testes non omni

exceptione majores, respondit : « Tales contra talem diximus « admittendos, non secundum rigorem juris, sed secundum « temperantiam æquitatis, cum ageretur non criminaliter ut « deponeretur ab ordine, sed civiliter ut amoveretur tanquam « immeritus et damnosus; et utique tales prælati ex leviori- « bus causis possunt ab administratione removeri. » (Cap. *Per tuas*, 32, DE SIMONIA, lib. V Decretalium.) Decisio data ab Innocentio confirmat nostram assertionem, cujus quidem ratio desumitur tum ex præsumptione gravi quam suppeditat probatio semiplena quæ, uti supponimus, non eliditur ab aliis argumentis productis in gratiam rei, tum ex necessitate avertendi periculum scandali, si fideles, ob indicia publica vel famam popularem, reputent clericum esse delicti reum.

Notandum præterea est hæc gravia indicia delicti dare locum præsumendi clericum se temere et inconsiderate gessisse, quod superior attendere debet, ut salubri monito eum ad sapientiorem agendi rationem reducat.

674. — V° *Quæ sint præcipua capita probationis?*

Præcipua capita probationis sunt : confessio rei, instrumenta, præsumptiones et depositio testium.

I. CONFESSIO REI.

Confessio est judicialis, si fiat coram judice pro tribunali sedente; dicitur extrajudicialis, si fiat extra judicium, etiamsi coram judice, sed uti privata persona.

1° Confessio extrajudicialis non suppeditat per se probationem plenam, quia reus potuit extra tribunal confiteri factum, non seria mente, sed levitate animi, inconsiderantia, jactatione; si tamen factum fassus fuerit coram adversario, et idoneis rogatisque testibus, vel etiam absente adversario, coram viris fide dignis, haberi aliquando potest uti certum argumentum veritatis.

2° Confessio judicialis plenam probationem affert in causis criminalibus, non secus ac in civilibus, modo fiat coram judice competente, sponte, et ex certa scientia, non ex errore

facti. Cap., *At si*, 4, DE JUDICIIS. « Si coram Episcopo de cri-
« minalibus in jure confessi sunt,... suspendendi sunt a suis
« ordinibus, vel perpetuo removendi. »

Eadem Decretali cavetur ne clerici ideo solum condemnentur quod crimen sibi objectum confessi fuerint coram judice sæculari. Requiritur insuper spontanea confessio; si enim extorquetur importunis instantiis, pœnarum metu, ve etiam fallaci promissione veniæ, suspecta esse debet judici; cum reus forte adducatur ad confitendum delictum metu gravioris mali, vel spe veniam certius obtinendi, potius quam amore veritatis[1]. His adde quod æquitati naturali minime conveniat aliquem induci promissione dolosa ad confessionem sui delicti, ita ut dispendium sustineat unde debuerit misericordiam impetrare. (Cap. *Sane*, 7, DE RENUNTIATIONE.) Alia tandem conditio est ut reus confiteatur ex certa scientia. Si quis errore facti aliquid asseveret in sui præjudicium, poterit, donec saltem causa non fuerit finita, errorem retractare. Id dictat jus naturale, et consonat statutis canonicis. (Cap. *Ex parte*, 3, DE CONFESSIS.)

3° Disputant canonistæ utrum et quatenus reus confiteri teneatur præsertim in criminalibus. Omnes admittunt reum qui non interrogatur juridice, non teneri aperire veritatem, etsi aliunde non debeat mentiri, quod lege naturali vetitum est. Judex non interrogat juridice, quando non est in suo foro vel de occultis interrogat, quin præiverint certa indi-

[1] Olim tortura adhibebatur in causis criminalibus ad obtinendum confessionem rei quando gravia erant indicia criminis, et ad moralem certitudinem prope accedentia; sed confessio facta in torturis non sufficiebat ad imponendam pœnam ordinariam, nisi reus post intervallum unius aut plurium dierum, extra locum torturæ constitutus, suam confessionem sponte renovavisset in præsentia judicis et assessorum. (Reiffenstuel, in tit. I, lib. V Decret., nis 472-482.) A diurno tempore cessavit usus torturæ in curiis sæcularibus; et cum Ecclesia in hunc modum inquirendi de crimine non consentiret nisi propterea quod erat in moribus omnium gentium, illico ab illo absistendum voluit.

cia, vel præcesserit accusatio, seu denuntiatio criminis cum semiplena probatione.

Si judex interrogaverit servato juris ordine, generaliter dicunt reum teneri aperire veritatem, quia judex jus habet interrogandi. Hanc obligationem supponit, nihil tamen de ea definiendo, Benedictus XIV in Const. *Paterna* (an. 1755), dum commendat confessariis ut admoneant incarceratos de obligatione delicta sua aperiendi judici; alioquin absolutionem sacramentalem sine fructu perciperent, cum majori suarum animarum detrimento.

Multi exceptionem apponunt pro casu quo grave damnum reo imminet ex sua confessione : adeo ut, quemadmodum ex dictis supra (670) non tenetur in causa criminali præstare juramentum de dicenda veritate contra se, ita nec, semoto etiam juramento, veritatem dicere teneatur. Quinimo in talibus adjunctis reus, juxta eosdem doctores, jurare posset se non commisisse crimen, subintelligendo se non commisisse *quatenus teneatur confiteri*. S. Liguori habet hanc opinionem satis probabilem [1], etiam intrinsece, quia non videtur urgere legem adeo duram, ac humano modo impossibilem ut quis teneatur sese aliquatenus condemnare ad pœnam gravissimam, suum delictum confitendo, nisi commune periculum ex reticentia immineat : porro ubi delictum est semi-occultum, et desunt probationes, non tanti interest boni publici ut reus puniatur. Quidquid sit de illa quæstione speculative considerata, cum theologi non consentiant, et plerique rei non existiment se teneri aperire veritatem cum tanto sui periculo, caute omnino procedendum omnes admonent, ne illis detegatur ac imponatur obligatio, cui probabiliter non obtemperabunt.

675. — II. Instrumenta.

Instrumenta sunt scripturæ aptæ ad fidem faciendam : alia sunt publica, alia privata.

[1] S. Liguori, lib. III, n° 156; lib. IV, n° 274.

1° Duplex distinguitur instrumentum publicum : primum vocatur *protocollum*, « quod est, ait Schmalzgrueber, sum-« maria quædam et succincta actus gesti annotatio, memoriæ « causa facta, ex quo postea instrumentum in solemnem for-« mam redigitur. Alterum vocatur *transumptum* : est authen-« ticum originale, quod ex protocollo sumitur et debita forma « seu requisitis solemnitatibus conficitur[1]. » Conditio essentialis utriusque scripti, ut habeatur instrumentum publicum, est quod confectum sit de manu notarii seu tabellionis creati et constituti ab habente potestatem. Libri parochiales quibus consignantur nomina baptizatorum, matrimonio junctorum et defunctorum videntur annumerandi instrumentis publicis; siquidem parochi constituuntur, jure canonico ex decretis concilii Tridentini, testes juridici in hac materia.

Instrumentum publicum, tam protocollum quam transumptum, suppeditat plenam probationem. Qualitas personæ notarii quem publica auctoritas constituit, ejus fides juramento obfirmata, solemnitates ipsæ quibus instrumentum conficitur, removent suspicionem fraudis : sunt præsumptiones graves veritatis quæ sufficiunt ad testificandum quod gestum narratur, nisi certis argumentis demonstretur intervenisse fraudem seu errorem.

2° Instrumenta privata ea dicuntur quæ sunt confecta a persona privata vel sine debitis solemnitatibus. Hæc instrumenta alia sunt authentica, alia non. Authentica habentur scripta ex archivo publico deprompta; item quæ munita sunt sigillo publico, nimirum principis, Episcopi, capituli, alteriusve communitatis habentis jus sigilli. Cætera scripta, v. g. scripturæ privatæ, epistolæ, regesta individuorum, non reputantur authentica. Instrumenta authentica æquiparantur publicis, eo quidem sensu quod certo constet scripta non esse supposita, etsi disputari possit de veritate factorum in iisdem instrumentis relatorum.

[1] In tit. DE FIDE INSTRUMENTORUM, n° 2, 4.

Quæ autem nullo authenticitatis signo vestiuntur, possunt suppeditare plenam, aut semiplenam probationem; vel e contra vi penitus destitui ad probandum, pro varia illorum conditione. Scripturæ privatæ plurium testium signatura munitæ plane sufficiunt. Idem dicemus de scriptis quibus reus factum contra se ipsum testatur; hæc est enim confessio quæ magis probat in scriptis, v. g. in epistolis, vel registris obsignata, quam si oretenus fieret.

676. — III. Præsumptiones.

Præsumptiones sunt conjecturæ probabiles ortæ ex indiciis factum immediate attingentibus. — Duplicis generis sunt præsumptiones : aliæ *hominis*, aliæ *juris*.

Præsumptio *hominis* est conjectura quam ducimus ex rei aut personæ qualitate, ex fama, aliisve signis. Hæc præsumptio est levis, temeraria, probabilis, gravis, vehemens, prout indicia sunt magis, minus aut gravius apta ad inclinandum assensum viri prudentis; prout scilicet, attentis humanis moribus et communi æstimatione, habent connexionem probabilem, probabiliorem aut moraliter certam cum rei veritate.

Præsumptio *juris* locum habet, ubi, lege ita ordinante, factum præsumitur, et verum reputatur, quamdiu hæc præsumptio contraria probatione elisa non fuerit. Sic, ut nonnulla exempla citemus : 1° Præsumitur baptizatus qui natus est et educatus inter christianos. (Cap. *Veniens*, 3, de Presb. non baptiz.) 2° Præsumitur legitimus qui natus est ex uxore cum suo marito cohabitante. 3° Præsumitur mala intentione egisse qui maleficium perpetravit. (Cap. *Sicut noxius*, 1, de Præsumptionibus.) 4° Præsumitur contra illum qui judicium subterfugit. (Cap. *Nullus*, 4, eod. tit.) 5° Qui semel malus fuit, præsumitur in eodem genere delicti malus, nisi probetur fuisse emendatum; unde illa regula juris 8ª in vi°, *Semel malus semper præsumitur malus.* Hoc non eo sensu sumendum quod judex debeat condemnare reum ob illam solam præ-

sumptionem ; verum sic valent hujusmodi præsumptiones ut anteacta vita multum faveat aut præjudicet reo prout conversationem bonam aut malam habuerit, in eo genere causæ propter quod coram tribunali adducitur.

Porro, hæc est generatim vis præsumptionum :

1° Præsumptio *juris* illum liberat ab onere probandi in cujus favore stat, et sufficit communiter ad sententiam ferendam, nisi elidatur probationibus in contrarium. Ita omnes canonistæ, et huic regulæ conformis est jurisprudentia tribunalium. Quinimo, est aliqua præsumptionis species quam doctores vocant *juris et jure*, ita firma ut regulariter lex non admittat probationes in contrarium, ut in casu capitis *Ad id*, 21, DE SPONSALIBUS, de muliere quæ per notabile tempus commorata est cum marito. Licet ei tradita fuerit invita et renitens in matrimonium, si postmodum ipsi cohabitaverit libere, consensisse præsumitur, nec est admittenda postea ad probandum per testes quod non dederit consensum.

2° Præsumptio *hominis* non sufficit in causis criminalibus ad ferendum judicium ; sufficere autem potest in causis civilibus si sit vehemens ; si autem sit probabilis tantum dat probationem semiplenam quæ, nisi adjungatur aliis adminiculis, est insufficiens.

Ratio primæ partis hujus asserti est quod ad condemnandum in criminalibus requirantur indicia indubitata, documenta certa : porro, tales non sunt præsumptiones hominis quæ non transcendunt limites conjecturæ. (Cap. *Litteras*, 14, DE PRÆSUMPTIONIBUS.) Excipiamus tamen præsumptiones quas canonistæ vocant vehementissimas, quæ nimirum exoriuntur ex actibus delicto proximis, et, attentis moribus humanis, huic ordinarie annexis, adeo ut moralem certitudinem facti inducant, ut in casu capitis *Litteris*, 12, eod. tit., de muliere reperta cum viro in eodem lecto decumbente, in circumstantiis quæ indubia argumenta dant peccati carnalis

Hæc indicia eamdem, ad minus, dant certitudinem ac depositio duorum testium, et si recte loqui volimus non meram præsumptionem, sed veram et plenam probationem subministrant; sufficiunt proinde ad judicium ferendum... Multa sunt crimina, v. g. incestus, adulteria, simonia, quæ vix unquam puniri possent, si tales probationes non haberentur sufficientes. (Schmalzgrueber, n^is 13-23.)

Ratio secundæ partis est quod, ex antea dictis, in causis civilibus quandoque sufficiat probatio semiplena quæ ad moralem certitudinem accedit, quod in nostra assertione evenire supponimus. Textus Decretalis *Afferte*, 2, eod. titulo, ubi adducitur exemplum judicii Salomonis, et cujus summarium hoc est : *Ex violenta præsumptione fertur definitiva*, probat assertionem.

Ratio tertiæ partis est satis manifesta : quapropter, nisi aliæ probationes huic præsumptioni se admisceant, simulque conjunctæ certam rei cognitionem producant, abstinere debet judex a ferenda sententia. *Quia verisimile*, 10, eod. titulo.

677. — IV. Depositio testium.

Multa sanxit jus canonicum circa depositionem testium quæ præcipuum locum tenet inter probationes juridicas.

Præscripsit 1° quinam testes sint admittendi; 2° modum quem servare debeant deponendo; 3° conditiones ut valeat illorum depositio.

I. Regula generalis, jure naturali et canonico constituta, est tales admittendos testes ut nihil possit rationabiliter apponi ad rejiciendam illorum depositionem.

Hinc excluduntur qui ob suam conditionem servilem, vel morum pravitatem, aut cognationem cum iis quorum interest, in legitimam suspicionem veniunt, ne lucri causa vel prava calumniandi intentione, aut affectu familiæ, falsum deponant. Servi, infames, excommunicati, notorie criminosi non admittuntur ut testes. (Cap. *Denique*, 1, de Exceptioni-

BUS.) Parentes, conjuges, affines, amici, domestici, non admittuntur in causis parentum, dominorum, amicorum... Advocatus non admittitur in causa quam defendit, nec judex in ea quam judicat, nec quivis alter in iis quæ suis commodis inserviunt.

Hæ tamen exceptiones non sunt ita absolutæ ut nunquam judex valeat testes advocare quos regulariter jus canonicum arcet, si alii desint qui testificari possint; modo pars cujus interest nullam exceptionem fundatam illis opponat.

II. Testes non debent, generatim loquendo, sponte sua adire judicem; sed si juridice advocentur, comparere personaliter debent, nisi justa causa excusentur.

Caput *Illi*, 4, Caus. v, q. v, admonet judicem ne facile admittantur qui aliorum crimina sponte confitentur; quia pertimescendum est ne alio motivo ad id incitentur, quam amore sincero justitiæ et religionis. Quos autem judex citat debent citationi obsequi; si enim superiori incumbat onus atque officium prosequendi vindictam delictorum, ut servetur disciplina, necesse est ut ipsi præsto sint media quibus veritas detegatur, et regulariter non alia dantur media præter testium depositionem : ergo judex valet renuentes cogere per censuras ecclesiasticas. Cap. *Dilectorum*, 10, DE TESTIBUS COGENDIS.

Honorius III videtur in hac decretali obligationem non urgere in causis criminalibus, quoniam esset sæpe nimis onerosa : verum, exceptionem vincit necessitas servandi disciplinam; deficientibus enim testibus crimina graviora remanerent impunita. (Cap. *Venerabilis*, 11, *Pervenit ad nos*, 4, eod. titulo.)

Legitime excusantur senes et alii quos valetudo domi detinet, mulieres quas non convenit advocare coram tribunali, uti alias jam observatum fuit (n° 667); parentes quos judex cogere non debet ad testificandum contra suos; qui se-

cretum spoponderunt, si tamen rem noverint sub prævia conditione hoc secretum servandi; est quippe in eo casu depositum rei alienæ quod violari vetat lex naturalis, præsertim quando secretum alicui commissum fuit ratione officii.

III. Testes debent, antequam deponant, juramentum præstare in præsentia utriusque partis, coram judice, et in loco actibus judicialibus destinato, nisi expediat alteri judici eorum examen committere, aut ratione dignitatis vel infirmitatis, vel alia justa causa, judex debeat ad eorum domum accedere. Jurare tenentur se veritatem, sicut in conscientia noverint, ad articulos et interrogatoria sibi proponenda, fideliter dicturos.

Quod juramentum necessario sit præstandum, omnes consentiunt. « Nullius testimonio, quantumcumque religiosus « existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium credi « debet. » (Cap. *Nuper*, 51, DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.) Regula servatur sine ulla exceptione in judiciis solemnibus; in judiciis summariis servari etiam debet quoties vel judex requirit, vel postulat pars cujus interest.

Certo etiam constat juramentum regulariter, quoad fieri potest, præstandum esse in præsentia partium; ita enim expressis verbis statuitur in decretali *In nomine Domini*, 2, DE TESTIBUS. « Admonendus est semper adversarius ut ad au« diendum testes veniat: quod quia hic omissum est, ne« cesse est ut quod contra legem actum est, non habeat « firmitatem. » Idem supponunt alii plures canones; unde concilium Lateranense hæc statuit : « non solum dicta sed « nomina testium sunt reo publicanda, ne per suppressionem « nominum, infamandi audacia præbeatur. » (Cap. *Qualiter et quando*, 24, DE ACCUSATIONIBUS.) Ratio hujus regulæ neminem latet; est enim æquitati naturali fundata. Reus debet habere plenam libertatem sese defendendi et legitimas exceptiones, si quæ sint, opponendi contra testes; atqui plerumque difficillimum erit defensionis opus, si reus ignoret nomina et

dicta testium : quid enim si inimicitias habeant contra reum, ob circumstantias quas ipse solus noverit. (Cf. Schmalzgrueber in tit. xx lib. II Decret.)

Dixi *regulariter*, *quoad fieri moraliter potest*. Hodierna ætate hæc communicatio est sæpe ita difficilis apud nos, ne impossibilem dicam, ut judex debeat causam indiscussam dimittere, aut testes secreto audire, nomina illorum occultando. Quis autem malit causas indiscussas dimitti et delicta impunita, quam recedi ab ordine præscripto? Animadvertemus ea de re 1° legem naturalem non ita necessarium reddere ordinem præfinitum, tametsi valde optandum sit ut servetur, quoad fieri potest. Hoc solum requirit ut reus non condemnetur, absque prævia probatione delicti : at vero, etiamsi testes non producantur in publicum, nec nomina eorum reo communicentur, illorum qualitates aliunde bene cognitæ, rerum adjuncta, aliæque circumstantiæ, possunt producere certitudinem moralem; ergo judex illæsa æquitate procedet contra reum, non adductis coram illo testibus, quoties moraliter impossibile fuerit aliter agere[1]. 2° Quod ad jus positivum attinet, doctiores canonistæ tradunt legem generalem habere exceptiones in variis casibus inter quos allegant casum quo gravissimum periculum immineret testibus. Ita Leurenius, Pirhing, Reiffenstuel... Ergo non ita urgere censetur, ut potius debeat judex abstinere ab exercitio jurisdictionis contentiosæ, quam a regula scripta recedere. 3° Confirmatur ex cap. *Statuta*, 20, DE HÆRETICIS, in VI° in quo legimus : « Si accusatoribus vel testibus, in causa hæ- « resis intervenientibus, videant Episcopus vel inquisitores « grave periculum imminere, si fieri contingat publicationem « nominum eorum, ipsorum nomina non publice, sed secreto « aliquibus personis providis et honestis (quas ad hoc vocari,

[1] Hæc fuit praxis tribunalium Inquisitionis, quam viri gravissimæ auctoritatis, inter quos unum memorabimus Cardinalem Ximenes, necessariam omnino arbitrati sunt (n° 688).

« et eis totum processum super quem deliberandum est se-
« rio manifestari et integraliter explicari, et de ipsorum
« concilio ad sententiam procedi volumus) exprimantur,
« sicque adhibeatur plena fides depositioni testium. » Bonifacius VIII qui hanc edidit constitutionem voluit efficacius providere securitati testium et accusatorum, indicta lege secreti, sub comminatione pœnæ excommunicationis, personis quas Episcopus, seu inquisitores, sibi ad causæ deliberationem associarunt.

Decretum latum quidem fuit pro causa hæresis, sed eadem ratio militat in aliis causis, quando maxime refert ad bonum Ecclesiæ et eadem urgent pericula. Casu igitur adveniente, hæc esse videtur ratio tenenda : 1° conferri debet necessitas providendi bono Ecclesiæ cum periculo infamandi reum, si forte deficiant probationes; 2° si ratio boni publici urgeat causam prosequi, judex expendere debet indicia delicti, maxima cura; majori certe quam si reo daretur facultas se tuendi contra adversarios, ut eo modo compensetur discussio testium coram reo et removeatur periculum erroris; 3° opportunum valde esset sequi regulam agendi a Bonifacio VIII datam, sibi nimirum consociare idoneas ac discretas personas in judicio causæ. Si cuncta eo ordine moderentur, præsumitur, et merito quidem ut nobis videtur, Ecclesiam consentire ut in ea parte recedatur, quantum temporum necessitas requirit, a regula canonica præfixa in cap. *Qualiter et quando*, et in cap. *In nomine Domini*, 2, DE TESTIBUS.

IV. Postquam testes coram judice juramentum emiserunt sigillatim et secreto, remotis partibus, a judice cum notario super articulis et interrogatoriis ordinatim examinantur, et debent viva voce respondere, causamque scientiæ afferre, an ipsi viderint factum, an audierint... Recepta responsio in scripturam redigitur a notario et eidem testi legenda est, ut videat an aliquid adjungere, aut detrahere, aut mutare debeat; est etiam per judicem, ipsumque testem subsignanda.

Omnibus testibus rite examinatis, depositiones clausæ asservantur penes judicem, usque ad publicationes earum, ne ad partium notitiam perveniant ante tempus opportunum. (Schmalzgrueber, n^is 86, 101, 102.)

V. Ut valeat testimonium et producat probationem plenam, requiritur depositio duorum saltem testium qui contestes sint et ex propria scientia testentur.

« Licet quædam sint causæ quæ plures quam duos exigunt « testes, nulla est tamen causa quæ unius testimonio, quam« vis legitimo, terminetur. » (Cap. *Licet*, 23, eod. tit.) Olim plures testes requirebantur in judiciis Episcoporum; sunt ea de re canones antiqui quos memorare necesse non est, cum in desuetudinem a multis sæculis abierint, et juxta præsentem disciplinam omnes causæ terminari possint depositione duorum aut trium testium, omni exceptione majorum.

Verumtamen omnino requiritur ut sint *contestes*, ut aiunt canonistæ, id est de eodem facto testentur; nam juxta axioma vulgare apud jurisperitos : *mille testes singulares, tantum probant quantum unus;* quod intelligendum de attestationibus vere singularibus circa res quæ nullam inter se connexionem habent[1]. Si attestationes, quamvis sint de circumstantiis diversis, vel adjunctis, ad idem factum principale referuntur, multum inservire valent ad detegendam veritatem et ad promovendum judicium. Addidimus attendendum esse an depositiones testium sint ex propria scientia, quod judex considerare sedulo debet; ratio enim dictat vim moralem testimonii inde procedere quod sit clarum, firmum, de scientia propria. « Mandamus, ait Innocentius III, quatenus « recipias testes, de singulis circumstantiis diligenter inqui-

[1] Ne delictum sollicitantis ad inhonesta in confessionali remaneat impunitum, ob defectum probationis, Gregorius XV, const. *Universi dominici* statuit ut admittantur testes singulares, *concurrentibus præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis,* sine quibus sufficiens non foret depositio testium ut crimen probatum censeatur.

« rens, de causis videlicet, de personis, loco, tempore, visu, « auditu, scientia, credulitate, fama, certitudine; cuncta « conscribas. » (Cap. *Cum causam*, 37, DE TESTIBUS.)

678. — VI° *Utrum et quatenus judex debeat communicare reo seriem processus, cum petitionibus seu articulis partis adversæ, deferre juramentum partibus et constituere terminum ad exceptiones, defensionem, ac conclusionem causæ?*

I. Concilium Lateranense eodem decreto quo statuit ut, tam in ordinario quam in extraordinario judicio, judex adhibeat notarium qui fideliter universa judicii acta conscribat, videlicet : citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones rei, depositiones testium, instrumentorum productiones, interlocutiones, et cætera quæ occurrerint, addit : « Omnia sic « conscripta partibus tribuantur, ita quod originalia penes « scriptores (notarios) remaneant, ut si super processu ju- « dicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas decla- « rari. » (Cap. *Quoniam*, 11, DE PROBATIONIBUS.) Hæc communicatio ita necessaria reputatur a canonistis peritioribus in praxi juris canonici ut, si non fiat, processus judicialis debeat rescindi.

Simul, cum exemplari actorum judicialis processus, communicantur *petitiones*, seu *articuli* partis adversæ, quas actor viva voce ponet et scripto dare curabit, ut reus plene noverit in quo constituatur causa. Scilicet ab exordio, in ipsa litis contestatione, actor posuit assertiones alicujus facti, vel juris ad causam controversam pertinentis, quæ assertiones, in stylo forensi, petitiones seu articuli nuncupantur. In causis criminalibus capitula dici solent. Cum autem in processus decursu, reus alias forte ex petitionibus confessus fuerit, alias sufficienter confutaverit, reliquum est ut actor declaret quasnam retinere ac probare contendit, ut de his petitionibus reus respondeat, ac deinceps judicium feratur.

II. Judex constituit reo et actori terminum, ut suas exce-

ptiones, defensiones, et replicationes proponant, ne causa indefinito tempore protendatur. Jura volunt arbitrio judicis dimitti diei indictionem : si tamen præstitutum tempus non videatur reo sufficiens, æquitatis est ut judex illud proroget, modo non expetatur nimia dilatio ad procrastinandum.

Præfinita die reus exceptiones exhibet contra probationes e sua confessione, ex instrumentis, e præsumptionibus, e testium attestationibus, vel aliunde datas; et defensiones ad sui tuitionem proponit. Quod ad testes attinet, non debet excipere contra ipsam testium personam si eos, antequam juramentum præstarent, admiserit sine ulla exceptione, nisi tamen post publicationem actorum processus, innotuerit causa suspicionis. Sed jus habet excipiendi contra dicta testium; v. g. si vacillare et variare visi sint, si dubitative vel obscure et confuse testimonium dixerint; item si duo, aut plures testes sub eadem verborum forma deposuerint, quia præmeditatum sermonem afferre videntur.

Posteaquam reus suas exceptiones ac defensiones expedierit, licet actori replicare ut hæc media propellat, si vana esse reputaverit; vicissim replicare datur reo, et sic deinceps, quamdiu judici expedire videbitur ad causæ elucidationem, ita tamen ut ultimus sit semper reus in respondendo.

III. Actor potest, approbante judice, deferre juramentum reo in causis civilibus ordinariis, ut ex eo litis decisio pendeat; reus item potest actori juramentum referre. Oblatum autem juramentum neuter recusare potest, nisi habeat justam causam recusandi, ut si deferatur reo contra quem nihil probavit actor, aut actori qui plenam probationem attulit. Delato et emisso juramento, ex dictis illius qui juravit ferendum est judicium; in id enim consensit pars deferens juramentum : idcirco hujusmodi juramentum *decisorium* vocatur. Judex potest etiam juramentum *suppletorium* ex officio deferre ei qui factum controversum semiplene probavit ut ipsam probationem compleat; et juramentum *purgatorium* illi deferre con-

tra quem aliqua est probatio semiplena, ut a petitione se liberet. Sed summo cum moderamine et perraro hoc jure utatur in causis civilibus, ne perjuriis detur occasio; nunquam in criminalibus, nec in causis matrimonialibus, cum in hujusmodi causis probationes perspicuæ et plenæ tantummodo admittantur. Post demum editas probationes, judex constituit finem certamini juridico partium, et eas pro certa die citat ad audiendam sententiam.

ARTICULUS III. — DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

679. — I° *Utrum et quatenus judex teneatur pronuntiare juxta allegata et probata?*

Ex dictis in articulo præcedente colligitur judicem non posse ferre sententiam condemnatoriam in causis criminalibus, nisi data sit probatio plena contra reum; posse vero pronuntiare in causis civilibus juxta probabiliorem partem, cum scilicet semiplena probatione, quæ eo propius accedere debet ad plenam probationem, quo est gravioris momenti negotium; tandem teneri pronuntiare in gratiam rei, eum dimittendo a petitione liberum, quando res dubia remansit post expeditam litis discussionem; siquidem juxta regulas juris : *cum sunt partium jura obscura reo favendum est potius quam actori... In obscuris minimum est sequendum... In pari causa potior est conditio possidentis.*

Canonistæ et jurisperiti consentiunt judicem teneri regulariter ad pronuntiandum juxta allegata et juridice probata. Controvertitur autem utrum ordinem præstitutum servare etiam debeat in casu quo propria scientia certo noverit rem aliter esse quam instrumenta, attestationes, et juris præsumptiones declarant. Multi, duce sancto Thoma, affirmant : dicunt nimirum judicem in tali casu debere testes consideratius examinare; ea proponere quæ ex sua parte novit, modo non didicerit sub lege secreti sacramentalis; si autem nullum medium

suppetat tuendi innocentem posse, imo debere pronuntiare juxta allegata et probata. (2, 2, quæst. 67, art. 2, ad 3^um^.) Alii contrariam opinionem tenent; quia, inquiunt, non licet mentiri, nec damnare innocentem, quod utrumque accidet, si judex pronuntiet contra reum quem noverit a delicto immunem.

Quæstio est maxime intricata. Primam tamen opinionem magis fundatam principiis generalibus juris naturalis arbitramur. Judex non mentitur quando gerens personam publicam, pronuntiat reum esse juridice convictum delicti, et qua talem condemnat; siquidem objectæ sunt in eum probationes plenæ qnæ nulla exceptione elidi potuerunt. Ratio præterea boni publici suadet ut ordo præscriptus judicibus inferioribus accurate servetur, ne voluntate arbitraria, errore personali, seu insita jam animo judicis opinione, a recto tramite justi deficiat sententia; in his enim quæstionibus tam gravis momenti, ad ordinem publicum, ad communiter contingentia, ad regulam, quæ, omnibus attentis, potissimum favet justitiæ, attendere oportet.

680. — II° *Quid et quotuplex sit sententia judiciaria?*

Sententia judiciaria est legitima judicis pronuntiatio quæ causam, sive incidentem sive principalem, definit. Multiplex distinguitur : est nempe interlocutoria, provisionalis et definitiva.

Sententia *interlocutoria* dicitur ea quam judex, inter litis contestationem et conclusionem, pronuntiat super his quæ in eadem causa incidunt vel emergunt : non dirimit causam principalem, sed juvat ad illam promovendam; v. g., si pronuntietur de concedenda vel deneganda dilatione, de admittendo vel repellendo teste contra quem excipitur.

Sententia *provisionalis* ea est qua judex providet necessitati præsenti, antequam de causa principali pronuntiet; ut si jubeat custodiri tale instrumentum, fieri talem inquisitionem, curam haberi beneficii de cujus possessione litigatur. Est

potius cautio adhibita atque præscripta a judice quam sententia proprie dicta.

Sententia *definitiva* causæ finem imponit absolutione, condemnatione, vel declaratione. Præter discrimen essentiale quod ex ipsa definitione intercedit inter sententiam definitivam et interlocutoriam, aut provisionalem, illud notandum quod judex valet suam sententiam interlocutoriam retractare et revocare, etiamsi fuerit jam ab ea appellatum, modo appellatio non sit admissa (cap. *Cum cessante*, 60, DE APPELLATIONIBUS); dum sententiam definitivam, si tamen valide eam tulerit, servatis formis juridicis, atque intra fines sui fori, retractare non potest, excepto casu restitutionis in integrum, de quo agemus infra. (N° 697.) Dicitur in jure Romano : « Judex postquam semel sententiam dixit, judex « postea esse desinit » L. 15 ff. *de re judicata;* et in jure canonico : « quod bene semel definitum est, nulla debet « iteratione, nisi forte ubi major fuerit auctoritas, retrac- « tari. » (Caus. VI, quæst. 4, cap. 6.) Ratio est quod quamdiu de re solummodo incidente agitur, judex in illam servat suam jurisdictionem, donec causam principalem, ad quam res illa refertur, in suo foro retinet; semel autem ac causam principalem sententia definitiva absolvit, suo officio functus, desinit quoad illam esse judex [1]. Ita communiter canonistæ, qui hanc regulam tradunt de ipsomet judice ordinario, non secus ac de delegato.

681. — III° *Quomodo ferenda sit sententia definitiva ?*

Agimus de forma adhibenda in prolatione sententiæ et de solemnitate quæ illam præcedit et comitatur, non vero de illius substantia ; perspicuum est enim omnino requiri ut sententia sit consentanea canonibus, statutis, legitimisque locorum consuetudinibus.

I. Sententia debet esse certa, absoluta, et scripta.

[1] Cf. Reiffenstuel, in tit. DE SENTENTIA ET RE JUDICATA, n^is 33-37.

1° *Certa*, nihil scilicet ambiguum exprimens. Judex reum condemnat, si delicti sit convictus; vel absolvit si non fuerit convictus, nec sponte confessus; aut denique jus de quo litigabatur declarat. Ideo fertur sententia ut finis liti imponatur; hunc autem finem non assequitur judex si verbis ambiguis pronuntiaverit.

Quando causa principalis elucidari non potuit, et urget tamen necessitas statuendi regulas agendi, judex ferre debet sententiam provisionalem qua huic necessitati consulit, quoadusque adductis novis probationibus, si obtineantur, valeat proferre sententiam definitivam, vel etiam rem omnem definitive componit non obstante dubio quod superest. Id contingere potest in causis matrimonialibus, quando, v. g., celebratum est matrimonium, sed dubitatur an adfuerint testes idonei, an intercesserit impedimentum dirimens, an dispensationes obtentæ fuerint, etc... Judex potest ita sententiam proferre, dubio stante de validitate conjugii, ut partibus præscribatur recurrere ad media jure præscripta quibus matrimonium certius stabiliatur, si velint simul more conjugum cohabitare; aut vice versa ipsis interdictum sit novas nuptias inire inconsulta auctoritate ecclesiastica, si alterutra pars separari velit. Hæc ratio judicium ferendi non efficit sententiam incertam, quum partibus significet quid agendum sit, quidve præcavendum.

2° *Absoluta*, id est, sine conditione de futuro, vel de præterito incerto; alioquin judex nedum rem definiat, causam in suspenso relinquit; nihil vero obstat sententiæ apposita conditio quæ nec obscuritatem neque incertitudinem inducit.

3° *Scriptis consignata*, ut de ea certius constet, et removeantur diversæ interpretationes, dubia, ambiguitates quibus sententia oralis locum dare potest. Decretalis *Etsi*, 5, DE SENTENTIA, in VI°, hanc conditionem ita præscribit pro omni sententia judiciali, ut declaret sententiam aliter prolatam, nec nomen sententiæ mereri, nec ab ea appellari necessum fore,

et sic concludit : « Sententia quam scriptam edi a judice liti-
« gatoribus, non recitari, vel quam ab ipso stando, non se-
« dendo proferri contingit, nullius est penitus momenti. »

An causa, seu motivum sententiæ, exprimi debeat ambigitur. Concilium Lugdunense motivum exprimi voluit in sententia excommunicationis : « Quisquis excommunicat, excommu-
« nicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis
« expresse conscribat propter quam excommunicatio profera-
« tur. » (*Cum medicinalis*, 1, DE SENTENTIA EXCOMM., in VI°.) Causam etiam exprimi expedit quando annulatur sententia judicis inferioris a quo fuit appellatum; et in casu quo receditur a jure communi ob rescriptum speciale, vel ob consuetudinem localem quæ juri derogavit. Exceptis his casibus, judicis prudentiæ relinquitur ut causas enuntiet, vel ab illarum expressione abstineat. Causarum expressio, si plene ac liquido deducantur, valde prodest ut reus de justitia sententiæ convictus non perseveret amplius litem protelare. At caveat judex ne quid ambiguum, aut incertum admisceat causis suæ sententiæ, ne potius exinde reus queratur male fuisse pronuntiatum, et ad appellandum excitetur. Sive autem judex declaret, sive prætermittat causas, nihil officit valori sententiæ; quandoquidem id jus nullibi præscripsit sub pœna nullitatis, et silente jure, præsumptio stat ex parte sententiæ : « Propter
« auctoritatem judiciariam præsumi debet omnia legitime
« processisse. » (Cap. *Sicut nobis*, 16, DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.)

II. Sententias recitari debet ex scripto, a judice pro tribunali sedente, citatis et præsentibus partibus, die non feriato.

1° *A judice*, nisi sit ipse Episcopus, seu alius prælatus major, cui ob dignitatis prærogativam conceditur ut sententiam proferendam per alium recitet. (Cap. *Etsi*, 5, DE SENTENTIA, in VI°.)

2° *Pro tribunali sedente*, non ambulante, nec in plano, nec stante, quod jure sancitum fuit ut major auctoritas

demonstretur, et melius appareat causam sedato deliberatoque animo, et omnibus accurate perpensis, definiri.

3° *Citatis partibus* et præsentibus, nisi contumaces sint. Ita omnes canonistæ tenent, ac supponunt plures textus juris; quamobrem necesse est ut trina citatione, aut una saltem peremptoria partes advocentur, alias vi carebit sententia. (Schmalzgrueber, n^is^ 50, 51.) Decet sententiam proferri in loco publico, ubi judex jus dicere consuevit; verumtamen, cum Episcopus in quolibet loco suæ diœcesis non exempto possit pro tribunali sedere, nihil obstat quominus officialis, vel delegatus qui certam sedem non habet, locum non consuetum sibi eligat, prout existimaverit.

4° *Die non feriato*. Jure cavetur ne judex suas sententias dicat per noctem, unde dicitur in cap. *Consuluit*, 24, DE OFF. JUDICIS DELEGATI. « Ne judicium ecclesiasticum exercea-« tur in tenebris... Nos eam procedendi horam intelligimus ex « qua possis ante noctis tenebras perficere quod incumbit. » Excipe si consuetudo aliter induxerit, vel id fiat cum assensu saltem tacito partium, quæ præsentes non contradicunt.

Præterea mandatum fuit « judicialem strepitum conquies-« cere diebus feriatis qui ob Dei reverentiam noscuntur esse « statuti... quibus solemnibus feriis, nisi urgeat necessitas, « vel pietas suadeat, usque adeo convenit ab hujusmodi ab-« stinere, ut consentientibus etiam partibus, nec habitus « processus teneat, nec sententia quam contingit diebus « hujusmodi promulgari. » (Cap. *Conquestus*, 5, DE FERIIS, lib. II Decret.)

682. — IV° *Quid sit res judicata, et quandonam sententia sortiatur vim rei judicatæ?*

1. *Res judicata* nuncupatur sententia quæ retractari amplius non potest. Parit consequenter actionem et exceptionem legitimam; constituit præsumptionem juris et de jure; uno verbo, pro veritate habetur, adeo ut, etiamsi novæ in contrarium probationes producerentur, causa maneat judicata, nisi

forte obtineatur beneficium restitutionis in integrum, de quo postea dicemus.

II. Sententia definitiva vim generaliter sortitur *rei judicatæ*, positis duabus conditionibus : 1ª si lata sit a judice competente, servatis regulis substantialibus juris; quæ enim sententia fertur a judice incompetente, aut contra jus, « re- « tractari potest, ait Schmalzgrueber, secundum doctrinam « communem, usque ad triginta annos. Neque appellatio eo « casu necessaria est, quia appellatio tantum interponitur, « quando sententia valet. » 2ª Si intra decem dies non appelletur, aut si reus sponte, cum cognitione, non errore ad id inductus, sententiæ acquieverit; assensus enim spontaneus eumdem effectum operatur, ac omissio appellationis tempore opportuno.

Nonnullæ tamen exceptiones apponuntur regulæ generali : 1° In causa matrimoniali, quod sequitur ex jure naturali et divino de unitate et indissolubilitate matrimonii; quovis enim tempore agnoscitur errorem irrepsisse in judicio, retractari debet. 2° In causa beneficiali, quod intelligimus in gratiam Ecclesiæ, ne sententia lata ipsi præjudicium afferat, si beneficium indigno attributum sit, si vitio simoniæ fœdata sit institutio, si electio probetur vi et metu facta fuisse. 3° Si sententia lata sit ex falsis instrumentis, vel falsis testimoniis, præsertim si testes pecunia corrupti fuerint. (Schmalzgrueber, in tit. DE SENTENTIA ET RE JUDICATA, nis 64-70.)

683. — V° *Ad quem spectet sententiam exsequi?*

Sententia quæ transiit in *rem judicatam* exsecutioni mandanda est; ad quem vero attineat eam exsequi, pendet a circumstantiis, et ab ipso objecto sententiæ.

1° Si talis est sententia ut effectum per se inducat, nec opus sit alio exsecutore quam ipsomet reo, ut v. g. sententia suspensionis, interdicti, excommunicationis, nulla urget difficultas si reus ultro judici obsequatur. Sententiam exsequitur abstinendo ab actibus sibi vetitis.

2° Si sententia requirit actionem superioris; ut quando agitur de ablatione tituli beneficialis, atque e possessione beneficii deturbatione, judex ordinarius per litteras executoriales suis ministris sententiæ exsecutionem committit, si intra fines sui territorii perficienda sit; sin autem in territorio alterius perfici debeat, mittit litteras requisitorias ad judicem hujus territorii, quibus ab eodem requirit ut sententiam ipse exsequi velit. (N° 657.)

Judex potest, si opus sit, et id ferat status legislationis civilis, recurrere ad magistratum, per implorationem, ut aiunt, brachii sæcularis contra reum legitime condemnatum et reluctantem; ut si parochus, suo titulo privatus juridice, nolit dimittere parochiam nec deserere domum presbyteralem; si clericus habitu sui ordinis judicio canonico spoliatus, contendat nihilominus, contra mandatum Episcopi, vestem clericalem in publicum deferre. Magistratus vero sæcularis cujus auxilium postulatur, non debet nec potest de causæ justitia cognoscere, neque aliquid definire, quia in hujusmodi negotiis jurisdictione non potitur : id solum præstat, ut potestas civilis auctoritatis ecclesiasticæ judicia exsequi juvet, servata cæteroquin libertate non interveniendi, si arbitretur judicem ecclesiasticum suæ jurisdictionis limites excessisse.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

SECTIO IV[a]

DE JUDICIIS SUMMARIIS, ET DE ACTIBUS EXTRA-JUDICIALIBUS.

684. — Nonnulli canonistæ de judicio summario et de actu extrajudiciali, præsertim de sententia *ex informata conscientia*, indistincte agunt, perinde ac si eadem esset utriusque ratio. Essentiale discrimen intercedit, cum judicium summarium procedat a jurisdictione contentiosa, nec a judiciis ordinariis differat nisi ratione solemnitatis, dum actus extrajudiciales referuntur ad jurisdictionem voluntariam. Hæc tamen, propter connexionem materiarum et aliqualem rerum analogiam, in eadem sectione conjungemus.

ARTICULUS I. — DE JUDICIIS SUMMARIIS.

685. — I° *Quid sit judicium summarium?*

Judicium summarium illud nuncupatur in quo omittuntur plures solemnitates, solo jure positivo inductæ pro judiciis ordinariis, iis solummodo retentis quæ natura rerum, et jure gentium, reputantur necessariæ ad legitimam litis discussionem, id est, ad cognoscendam veritatem.

Innocentius III eodem decreto quo formas adhibendas in

judiciis solemnibus statuit pro introducenda lite in causa criminali, cautum voluit ne ordinem præstitutum servare tenerentur prælati regulares erga suos subditos qui, aiebat, « cum causa requirit, facilius et liberius possunt a suis ad- « ministrationibus amoveri. » (Cap. *Qualiter et quando*, 24, DE ACCUSATIONIBUS.) Idem postea sanxerunt alii SS. Pontifices respectu ipsorum sæcularium, pro causis quas citius expediri refert, uti exponendum curabimus in quæstione mox subsecutura. Insuper Sancta Sedes statuit Congregationes Romanas, præsertim S. Congregationes præpositas interpretationi Concilii, negotiis Episcoporum et Regularium, et sacris ritibus, causas ad se devolutas definire posse *sola veritate inspecta*, *simpliciter ac de plano*, *absque strepitu et figura judicii;* quod ita in plerisque causis observatur a SS. Congregationibus.

Cum igitur plures sint causæ quas vi canonum, aut legitimæ etiam consuetudinis, licet pertractare summarie, resecatis pluribus solemnitatibus adhiberi solitis in judiciis, quæsitum fuit quid a judice in his casibus observari debeat, quid prætermitti possit, qua de re prodiit Constitutio Clementis V, *Sæpe contingit*, 2, DE VERBORUM SIGNIFICATIONE, quæ quæstionem sic resolvit : « Hac in perpetuum vali- « tura constitutione sancimus, ut judex cui taliter cau- « sam committimus, necessario libellum non exigat, litis « contestationem non postulet, in tempore etiam feriarum « ob necessitates hominum indultarum a jure, procedere « valeat, amputet dilationum materiam, litem quanto poterit « faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias et « frustratorias repellendo, partium, advocatorum conten- « tiones et jurgia, testiumque superfluam multitudinem re- « frænando. Non sic tamen judex litem abbreviet, quin pro- « bationes necessariæ et defensiones legitimæ admittantur. « Citationem vero, ac præstationem juramenti de calumnia, « vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur,

« per commissionem hujusmodi intelligimus non excludi... « Interrogabit etiam partes, sive ad earum instantiam, sive « ex officio, ubicumque hoc æquitas suadebit. Sententiam « vero definitivam, citatis ad id, licet non peremptorie, par- « tibus, in scriptis, et prout sibi magis placuerit, stans vel « sedens proferat... Quæ omnia etiam in illis casibus in qui- « bus per aliam constitutionem nostram, vel alias, procedi « potest simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura « judicii, volumus observari. »

Hæc igitur ad præscriptum constitutionis Clementinæ, et ex jurisprudentia recepta animadvertenda veniunt :

1° Judex non tenetur exigere libellum, nec postulare litis contestationem forma assueta; verumtamen cum sententia sequi debeat juxta petitionem actoris,et etiam rei si quid petere voluerit, hæc petitio in ipso exordio litis fieri debet, sive scripto, sive verbo, et actis continuo inseri, ut possit haberi plenior certitudo eorum quæ objiciuntur vel postulantur, et ut fiat definitio clarior, uti in eadem constitutione Clemens indixit.

2° Judex potest, pro suo prudenti arbitrio repellere exceptiones dilatorias, multitudinem testium removere, advocatorum contentiones ac superfluas dissertationes cohibere, sic tamen, ut partibus detur libertas sufficiens suam causam tuendi. Ut vero finem intentum assequatur, judex debet, non solum deferre testibus juramentum de veritate dicenda, et ipsismet partibus juramentum de calumnia vel de malitia, si opus sit, atque eas interrogare ex officio quoties æquitas suadebit, sed eis assignare diem certum, post dationem articulorum, ut exhibere possint omnia acta et munimenta quibus uti volunt in causa, quandocumque sibi videbitur expedire ad legitimam defensionem. Non existimamus judicem teneri, quemadmodum præscriptum fuit pro judiciis ordinariis, exhibere partibus integra scripta omnium quæ producta sunt in processu, instrumenta, interrogationes,

responsiones, depositiones testium; horum tamen compendium accurate confectum denegandum non videtur, si postulaverint.

3° Concessit Clemens V ut judex procedere valeat tempore feriarum jure indultarum ob necessitates hominum, quod intelligitur de *feriis rusticanis* olim indultis *gratia vindemiarum vel messium ob necessitates hominum*, uti dicitur in cap. *Conquestus*, 5, DE FERIIS; non de feriis sacris ad festorum celebrationem institutis, diebus nempe dominicis et festivis de præcepto. (Reiffenstuel, DE FERIIS, n° 44.)

686. — II° *Quandonam adhiberi possit forma summaria judicii?*

Judicia fieri possunt summarie : 1° in casu notorietatis; 2° in causis jure præfinitis quas celerius expediri decet; 3° in causis levioris momenti; 4° demum in causis pro quibus modus ille procedendi fuit legitima consuetudine inductus.

I. In casu notorietatis opus non est libelli oblatione, nec accusatione seu denuntiatione, nec litis contestatione. Non præstatur juramentum calumniæ; non admittitur recusatio judicis ob suspicionem; nec etiam requiritur ut judex ferat sententiam solemniter. Hæc cuncta inducta sunt ad investigationem veritatis, ut certius removeatur periculum erroris; quapropter cessat ratio hujus ordinis communis judiciorum quando factum est notorium, et nulla oritur quæstio de jure. « In manifestis et notoriis non credimus te teneri servare « subtilitatem ordinis judiciarii, quam in his non servari per « omnia, ipsa juris ratio postulat et requirit. » (Cap. *Ad nostram*, 21, DE JUREJURANDO.)

Supponitur delictum esse revera notorium, scilicet patratum in loco publico, coram multis testibus qui illud certo cognoverint, atque de ipsa notorietate testificentur, adeo ut nulla tergiversatione celari possit, nec ulla ratione excusari. Judex sedulo debet ad hæc animum attendere; multa quippe

sunt notoria ratione facti materialis, quæ nihilominus occulta et incerta dici possunt ratione delicti ob varias circumstantias quas reus forte allegabit in sui tuitionem. Non semel etiam contigit rem habitam fuisse in communi existimatione notoriam, de qua postea, facta seria investigatione, nihil certum asseri potuit.

Hinc sequitur judicem posse condemnare reum in flagranti delicto deprehensum, si coram ipso sedente pro tribunali, crimen perpetrare præsumpserit; est tunc quam maxima notorietas, ut judex nulla alia probatione indigeat ad pœnam indicendum [1].

II. Casus in quibus licet uti forma summaria ut citius expediantur, definivit Clemens V in Constitutione *Dispendiosam*, 2, DE JUDICIIS, in qua legitur : « Dispendiosam pro« rogationem litium restringere in subscriptis casibus cu« pientes, statuimus, ut in causis super electionibus, pos« tulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus, « personatibus, officiis, canonicatibus, seu quibusvis bene« ficiis ecclesiasticis... necnon super matrimoniis, vel usu« ris, et eas quoquo modo tangentibus, ventilandis, pro« cedi valeat de cætero, simpliciter, et de plano, ac sine « strepitu judicii et figura. » Idem statutum fuit de causa hæresis, a Bonifacio VIII, cap. *Statuta*, 20, DE HÆRETICIS; de causa concubinatus adversus clericos, a concilio Tridentino, sess. XXV, cap. XIV. His, communi consensu, adjunguntur causæ minores, in quibus scilicet agitur de negotiis levioris momenti, vel de damno facile reparabili... Hæc sunt igitur quæ jure communi pertractare licet ac definire judiciis summariis : causæ beneficiales in quibus lis movetur de validitate electionis, provisionis, tituli, etc., causæ matrimoniales de validitate aut nullitate matrimonii, causæ hæreseos et concubinatus clericorum, causæ minores.

[1] Cf. Schmalzgrueber, in tit. DE ACCUSATIONIBUS, lib. V Decret, nis 4-20

Ex illis causis, alias convenit citius expediri ut remedium gravibus malis afferatur; de aliis vero non tanto apparatu tractare, id non exposcente natura rerum quæ in litem veniunt.

III. Dubium non est quin consuetudine locorum fas sit alias causas simili ratione definire; et huic consuetudini non parum favit praxis SS. Congregationum. « Summarium judi-« cium, ait Card. de Luca, est illud quod solemnitatibus « (libelli, litis contestationis, publicationis, ac conclusionis, « aliorumque ab utroque jure canonico et civili præscripto-« rum) non subjacet, sed nullas vel aliquas respective exigit « pro diversis stylis... Istas autem formalitates curia Romana, « commendabiliter quidem, rejecit, præsertim vero in tribu-« nalibus rotæ, cameræ, et in quibus causæ curiales proprie « aguntur... De ista vero praxi curiæ moniti esse debent Epi-« scopi, et vicarii generales, aliique judices ecclesiastici, ut-« pote procedere debentes cum praxi et stylo eorum curiæ « metropolitæ, ad quam in gradu appellationis causæ devol-« vendæ sunt. » (*De Judiciis*, discursus 1, n° 25; XXXIV, n^is 6 et 12.)

IV. In causis regularium judex procedit juxta formas judicii summarii, etiamsi pœnæ graviores infligendæ sint. Gregorius IX admonuit ut in negotiis fratrum monasterii superior ageret de plano, absque judiciorum strepitu, *cum talibus non deceat servos Dei involvi.* (Cap. *Olim*, 26, DE ACCUSATIONIBUS.) Innocentius III idem statuerat in constitutione quam supra citavimus. Sive igitur causa introducatur ad prolationem censuræ, sive ad reorum depositionem ab officio, imo ad ejectionem ab ordine, minime necessarium est servari solemnitates juris, dummodo ea serventur quæ sunt de substantia judicii summarii, aut quæ a consuetudinibus probatis, vel statutis ordinis, præscripta sunt[1].

[1] Cf. Reiffenstuel in tit. de ACCUSATIONIBUS, n^is 313-565, ubi inseruit compendiosam instructionem practicam de rite formando processu criminali

Hæc praxis tribunalium Romæ, sacrarum insuper Congregationum, et ordinum regularium influere debuit in mores curiarum ecclesiasticarum, in quibus paulatim assuetum fuit resecare e praxi multas formalitates quibus olim veluti involvebatur jurisprudentia, quasque, in locis citatis, Card. de Luca vocat *subtiles et superstitiosas solemnitates*, *judaismorumque reliquias*. Has subtilitates maxima ex parte ablegare curavimus, exponendo in sectione præcedenti ordinem judiciorium ordinariorum, quia nobis visum est plures formalitates de quibus agunt scriptores canonistæ nunquam fuisse stricto jure præscriptas, alias vero diuturna praxi obsoletas. Si simul componamus regulas ibi explanatas cum ordine quem Clemens V constituit pro judiciis summariis, non apparebit latum discrimen inter utrumque ordinem processus judicialis. Exinde ultimo concludimus, multo tutius acturum judicem ecclesiasticum qui, extra casus sacris canonibus, aut inconcussa consuetudine præfinitos, retinebit in suo foro, quoties criminalis causa agitatur, formas substantiales judicii ordinarii.

687. — *Nota*. Diximus judicia fieri *posse* forma summaria in casibus memoratis; verum in iisdem casibus judex potest etiam procedere servato ordine consueto, nisi in delegatione aut in jure, ipsi specialiter mandetur procedere de plano, absque strepitu et figura judicii. Quando autem jus habet utendi hac forma summaria, nihil obstat validitati sententiæ, si aliquos ritus judicii solemnis adhibeat, cæteris prætermissis.

688. — III° *Quid jure statutum fuerit pro judiciis quæ a S. Officio proferebantur?*

Præter S. Congregationem Inquisitionis de qua alias diximus (n° 97), et quæ summam ac universalem jurisdictionem

apud Regulares; quæ forma processus in ordine fratrum minorum maxime consonat regulis juris communis.

habet in omni Ecclesia; alia constituta fuere in gradu inferiori tribunalia quæ nuncupabantur etiam *Sanctum Officium*, et invigilabant, una cum Episcopis, integritati fidei, inquirendo de crimine hæreseos et de aliis criminibus quæ suspicionem hæresis ingerunt; scilicet, de schismate, profanatione sacramentorum, magia, etc.... Tametsi hæc tribunalia non amplius existant in plerisque regionibus a diuturno tempore, utile est nonnulla notare historice de illorum origine, constitutione, et forma procedendi, ut ex æquo judicetur de querelis in *S. Officium* toties excitatis, non solum ab hæreticis et novatoribus, sed etiam a nonnullis viris catholicis qui rem animo præoccupato considerant.

I. Officium inquisitorum institutum fuit a SS. PP. eo tempore quo hæresis Albigentium renovare moliebatur infandas doctrinas Manichæismi quibus mores publici depravantur; ea insuper ætate qua populi christiani omnem hæresim repellebant uti perniciem publicam, quia nihil antiquius habebant quam unitatem fidei catholicæ. Ea est ratio cur principes sæculares sæpius postulaverunt a S. Sede ut in suis regnis introduceretur tribunal Inquisitionis; quod reipsa in omnibus fere gentibus christianis constitutum fuit, licet decursu temporum pluribus populis exosum visum fuerit.

II. Munus Inquisitoris demandatum fuit clericis et regularibus, his præsertim et quidem præcipue ex ordinibus Mendicantibus Sancti Dominici et Sancti Francisci. Jurisdictio Inquisitoribus delegata a S. Sede, nihil detraxit Episcoporum potestati; siquidem Episcopi potuerunt, eodem jure quo antea, causas fidei ad suam curiam vocare, et inquirere de omnibus suspectis criminis hæresis intra fines suæ diœcesis. Ipsis dati sunt Inquisitores in auxiliares ut ad tantum opus juvarent, et si quid ex parte Episcoporum neglectum fuisset, ipsi explerent. (Cap. *Per hoc*, 17, DE HÆRETICIS, in VI°.) Id solum injungebatur Episcopis, ut sive ordinaria, sive delegata potestate procederent, servarent eamdem formam qua ute-

bantur Inquisitores, juxta ordinationes Sedis Apostolicæ.

III. Modus ille procedendi tribunalibus S. Officii præscriptus, aut saltem servari solitus, ab ordine consueto aliorum tribunalium in multis recedebat. 1° Omnes testes, etiam infamia notati, admittebantur exclusis solummodo qui inimicitias personales gerebant contra reum. Judicis erat ponderare vim depositionum ex indole testium, seu ex modo quo testimonium ferebant, ut judicium non proferret nisi obtenta probatione plena delicti. 2° Non communicabantur reo nomina testium, saltem quando periculum grave imminere videbatur testibus ex illa communicatione. Tacito proinde illorum nomine, ipsæ depositiones explicabantur ut si quid haberet reus objiciendum in sui defensionem, id reponere cum omni libertate posset. 3° Judex facultatem habebat sibi adsciscendi viros graves ac peritos qui illum suis consiliis, more assessorum, juvarent in examine ac discussione probationum et negationum; imo hujusmodi assessores necessario vocare debebat quoties opportunum arbitrabatur non revelare nomina testium reo; illis exponere tenebatur totum processum super quo deliberandum erat, qualitates testium, nec aliter quam de eorumdem consilio procedere ad sententiam, vel condemnationem. (Cap. *Ut commissi*, 12, *Statuta*, 20, DE HÆRETICIS, in VI°.) 4° Inquisitoribus liberum erat adhibere formam summariam processus, dummodo nihil prætermitteretur ex cautionibus jure naturali et canonico præscriptis ad assecurandam libertatem defensionis, prout supra diximus. 5° Demum post sententiam pronuntiatam, reus pœnas experiebatur non obstantibus appellationibus; secundum enim ordinationes SS. Pontificum, et leges principum sæcularium, « appellationis beneficium expresse fuit hæreticis et cre- « dentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus et defenso- « ribus interdictum, » ut dicitur in cap. *Ut inquisitionis*, 18, ejusdem tituli in VI°. Pœnas autem temporales, etiam gravissimas indixerant imperatores Romani, Constantinus Magnus,

Theodosius Junior, Justinianus, quas per decursum temporum innovarunt reges christiani omnium fere gentium catholicarum, contra hæreticos, schismaticos, et auctoritatis Ecclesiæ contemptores[1].

IV. Hæc est ratio procedendi in tribunalibus S. Officii, et severitas pœnarum in causis criminalibus inflictarum, quæ locum dedit tot querelis contra Inquisitionem. Non dicemus inquisitores fuisse semper ab omni abusu immunes in exsecutione sui officii; nunquam usos esse nimia severitate in inquirendo de hæreticis, et de suspectis in materia hæresis : hæc vero asseverare fidenter possumus : 1° Officium Inquisitionis fuit ordinarie demandatum viris probitate et religione commendabilibus, et Ecclesia prohibuit sub comminatione gravissimæ censuræ, quidquid Inquisitores agere præsumerent in præjudicium reorum, causis non mature discussis juxta præscriptum regularum. 2° Usitatum fuit apud plerosque populos ut instituerentur tribunalia extraordinaria pro certis delictis quæ ordinem publicum, statumque societatis periculosius perturbant; porro nationes catholicæ nihil gravius esse arbitrabantur crimine hæresis et schismatis, quia quod *in religionem committitur, in omnium ferri injuriam* omnes existimabant; non mirum proinde si ad repressionem horumce delictorum instituta fuerint tribunalia S. Officii. 3° Ordo servari solitus in S. Officio, tametsi recedat a forma communi, nihil tamen habet contrarium legi naturali. De forma summaria processus, item de communicatione nominum testium sufficienter dictum fuit supra. (N^is 677, 685, 686.) Quod si admitti potuerint ad ferendum testimonium ii etiam quos jus commune inhabiles declarat, non exinde concludendum illorum testimonio rem actam fuisse; judices certe tenebantur attendere ad indolem, ad agendi rationem testium, ad modum quo deponebant, et omnia ad-

[1] Cf *Pouvoir du Pape au moyen âge; Introduction*, art. II.

juncta considerare ut vis testimonii ex æquo ponderaretur. Severior fuit lex hæreticos a S. Officio condemnatos excludens a beneficio appellationis; sed non videtur hanc disciplinam fuisse in suo rigore servatam, nisi de casu notorio ageretur in quo scilicet nulla erat probabilis ratio appellandi. Observare est præterea aliquid simile hac etiam ætate reperiri in societate sæculari; sunt enim apud nos tribunalia a quorum sententiis non datur appellatio. 4° Quod ad pœnas attinet infra exponemus ubi de *Pœnis* in genere dicendum erit (n° 754); sufficiat in præsenti hæc citare ex S. Thoma quibus exprimitur opinio generaliter olim recepta apud populos catholicos : « Multo gravius est corrumpere fidem per quam est « animæ vita, quam falsare pecuniam per quam temporali « vitæ subvenitur. Unde si falsarii vel alii malefactores statim « per sæculares principes juste morti traduntur, multo magis « hæretici statim ex quo de hæresi convincuntur, possunt « non solum excommunicari, sed et juste occidi. » (2ª 2æ, q. XI, art. 3.)

ARTICULUS II. — DE ACTIBUS EXTRAJUDICIALIBUS, ET IN SPECIE DE SENTENTIIS EX INFORMATA CONSCIENTIA.

689. — Actus extrajudiciales qui cum sententiis judiciariis aliquam similitudinem habent, licet non iisdem regulis subjiciantur, sunt 1° actus administrationis episcopalis qui gravamen inferunt, uti revocationes facultatum et ministeriorum, et præsertim sententiæ quas Episcopi ferunt *ex informata conscientia*, 2° sententia ab arbitris pronuntiata; 3° transactiones. Quod ad actus episcopales attinet, de tribus potissimum agemus, scilicet : de interdicto a susceptione sacrorum ordinum, de suspensione ab exercitio ordinum susceptorum et officiorum, et de revocatione ab officio, vel ad

alterum officium translatione. Ut ordinatim procedamus a duobus prioribus exordimur.

690. — I° *Utrum Episcopus possit interdicere extrajudicialiter ne quis ordines suscipiat, aut ne ordines susceptos, et officium, exerceat?*

Episcopus utrumque prohibere potest extrajudicialiter.

Prob. 1° Ex concilio Tridentino quod sess. XIV, cap. I, sic statuit : « Ei cui ascensus ad Ordines a suo prælato ex « quacumque causa, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, « etiam ob occultum crimen, fuerit interdictus; aut qui a « suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis « fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem con- « cessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordi- « nes, gradus, dignitates, sive honores, restitutio suffragetur.»

Vi hujus decreti Episcopus jure potest alicui extrajudicialiter, seu, ut aiunt, *ex informata conscientia*, interdicere exercitio ordinis et officii, non secus ac susceptione ordinis superioris, modo hæc verba *quomodolibet etiam extrajudicialiter*, æque referantur ad utramque partem textus; atqui hunc esse sensum decreti probat, tum series proœmii et capitis, tum contextus verborum, tum interpretatio fere communis DD. 1° Proœmium capitis in quo concilium declarat suam mentem esse disciplinam instituendi qua Episcopus valeat exsequi liberius suum officium, impediendo quominus clerici, præsertim ad curam animarum constituti, vitam inhonestam ducant, et in hujus officii exsecutione ullo prætextu retardetur : porro, si facultas quam ad hunc finem, in capite immediate secuturo, Episcopis largitur procedendi extrajudicialiter, referretur solummodo ad ordinum susceptionem, non ad illorum exercitium, suum scopum concilium imperfecte attingeret; ergo hæc clausula *extrajudicialiter* ad utramque partem refertur. 2° Contextus capitis, de quo hæc sapienter annotat Fagnan : « verba *quomodolibet*, » etc., repetita censeri debent in secunda parte, tum quia concilium sub

unica oratione ac verborum structura complectitur interdictionem a suscipiendis ordinibus et dejectionem a susceptis : .. tum quia alioquin concilium in secunda parte nullam potestatem Episcopis attribuisset; nemini enim dubium esse poterat quin ob crimen manifestum, et judicialiter probatum, liceret Episcopis suspendere sacerdotes. » (In cap. *Ad aures*, n° 7, DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.) 3° Interpretatio communis doctorum, et præsertim Sacræ Congregationis quæ multoties responsa dedit in eo sensu[1].

Prob. 2° Ex constitutione *Auctorem fidei*. Hac constitutione Sancta Sedes proscripsit duas propositiones synodi Pistoriensis, scilicet 49^am^ et 50^am^ in quibus dicebatur Episcopo fas non esse uti potestate infligendi suspensionem ex informata conscientia; suspensiones hoc modo illatas esse nullas et invalidas. Has utique duas propositiones declaravit falsas, perniciosas, læsivas jurisdictionis prælatorum.

691. — Hæc facultas ad duos tantum casus extenditur, nempe ad interdictionem suscipiendi ordines, et ad suspensionem temporariam ab ordinibus susceptis, gradibus, officiis, et dignitatibus. Decretum concilii de hoc duplici casu solummodo statuit, nec ad alios debet extendi, cum sit derogativum juri communi.

I. Quoad igitur prohibitionem recipiendi ordines, Episcopus potest ob causam gravem, etiam non criminalem, arcere a sacris ordinibus, quos ex informata conscientia judicat non necessarios, nec utiles suæ Ecclesiæ, multo magis quos ob crimen occultum indignos novit statu clericali.

Non quidem fas est Episcopo denegare ordines, absque fundata ratione, laicis qui signa præferunt aptitudinis ad statum clericalem, et multo minus clericis qui, jam initiati prima tonsura, habent beneficium quod requirit ordines majores, vel qui sacro subdiaconatus ordine alligati sunt; qui

[1] Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XII, cap. VIII, n° 3. — Giraldi, *Expositio juris Pontificii*, part. II, sect. XLIII.

enim in alterutro casu sunt constituti, habent quoddam jus in foro externo ascendendi ad altiorem ordinem, quo non privarentur sine gravi detrimento. Verumtamen concilium voluit dimittere prudenti arbitrio, conscientiæ nimirum Episcopi, ut eos etiam arceat extrajudicialiter a sacro sacerdotio quos novit non convenire, data cæteroquin iisdem libertate recursus ad superiorem, de quo infra[1].

II. Quoad suspensionem ab ordinibus susceptis, et officiis, duo sunt notanda : 1° suspensio afficit ordinem, gradum, vel dignitatem. Utrum Episcopus suspendere etiam possit simili modo a beneficio, dubitatur. (Ferraris, v° *Suspensio*, art. 1, n^is 14-25.) Dicendum tamen videtur id non posse, quia concilium nihil statuit de beneficio, et suspensio ab officio non inducit necessario per se suspensionem a beneficio, ut infra dicemus. In his autem quæ derogant juri communi, et gravia consectaria habent, lex stricta interpretatione sumenda est... Observandum tamen quod, parocho a suo officio suspenso, si presbyter advocetur ad regimen provisorium parœciæ, ut communiter fit, Episcopus poterit applicare ex fructibus beneficii parochialis, partem necessariam honestæ sustentationi hujus presbyteri; quod æquivalet partiali suspensioni a beneficio.

2° Suspensio lata ex informata conscientia non est perpetua, sed vel ad tempus determinatum, vel quousque reus sufficientia dederit signa emendationis, vel demum ad beneplacitum superioris. Prob. 1° ex communissima doctorum interpretatione qui nostris præsertim temporibus, ita intelligunt decretum Tridentinum, ut ex plurium assertione novimus, qui et testantur non aliter idem decretum in praxim adduci. 2° Ex tenore decreti quod de suspensione statuit : porro suspensio, etiam quando ut pœna imponitur, ut in casu, censetur correctiva simul et medicinalis, in tempus, non in

[1] Fagnan, loco citato, n° 22.

perpetuum, inflicta, alioquin esset potius privatio officii quam mera suspensio; qui enim in perpetuum suspenditur ab officio, ab eodem officio reapse privatur. Æquitas suadet ut pœna tam gravis, qualis foret suspensio absolute inflicta in perpetuum, nemini inferatur absque formis consuetis judicii, saltem summarii. 3° Ex interpretatione practica S. Congregationis concilii. Secretarius S. Congregationis cum in suo discursu super causa Lucionensi, an. 1848, memorasset decretum concilii fuisse olim interpretatum de suspensionibus etiam perpetuis, addidit : « Recentiori autem ævo, ab illa « sententia recedere consuevit S. Congregatio, aliamque « constanter secuta est, qua id velle videtur ut hujusmodi « sententiæ præsertim perpetuæ seu indefinitæ, quæ idem « valent ac perpetuæ et sunt meræ privationes, haud un- « quam sint ferendæ, nisi præmissis monitionibus aliisque « solemnitatibus, ad præscriptum concilii Tridentini, sess. XXI, « cap. VI, latas fuisse repererit[1]. » Eodem sensu usos fuisse apud nos Episcopos potestate procedendi extrajudicialiter manifeste supponit declaratio data a Ludovico XIV, an. 1698, qua cæterum nimis restringebatur jus Episcoporum[2].

692. — II° *Quid præcavere debeat Episcopus, quando utitur potestate alicui interdicendi extrajudicialiter, accessu ad ordinem superiorem, vel ordinis suscepti, aut officii ecclesiastici exercitio?*

I. Episcopus non debet sententias ferre *ex informata conscientia* nisi quando hunc modum extrajudicialem necessarium existimat, ratione circumstantiarum; nec, regulariter loquendo, nisi quando delictum est occultum.

Modus ille procedendi concessus est ad providendum necessitatibus Ecclesiarum, nec expedit ut adhibeatur præter casus necessitatis, alioquin exosa redderetur auctoritas præsulum, et periculum incurrerent condemnandi innocentes,

[1] *Thes. Resol. S. Cong.*, tom. CVIII, pag. 163.
[2] Mémoires du clergé, tom. VII, pag. 142.

aut nocentes plus æquo puniendi. Insuper S. Congregatio cujus auctoritate potissimum innitimur in interpretatione concilii Tridentini, supponit in variis decisionibus quæ apud canonistas leguntur, delictum esse publicum, et nullibi innuit has sententias ferri etiam ob delictum occultum. Benedictus XIV in Cons. *Ad militantis*, percurrit casus multiplices in quibus non datur appellatio, et ubi venit inter alia ad sententias de quibus agimus, sic habet : « 23° Item a denegatione « sacrorum ordinum, prout etiam adversus suspensionem ab « ordinibus susceptis, *ob crimen occultum*, *sive ex informata* « *conscientia*, juxta dispositionem S. Concilii, sess. XIV, cap. I. » Tandem, præcipua ratio cur concilium induxit hunc modum a jure communi exorbitantem, est necessitas avertendi scandalum et dandi medium sufficiens amovendi a sacris functionibus clericum indignum, quando nimium difficilis foret informatio juridica : at vero si delictum supponatur publicum, hæc ratio locum habere non videtur.

Hinc Benedictus XV dicit reprehensibilem fore Episcopum qui declararet se deinceps, ex privata tantum scientia, pœna suspensionis animadversurum in clericos quos graviter deliquisse compererit. (*De Synodo*, lib. XII, cap. VIII, n° 6.) Imo non desunt quibus invalidæ videntur sententiæ ex *informata conscientia* prolatæ ob delictum publicum, et ad textum concilii, *etiam ob occultum crimen*, qui objicitur, respondent concilium non statuere solummodo, in cap. I, sess. XIV, de sententiis extrajudicialibus, sed de sententiis quibuslibet, seu judicialiter ordine consueto seu extrajudicialiter prolatis, quibus Episcopus alicui interdicit ascensu ad ordinem superiorem, vel illum suspendit ab usu ordinum susceptorum, et decernit nulli fas esse clericum ab illis suspensionibus auctoritative relevare contra voluntatem ipsius Prælati : non declarat vero Episcopo fas esse procedere extrajudicialiter in casu delicti publici.

Probabile est nihilominus potestatem ferendi hujusmodi

suspensiones datam fuisse absque ulla distinctione, seu limitatione ad casus occultos, et consequenter, si de rigore juris agitur, validas esse sententias in casu etiam delicti publici, tametsi Episcopus recesserit ab ordine servando. Cum sæpe non satis constet de publicitate delicti; cum insuper in casu etiam quo delictum non censetur occultum, sed fama vulgatum est, contingere possit ut difficillime habeantur testes qui velint in curia ecclesiastica deponere, præsumendum concilium voluisse, ut scopum certius assequeretur, dimitti conscientiæ, id est prudenti arbitrio, Episcoporum ut determinent, habita ratione circumstantiarum, quonam modo sit magis opportunum procedere, ordine consueto judiciorum, vel extrajudicialiter, id est *ex informata conscientia*.

II. Episcopus habere debet probationem certam delicti et motivum grave, ut procedat extrajudicialiter contra reum.

Eo majori cautione utendum est, quod reus non habet media consueta se tuendi antequam feratur sententia, et Episcopus debeat cum misericordia judicium exercere, et lenitate temperare severitatem. Aliunde, in casu quo reus recurret ad superiorem, necesse est ut de justitia sententiæ constare possit. Hinc quidam concludunt Episcopum non posse condemnare si ipse solus testis fuerit delicti, vel si delinquens in colloquio privato suum crimen confessus fuerit, quia hujusmodi probationes valent pro solo Episcopo, et non possunt crimen certum facere apud Sacram Congregationem. His non assentimur, modo saltem absoluto. Nihil quidem a parte rei repugnat quin Episcopus, sin ut judex, saltem quatenus superior et administrator suæ diœcesis, procedat contra aliquem quem scientia privata noxium certo cognoverit. Aliunde Episcopus qui se asserit testem ocularem delicti, obtinere potest, pro sua integritate et prudentia in agendo, ut S. Congregatio habeat suam affirmationem pro sufficienti probatione.

III. Reliquum est ut ponderentur verba concilii: *Ex qua-*

cumque causa, etiam ob occultum crimen; quomodolibet, etiam extrajudicialiter, quibus ratio agendi determinatur Episcopis in prolatione sententiæ ex informata conscientia.

Priora verba indicant motivum actus : illorum sensus obvius est causam qualemcumque, quam in foro suæ conscientiæ Episcopus judicat gravem et sufficientem, ipsi revera sufficere, sive agatur de decentia cultus divini, sive de periculo infamandi ordinem clericalem, sive de delicto ; hæc enim cuncta possunt, in quibusdam circumstantiis, movere Episcopum ut aliquem vitæ suspectæ, vel infamatum, arceat a sacro ministerio, etiamsi forte grave delictum non commiserit coram Deo.

Verba ultima decreti plenam libertatem Episcopo asserunt agendi eo modo quem magis opportunum arbitrabitur : extra vel intra visitationem diœcesis, præviis vel omissis monitionibus et citationibus, scriptis vel viva voce, adhibitis quibusdam judicii ordinarii solemnitatibus et cæteris prætermissis. Quin etiam tam late patent ea verba, ut Episcopus ne teneatur quidem reo declarare causam sententiæ. Decretum concilii haud semel non assequeretur finem intentum, si necessitas urgeret Episcopum causas allegare, quia hujusmodi manifestatio vias aperiret suspicionibus, acerbisque querimoniis in eos quos reus reputaret denuntiatores. Benedictus XIV refert decisiones S. Congregationis quæ nostram interpretationem confirmant; responsum enim ab ea fuit Episcopum posse, ex causa sibi nota, interdicere tam sacrorum exercitio quam ascensu ad altioris ordinis gradum, « ut neque te-
« neatur causam suspensionis, seu delictum ipsi reo mani-
« festare. » (Loc. cit., n° 4.)

693. — III° *Utrum et quatenus Episcopus possit extrajudicialiter clericum ab officio removere, vel ad aliud transferre?*

I. Non agitur de facultatibus, ex mera gratia, ad beneplacitum concessis, quas pro arbitrio superior revocare potest, quoties et quomodo voluerit. Quod vero ad officia stabiliter

in futurum concessa attinet, duplicis sunt speciei, uti diximus in Iª parte *Prælectionum :* alia, quamvis stabiliter, non vero in certum tempus concessa, sunt tamen ad nutum revocabilia ; alia sunt inamovibilia. Priora officia, quæ sæpius *manualia* dicuntur, possunt auferri extrajudicialiter, etiamsi hæc revocatio grave nocumentum inductura sit clerico. Ita omnes canonistæ. « Beneficiatus, ait Leurenius, non potest « possidere tale beneficium, nisi pro tempore quo non fuerit « ab eo revocatum ; quia solum pro eo tempore fuit conces- « sum : ergo revocatione facta, non habet jus illud diutius « possidendi. Et hinc spoliatus sine causa nullo modo potest « contradicere prælato spolianti ; quia nullam in tali spolia- « tione patitur injuriam : neque recurrere ad superiorem ut « injustitiam reparet, sed, ad summum, ut impediat mali- « tiosam revocationem. » (*Forum beneficiale*, part. I, quæst. LXXII, nº 2.)

Hæc proinde revocatio non excedit fines regiminis, seu simplicis administrationis ; non est necessario adducenda ad forum contentiosum. Alia est ratio officii, et beneficii inamovibilis jure canonico. Episcopus potest quidem titularem, si intercesserit gravis causa id suadens, exercitio officii interdicere suspensione temporaria, quod ex modo probatis certo constat ; sed nullatenus valet eum a munere removere, nisi sponte cesserit, vel delicti gravis convictus fuerit, servatis regulis jure canonico statutis.

II. Privilegium irrevocabilitatis non tuetur tamen clericum a translatione officii quod actu possidet ad aliud ; est enim textus juris valde notandus in hac materia, nempe cap. *Quæsitum*, 5, DE RERUM PERMUTATIONE, lib. III Decret., in quo statuitur : « Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licite « poterit de uno loco ad alium transferre personas ; ut quæ « uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant utilius exercere. » Canonistæ doctiores qui de illa sanctione juris disseruerunt, non eam interpretantur solummodo de casu quo duo benefi-

ciarii mutuo consenserint in permutandis suis titulis, sed etiam de facultate quam Episcopo tribui sentiunt transferendi clericum ad aliud officium, quando necessitas exposcit. « Episcopi, ait Pirhing, suos subditos, seu clericos ab una « ad aliam Ecclesiam transferre possunt, si justa et rationa- « bilis causa subsit... » « Episcopus, ait Engel, potest cogere « clericum ut suum beneficium cum altero permutet, si ni- « mirum sit minus idoneus ad administrandum, si causaverit « scandalum in populo, inimicitias et persecutiones patiatur, « aut similis aliqua causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ « subsit. » Sufficit, juxta Schmalzgrueber, Garcias, et alios, ad translationem hujusmodi faciendam, si causa adsit ex parte unius permutantis, et permutatio non sit alteri perniciosa [1].

S. Congregatio Concilii decretum dedit, die 19 dec. 1857, quo plene confirmatur hæc sententia. Episcopus Limburgensis parochum a sua Ecclesia removendum duxerat, et ad aliam transferendum. Parochum propterea mutaverat quod sua aspera indole, animo flecti nescio, atque inconsiderantia in agendo, a se abalienaverat plerosque incolas loci, adeo ut eum amplius perferre non possent. Nihil cæteroquin objiciebatur de moribus, fidei vitæque integritate. Cum parochus obtemperare detrectaret mandatis Episcopi, et hanc ob causam res utrinque perlata fuisset ad Sacram Congregationem, hæc duo dubia proposita sunt: 1^um^ *an sustineatur decretum amotionis latum a curia episcopali Limburgensi;* 2^um^ *an sint infirmandæ pœnæ canonice inflictæ in casu.* Responsum sic habuit: Ad 1^um^ *affirmative;* ad 2^um^ *scribatur Episcopo, ut sacerdotem a censuris absolvat ac rehabilitet, eumque provideat de alia paræcia, seu beneficio reditus æquivalentis* [2].

[1] Engel, in tit. DE RERUM PERMUT., n° 6; Schmalzgrueber, n° 77; Pirhing in tit. DE TRANSLATIONE EPISCOPI, n° 15; Leurenius, ibid., quæst. 418; Garcias, DE BENEFICIIS, part. XI, cap. IV, n° 49.

[2] Allegata ex utraque parte coram S. Congregatione in hac causa, referuntur apud *Analecta juris Pontificii*, anno 1858, col. 791-797.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE

Clericus qui se injuste læsum reputat hac translatione, sive insufficientia ipsi videantur motiva translationis, sive æquivalens non arbitretur beneficium ad quod translatus est, potest, vel postulare humiliter a suo Prælato restitutionem sui beneficii, vel causam provocare ad judicem superiorem, servato juris ordine, de quo in subsequenti sectione.

694. — IV° *Quid sit, et quam vim habeat, jure seu naturali seu canonico, sententia ab arbitris pronuntiata?*

I. Arbitri dicuntur personæ idoneæ, a judicibus distinctæ, quæ sive ex legis præscripto, sive ex partium conventione, electæ sunt ut circa exortam controversiam, suam sententiam pronuntient. Lex aliquando præcipit ut arbitri a partibus eligantur, ut supra vidimus ad dijudicandam causam recusationis judicis suspecti (n° 669); tunc vocantur *arbitri juris*. Alias assumuntur ex libera partium conventione, et tunc vocantur *arbitri voluntarii*, aut etiam *compromissarii*, quia ex nulla legis necessitate, sed ex privata duntaxat voluntate et concordi partium compromisso assumpti sunt.

Eligi generatim possunt in arbitros omnes qui non excluduntur a jure. Excluduntur minores viginti annis, excommunicati vitandi quorum societatem refugere jubemur, mulieres. Laici non possunt esse arbitri in causa spirituali, nisi cum Episcopi auctoritate clericis adjunguntur, vel de mandato S. Pontificis arbitrium susceperint. (Cap. *Contingit*, 8, et *Per tuas*, 9, DE ARBITRIS, lib. I Decret.)

Partes eligere valent unum aut plures arbitros; si autem plures, consultum est ut sint impari numero, ut si in suo judicio forte dissentiant, ratum firmumque habeatur quod a pluribus fuerit definitum.

II. Non in omnibus causis indiscriminatim, sed in iis tantum quæ sunt privati arbitrii, quæ scilicet non pertinent ad jus publicum, adhiberi possunt arbitri. Quamobrem canonistæ unanimiter excludi dicunt ab arbitrio causam restitutionis in integrum de qua infra agemus, causas matrimonia-

les in quibus de validitate vinculi controvertitur, causas beneficiales, seu super beneficiis conferendis, causas criminales, causas de exemptione immediata Ecclesiæ, congregationis religiosæ, aut alterius qui immediate subjicitur Sanctæ Sedi. Hæc et alia his similia requirunt publicam auctoritatem ; nec consequenter per compromissum partium expediri possunt, nisi forte superior assensum suum arbitrio præstiterit.

III. Arbitri suo officio funguntur, quando auditis partibus, re discussa, suam sententiam pronuntiant de tota controversia, absolvendo aut damnando. Suam sententiam semel regulariter prolatam immutare non possunt, siquidem res acta est ; sed debent ejus exsecutionem relinquere judici ordinario rei. Ideo ipsi hanc sententiam non exsequuntur quia non habent jurisdictionem fori externi.

A pronuntiatione arbitrorum non appellatur, saltem si sint arbitri voluntarii, ex concordi compromisso partium electi ad litem finiendam ; partes sibimet ipsis imputare debent, si omisso judice competenti, adire voluerint arbitrum, eumque minus sapientem elegerint.

695. — V° *Quid sit transactio ; quem effectum operetur?*

I. Transactio est alter actus extrajudicialis quo lis incœpta dirimitur, aut lis movenda præcavetur. Definitur apud canonistas : Pactum de re dubia ac lite incerta, quo aliquid datur aut promittitur, ut litigantium alter litem deserat. Duo proinde in omni transactione necessario includuntur, nempe quod fiat de re dubia, seu lite incerta, et quod hinc inde aliquid detur, retineatur, promittatur, seu demum remittatur. Si pars transigens certo sciat nullum sibi jus competere ; si lis definita fuerit, insciis partibus, per sententiam juridicam, quæ nemine appellante, in rem judicatam transierit, non valet transactio, et quod ab altera parte datum fuit restitui debet.

II. Fas est, generatim loquendo, transigere de omnibus rebus dubiis, et litibus incertis, præterquam iis de quibus transactio jure prohibita noscitur. Transigi non potest, v. g., in causa

matrimoniali, quia hujusmodi causa non aliter quam secundum legem divinam et sanctiones canonicas definienda est; nec in causa beneficiali in qua remitteretur jus spirituale ea conditione ut obtineretur res temporalis, aut vice versa, quia pactum istiusmodi labe simoniaca infectum esset. (Cap. *Super eo*, 7, DE TRANSACTIONIBUS.) Aliter dicendum si in transactione datur spirituale pro spirituali; tunc enim cessat ratio simoniæ; v. g. si exorta lite inter duos parochos de jure spirituali subjectionis, seu jurisdictionis in partibus confinibus parochiarum, mutuo consensu utriusque transactio fiat.

III. Effectus proprius transactionis, si bona fide, secluso quovis dolo, fiat, est imponere finem litibus motis, aut movendis, adeo ut res finita censeatur, nec possit revocari, aut pactum rescindi, nisi de mutuo partium consensu. Ita omnes canonistæ qui exinde dicunt transactionem parere exceptionem litis finitæ.

An vero, et quousque transactio facta a curatoribus Ecclesiarum, seu a Prælatis in rebus ipsis commissis, obliget successores, quæstio est. « Successor in dignitate vel officio, ait Engel, « regulariter non aliter tenebitur stare pacto vel transactioni « sui antecessoris, quando exinde sibi vel Ecclesiæ præjudi- « cium generatur, quam si pactum illud cum auctoritate su- « perioris factum sit : res enim inter alios acta aliis obesse « non debet. Neque hic successor habet causam vel titulum « a suo antecessore, sicut hæres, sed a collatione aut institu- « tione collatoris, seu superioris. » (Engel, in tit. DE TRANSACTIONIBUS, n° 17.) Hinc transactio facta, v. g., inter duos parochos vicinos, sine auctoritate Episcopi, est personalis, non realis, ut ita dicam : illos obligat ad invicem, non ipsum beneficium parochiale afficit, nec in successores protenditur.

SECTIO V^a

DE REMEDIIS CANONICIS CONTRA JUDICIA ET ACTUS EXTRAJUDICIALES.

Cum contingere possit errore, aliave causa, ferri sententias minus consentaneas regulis canonicis, aut æquitati naturali, leges sapienter providerunt bono subditorum, concessa ipsis facultate obtinendi revisionem causæ, et, si locus sit, correctionem sententiæ et actus extrajudicialis, quibus se gravari contra fas arbitrantur. Hæc remedia sunt : Oppositio nullitatis, restitutio in integrum, appellatio, et recursus simplex ad superiorem.

ARTICULUS I. — DE OPPOSITIONE NULLITATIS, ET DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

696. — *Quid sit oppositio nullitatis, et quid restitutio in integrum?*

I. Oppositio nullitatis est exceptio ob nullitatem sententiæ a judice latæ.

Nullitas sententiæ oritur sive a defectu jurisdictionis in judice, sive a violatione solemnitatum substantialium judicii : undecumque autem oriatur, obstat quominus sententia effec-

tum habeat ; etenim « Sententia contra leges, canonesve lata, « licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen sub- « sistere ipso jure. » (Cap. *Sententia*, 1, DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.) Cum tamen sententia lata in foro externo legitima præsumatur, donec nullitas pronuntiata sit, nisi nullitas manifesta omnibus appareat, deferri debet, seu ad judicem a quo lata fuit, seu ad superiorem, pro arbitrio gravati. Canonistæ sunt unanimes in asserendo quod fas sit judici suam sententiam retractare, si compertum habeat eam fuisse nulliter pronuntiatam. In eo differunt juxta illos appellatio, de qua mox dicetur, et querela nullitatis, quod « appellatio sem- « per proponenda est coram superiore ; nullitas vero sententiæ « proponi potest vel coram eodem judice, dummodo ordina- « rius sit, qui sententiam tulit ; vel si principaliter intentetur, « etiam coram judice superiore, adeo ut hoc sit in arbitrio « gravati. » (Reiffenstuel, in tit. DE APPELLATIONIBUS, n° 28.) Multum aliquando expedit hac ratione procedere, ut causa citius ac pacifice expediatur, et nihil aliunde novimus cur non liceret hodierna ætate, non secus ac præteritis temporibus, regulam traditam servare in praxi. Verum, cum fieri possit, aut saltem reus sibi timendum existimet, judicem, seu ex malitia, seu præoccupato animo, vel ex errore, minus dispositum fore ad retractandam sententiam quam tulit, et ad rescindendum quod prima vice male egit, licitum est his quorum interest, causam nullitatis referre immediate ad superiorem.

Actio in nullitatem perimitur solum præscriptione triginta annorum, quo elapso tempore, exceptio non potest amplius invocari, juxta communem sententiam. (Reiffenstuel, tit. citato, n° 27.)

697. — II. Restitutio in integrum est remedium juris extraordinarium, quo læsus, ex naturali æquitate, officio judicis reducitur in eum statum in quo erat antea, obtenta scilicet facultate causam retractandi.

1° Restitutio in integrum dicitur *remedium juris extraordinarium*, quia « datur hoc remedium extra ordinem, ait « Devoti, ut subsidio sit iis quibus desunt aliæ actiones per « quas jus suum persequantur. Quare, cum actus ipso jure « irritus est, aut cum aliud suppetit remedium ordinarium « civile, restitutio in integrum dari non solet. » (Part. III, tit. XVI, § 1.) In eo consentiunt omnes canonistæ.

2° Jura voluerunt potissimum favere minoribus, qui fragilitate ætatis et rerum humanarum experientiæ defectu, graviori periculo sunt obnoxii detrimentum subeundi in rebus suis; item communitatibus, Ecclesiis, congregationibus regularibus aut sæcularibus, quibus judex, etiam ex officio, succurrit in bonum religionis et reipublicæ; at vero ipsos majores natu a beneficio restitutionis non repellunt si gravem læsionem experti sint, et probare possint id non ex sua culpa, nec sua aut procuratorum negligentia accidisse, sed ex metu gravi, aut inculpata ignorantia, vel alterius dolo seu fraudulenta circumventione. Hoc solum discrimen servatur inter minores seu Ecclesias et majores, quod priores facilius admittantur, et etiam judex ex officio causas illorum promoveat, difficilius vero majores admittantur ad illorum petitionem, justa id causa postulante, et ubi nulla alia media juris suppetunt. Ita communiter doctores, quod concludunt ex cap. *Litteris*, 4, et aliis textibus juris sub titulo DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE, lib. I Decret.; tum ex praxi curiarum ecclesiasticarum.

3° Causa propter quam postulari potest restitutio in integrum est læsio in causis civilibus, ex contractu cæteroquin valido sed rescindibili, ex transactione, ex quovis actu prælati judiciali aut extrajudiciali in rebus fori ecclesiastici, v. g. in contractibus, in causa beneficiali, in juribus, prærogativis, præeminentiis Ecclesiarum, et aliis similibus, de quibus, orta occasione, data sunt rescripta quæ leguntur in citato titulo Decretalium. De restitutione contra professio-

nem religiosam quam aliquis objicit fuisse invalide factam, dictum fuit alibi. (N° 469.)

Quod restitutio detur in causis criminalibus, eo sensu quod reus qui se graviter læsum reputat ob calumniosam accusationem et injustam sententiam, obtinere valeret a judice ut sententiam revisat, ac si injuste prolatam repererit, reformet, non apparet. In Decretalibus agitur solummodo de restitutione in causa civili : de ea unice dixerunt canonistæ; quamobrem concludere est non ad alias causas protendi posse a judice inferiori; eo magis quod beneficium illud restitutionis deroget regulæ communi juxta quam judex non debet sententiam definitivam semel prolatam retractare, uti supra exposuimus. (N° 680.)

4° Judex quem adire debent partes, quarum interest, causa obtinendi restitutionem, est ipse judex qui sententiam tulit, vel illius superior, pro arbitrio reorum. De superiore res in aperto est; sed nec de judice qui sententiam tulit est ambigendum. « Causa restitutionis in integrum, ait Gregorius IX, « coram judicibus ordinariis administrationem habentibus, « vel delegatis ab eis, tractari poterit et finiri, sive hoc ipsis « delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commisso « eis negotio contingat incidere hujusmodi quæstionem. » (Cap. *Causa*, 9, DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.) Canonistæ exinde communiter deducunt Ordinarium adversus suam aut judicis inferioris sententiam restituere posse, neutiquam vero idem posse quemlibet judicem contra superioris sententiam. Animadvertit ea de re Wiestner, de Germania scribens, quod « hodiernis moribus, in pluribus provinciis, in integrum « restitutionem, quasi non tam gratiæ sit quam justitiæ, « solus princeps, aut supremum ejus concilium (precum « duntaxat, quibus ea supplicatur, an veritate nitantur, « examine inferioribus commisso : decreto autem ipsius prin- « cipis nomine concepto et publicato) concedit. » (N° 85 in eumd. titulum.) Quidquid sit de praxi curiarum sæcularium

quam nonnulli canonistæ cum Wiestner allegant, nulla est consuetudo in nostris regionibus, ubi cæteroquin causæ hujusmodi perraro tractantur; quapropter si forte contigerit casus, juri communi in Decretalibus asserto inhærendum esset. Cæterum, judex nihil detrimenti patitur in publica opinione, si causam retractet, et, errore aut alterius dolo detecto, suam sententiam mutet. Quod vero ad partes attinet, ipsis sufficienter provisum est, relicta libertate adeundi superiorem, si maluerint [1].

5° Judex ad quem causa refertur inquirit summatim de justitia petitionis, et, si locus sit, omnia restituit in statum pristinum, concesso ut causa iterum tractetur, et sententia reformetur, aut rescindatur actus, prout ratio postulaverit. Ne autem causæ diutius protrahantur, præfixum fuit tempus, quadriennium scilicet, quo elapso non admittitur regulariter petitio restitutionis. In causis Ecclesiarum et majorum, tempus illud currit a die quo læsio contingit, simulque cessavit legitimum impedimentum. « Ecclesia quæ ad retractan-
« dam sententiam... postulat se admitti, si quadriennii spa-
« tium sit lapsum et negligenter omiserit, non est ad be-
« neficium hujusmodi admittenda; nisi prævaricationis vel
« fraudis manifeste probetur super hoc intervenisse commen-
« tum; aut alia rationabilis causa subsit, quæ superiorem
« movere debeat ad idem beneficium concedendum. »
(Cap. *Ecclesia*, 1, eod. tit. in VI°.)

ARTICULUS II. — DE APPELLATIONE.

698. — I° *Quid et quotuplex sit appellatio ?*

I. Appellatio est provocatio ab inferiore ad superiorem judicem, ratione gravaminis illati vel inferendi.

[1] Cf. Reiffenstuel in tit. DE SENTENTIA ET RE JUDICATA, nis 135-138.

Hac definitione appellatio differt ab oppositione nullitatis quæ fieri potest apud eumdem judicem, et quæ fundatur nullitate sententiæ ob defectum competentiæ, aut violationem regularum juris, potius quam ratione gravaminis : item differt a postulatione restitutionis in integrum qua reus ad superiorem recurrit ut ex æquitate dignetur concedere revisionem sententiæ prolatæ, quando elapsum est tempus opportunum pro appellationibus.

Diximus : *Ratione gravaminis illati, vel inferendi,* modo tamen, quoad hunc ultimum casum, intervenerit saltem comminatio damni, juxta sensum cap. *Præterea,* 40, DE APPELLATIONIBUS, quod sic statuit : « Requisiti sumus, si quis judex « ita protulerit sententiam : Nisi Sempronio intra viginti « dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum... « esse cognoscas : ille, in quem fertur sententia, medio « tempore appellans, ad diem statutum minime satisfecerit, « utrum ille tali sententia ligetur, aut interpositione appel- « lationis tutus existat? Videtur nobis quod hujusmodi « sententiam appellationis obstaculum debeat impedire. » Schmalzgrueber notat appellari posse extra judicium etiam a gravamine futuro, non comminato; sed semper supponendum est aliquam esse rationem ex parte superioris præsumendi, aut saltem pertimescendi gravamen ; alioquin inutile foret confugere ad præsidium appellationis.

II. Appellatio duplex distinguitur : alia *judicialis* qua provocatur ab actu judiciali, v. g. a citatione, a sententia interlocutoria, vel definitiva; altera *extrajudicialis*, qua provocatur a mandato quovis, vel ab actu regiminis ecclesiastici, quo reus se gravatum præter fas arbitratur.

Appellatio potest esse verbalis, si fiat intra tribunal, et inseritur tabulis curiæ officio notarii; si fiat extra tribunal, debet scripto consignari. In neutro casu appellans tenetur explicare causam provocationis.

699. — II° *Quinam appellare possint?*

Hi omnes generatim appellare possunt, suo proprio vel procuratoris nomine, qui se gravatos contra fas sentiunt, et hi etiam quorum interest sententiam reformari, nisi appellationi sponte sua renuntiaverint, vel beneficio appellationis interdicantur a jure.

Censentur renuntiavisse appellationi qui declaraverunt coram judice se acquiescere sententiæ absque intentione provocandi; qui juridice confessi sunt delictum propter quod fuerunt condemnati, nisi forte coacta sit confessio, aut pœna gravior ipsis irrogata sit; qui se ita gerunt ut intentionem non appellandi, absque ambiguitate, manifestent. Si, posteaquam renuntiaverint appellationi, appellare nihilominus velint, audiendi non sunt, utpote sibimet in eo non consentientes. (Cap. *Sollicitudinem*, 54, eod. tit.)

Excluduntur a beneficio appellationis, 1° contumaces, qui, donec satisfecerint judicis citationi obtemperando, sibi occludunt omnem aditum ad tribunal superius; 2° illi contra quos tres sententiæ in eadem causa prolatæ sunt conformes. Dicitur in cap. *Directæ*, 39 : *Secundum jura licet in eadem causa bis appellare.* Si autem sententiæ non sint conformes, sed altera sit præcedentis revocatoria, fas erit rem ulterius ad quartam instantiam promovere. 3° Excludebantur olim qui fuerant condemnati sententia definitiva in causa hæresis. Cap. *Ut inquisitionis*, 18, DE HÆRETICIS in VI°.

700. — III° *A quonam gravamine liceat appellare?*

Licitum est ab omni actu generatim appellare, seu judiciali seu extrajudiciali, qui gravamen contra jus inducit, etiam in levioribus. « De appellationibus, ait Alexander III, pro « causis minimis interpositis, volumus te tenere quod eis, « pro quacumque causa levi fiant, non minus est quam si pro « majoribus fierent, deferendum. » (Cap. 11 ejusdem tituli.) Bonifacius autem VIII : « Statuimus ut ab electionibus, pos- « tulationibus, provisionibus, et quibuslibet actibus extra- « judicialibus in quibus appellatio potest interponi, quisquis

« ex eis se gravatum reputans, per appellationis beneficium « gravamen illatum desideraverit revocari, intra decem dies, « postquam sciverit, si velit, appellet; post decendium vero « aditus vero eidem non pateat appellandi. » (Cap. *Concertationi*, 8, eod. tit. in VI°.)

Regula est generalis quam sacri canones, aut expressis verbis indicant, aut alias inconcussam supponunt, et in quam omnes canonistæ consentiunt, absque ulla ambiguitate et controversia, singulis qui se gravatos contra jus reputant, tribui libertatem appellandi, sive judiciali sive extrajudiciali actu gravamen inferatur. Ratio hujus disciplinæ perspicua est : cum jura voluerint unumquemque præsidio auctoritatis superioris tutari ab omni injuria, necessum fuit ut concederetur facultas provocandi etiam ab actu extrajudiciali, qui non minus gravamen sæpe infert, quam sententia a judice prolata.

Quodcumque igitur gravamen contra jus alicui allatum, tametsi leve videatur, potest deferri ad superiorem, per appellationem. Si, v. g., casu accidat ut in publica admonitione prælatus alicui delictum, culpam, vel defectum, exprobret injuste, et, quamvis de eo humiliter deprecatus, nolit verbum injuriosum revocare, inferior potest, si de rigore juris ratiocinari velimus, ad superiorem confugere. Pro causis hujusmodi canones voluere appellationi deferendum, tum quia vel in minimis jus alterius violari non debet, tum quia difficile fuisset ac periculosum discernere gravius damnum a damno leviori, quamobrem magis expedire visum fuit nullam causam excipi a regula generali.

Diximus *gravamen contra jus*, nempe contra leges canonicas, aut contra æquitatem; quapropter removeri debent appellationes frivolæ, quales interponuntur quoties querelans id prætendit quod nullo jure sibi debetur, vel contendit contra leges statutas. Si quis v. g. clericus extraneus conqueritur de Episcopo quod nolit eum suo clero cooptare, quod

ipsi deneget facultatem prædicandi, confessiones excipiendi; si vicarius Ecclesiæ parochialis queritur quod ad aliam Ecclesiam invitus transferatur; si parochus de suo Episcopo querimoniam habet quia Episcopus legem residentiæ, aliasve ad statum clericalem referentes, strictius vult observari. « Cum verba accipienda sint cum effectu..., non debet pa-« trocinari appellationis diffugium, si contra hujusmodi « intentionem decreti fuerit interjectum. » (Cap. *Relatum*, 4, DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.)

701. — *Nota.* 1° Aliquando inserta est in decretis concilii Tridentini et in rescriptis Sanctæ Sedis hæc clausula : *omni appellatione remota.* Sensus non est quod in causis quæ cum illa clausula judici committuntur, occludatur via appellationis, sed quod judex non teneatur supersedere negotio incœpto, ob interpositam appellationem. Cæterum hæc clausula non impedit appellationem ad effectum devolutivum; nam, « si appellans fuerit gravatus injuste, gravamen hujusmodi « per superiorem poterit emendari, » uti declaravit Innocentius III in cap. *Pastoralis.* 53, eod. titulo.

702. — 2° Quæ diximus de jure appellandi omnibus asserto oportet cum aliquo moderamine applicare regularibus qui de actibus suorum respective superiorum queruntur. Ipsis certe licitum est appellare, quando de notabili gravamine agitur; verum si quæstio sit de simplici correctione regulari quæ non excedit limites paternæ disciplinæ, intercluditur via appellationis, ne majus malum inde exoriatur contra debitam subjectionem, unde dicitur in cap. *Reprehensibilis*, 26, eod tit. « Ne religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint « corrigendi, contra regularem prælati sui et capituli disci-« plinam appellare præsumant, sed humiliter ac devote sus-« cipiant quod pro salute sua fuerit eisdem injunctum. »

703. — 3° Sunt duæ species causarum in quibus non solum licet appellare, sed appellatio jure præscripta fuit, adeo ut secunda sententia necessario intercedere debeat ut res

finita censeatur, causæ scilicet de nullitate matrimonii et de nullitate professionis religiosæ. De appellatione in causa nullitatis professionis religiosæ alias dictum est (n° 469). Quod ad causas matrimoniales attinet, multa præscripsit Benedictus XIV Constitutione *Dei miseratione*, anno 1741, quæ, data occasione, opportunum duximus in præsenti referre, cum non debeamus alias tractare de causis matrimonialibus.

Injunctum est omnibus et singulis locorum Ordinariis ut, in suis respective diœcesibus, personam aliquam idoneam eligant, quantum fieri potest ex ecclesiastico cœtu, juris scientia et vitæ probitate præditam, quæ munus habeat defensoris matrimoniorum. Ad illud vero officium defensoris matrimonii spectat, ut in judicium veniat quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari, eumque oportet in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere quæ ad matrimonium sustinendum necessaria censebit. Hoc suum officium fideliter obiturum se juramento obstringet. Præsentiam defensoris necessariam omnino ad integritatem et validitatem judicii voluit Benedictus XIV, quod his sanctionibus significavit : « Quæcumque eo non legitime citato aut intimato, « in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, « ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac « si citata et intimata non esset ea pars, cujus citari intererat « et quam, juxta legum et canonum præscripta ad legitimam « judicii validitatem, citari aut intimari omnino necessarium « erat. » § 7.

Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas hujusmodi cognoscere pertinet, controversia proponitur in qua de validitate matrimonii dubitatur, defensor ita suum officium adimplere tenetur, ut si pro matrimonii validitate judicetur, appellatione abstineat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, et nullus sit qui pro matrimonii validitate

insistat, ipse inter legitima tempora ad judicem superiorem provocabit. Appellatione pendente, vel etiam nulla appellatione ob negligentiam defensoris interposita, vetitum est partibus, quoadusque altera sententia prolata sit, ne novas nuptias celebrare præsumant, alioquin subjacebunt pœnis canonicis, contra polygamos a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis statutis.

Postquam causa in secunda instantia ad alterum judicem appellatione delata fuerit, omnia quæcumque coram judice in prima instantia servanda præfinita fuerant, etiam coram altero exacte custodiri debent, citato in quolibet judicii actu defensore matrimonii, qui matrimonii validitatem pro viribus tuebitur. Si judex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, matrimonii defensor erit qui ab ipso deputatus fuerit; si autem judex sit commissarius Sanctæ Sedis, cui S. Pontifex causæ cognitionem demandaverit, illo defensore matrimonii utetur qui fuerit constitutus ab Ordinario in cujus diœcesi causam cognoscet, etiamsi idem Ordinarius sit qui primam sententiam in eadem causa pronuntiavit.

Instructo in hunc modum judicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit; hoc est, si in secunda æque ac in prima nullum ac irritum matrimonium judicatum fuerit, et ab eo pars, vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio conjugum erit novas nuptias contrahere. Si autem a secunda sententia super nullitate, altera pars appellaverit, vel hæc sententia hujusmodi sit ut defensor matrimonii non putet eam fuisse legitime latam, « volumus, ait Benedictus XIV, ut firma remanente « utrique conjugi prohibitione ad alias nuptias transeundi... « causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis « diligenter omnibus quæ a Nobis in prima et secunda instan- « tia demandata fuerunt, nempe, in quolibet judiciali actu « citato et audito defensore matrimonii, qui a judice tertiæ

« instantiæ deputatus fuerit. » § 11. Cæterum, ea est conditio causarum matrimonialium, uti supra notatum est, ut nunquam transeant in rem judicatam ob cujuscumque temporis lapsum, sed semper reassumi possint, si nova res detegatur quæ ignorata fuerit.

In Const. Benedicti XIV agitur solum de causis super validitate aut nullitate vinculi conjugalis, non vero de sponsalibus, nec de separatione conjugum quoad thorum et habitationem, quæ possunt tractari ac definiri modo consueto.

704. — IV° *A quo judice et ad quem appellare liceat?*

I. Licet appellare a quovis judice, qui habet superiorem relative ad causam controversam. Sequitur ex ipsa ratione appellationis.

Hinc fas non est appellare a S. Pontifice ad concilium generale (n° 221). Istius modi appellationes S. Sedes olim proscripsit uti faventes hæresi et schismati, contrarias principiis constitutionis Ecclesiæ catholicæ. « Insuper, ridiculum « est, ait Pius II in Bulla *Execrabilis*, appellare ad id quod « non est, neque scitur quod futurum sit. Eo obtentu remanent scelera impunita, nutritur adversus Sanctam Sedem « rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis disci« plina confunditur. »

II. Appellatio fieri debet ad superiorem hierarchicum, et communiter quidem ad superiorem immediatum : a parocho, si quis queratur de gravamine per parochum illato, ad Episcopum; ab Episcopo ad Metropolitanum; a Metropolitano ad Primatem, si sit Primas; et deinceps ad S. Pontificem. Regulares a jurisdictione Episcoporum exempti, eadem ratione appellare debent a suo v. g. priore ad provincialem, a provinciali ad præpositum generalem, servatis regulis sui instituti.

1° Quod ad superiorem hierarchicum provocandum sit nemo dubitat, cum appellatio ut effectum sortiatur, supponat in judice veram jurisdictionem in ordine causarum ecclesiasti-

carum, et magistratus sæcularis omni penitus careat jurisdictione in hujusmodi causas.

2° Quod vero ad superiorem immediatum fieri communiter debeat appellatio, ordo hierarchiæ in Ecclesia constitutus requirit. Quamvis omnes causæ possint jure divino ad Sanctam Sedem immediate referri, valde expedit ut causæ, exceptis majoribus, et negotiis quæ juxta canones vel jurisprudentiam vigentem ad S. Pontificem necessario reducenda sunt, ad superiorem immediatum devolvantur. Provisum olim fuerat concordato inito inter Leonem X et Franciscum I, ne ulla causa, præter causas majores, ad Sanctam Sedem deferretur omisso medio. Tit. XI. Nihil ea de re definit jus commune, et decretum quod Concilium Tridentinum edidit ut causæ ab ordinariis locorum judicarentur antequam ad S. Sedem promoveantur, exceptis majoribus, refertur tantum ad cognitionem causarum in prima instantia, non vero ad casum appellationis, de qua mentio non fit in decreto (n° 659).

705. — Quæstio mota est an fideles archidiœcesis possint appellare a sententiis officialis diœcesis, ad officialem ejusdem Præsulis quatenus Metropolitani. Multa suadent ne hujusmodi appellatio interponatur. Etenim, non datur appellatio ab officiali ad Episcopum, quia idem utriusque est auditorium, eadem auctoritas; porro si causa provocetur ab officiali Metropolitani quatenus judicis ordinarii immediati, ad officialem ejusdem Metropolitani quatenus Metropolitani, eadem etiam est auctoritas, idem auditorium. Re quidem vera, cum idem sit Metropolitanus qui Episcopus diœcesis in casu, idem videtur simul esse utriusque officialis tribunal, proindeque ab æquali ad æqualem appellabitur, quod destruit naturam ipsam appellationis. Nec videtur sustineri posse consuetudinem contrariam, quia hujusmodi consuetudo, quatenus est contra substantiam appellationis, reprobatur a jure uti apparet ex capite 2, DE CONSUETUDINE, in VI°, ubi dicitur : « Non « putamus illam consuetudinem, quantocumque tempore de

« facto servatam, consonam rationi quod ab officiali Episcopi « ad eumdem valeat appellari; ne ab eodem ad seipsum, cum « sit idem auditorum utriusque, appellatio interposita videa- « tur. » Idem confirmatur praxi communi Ecclesiarum.

Pluribus tamen abhinc sæculis invaluit disciplina in plerisque archidiœcesibus Galliæ, usque ad concordatum anni 1801, ut Metropolitani haberent duplicem gradum officialitatis. Cum in diœcesi Parisiensi, a tempore quo Ecclesia Parisiensis in dignitatem metropolis erecta fuerat Constitutione Gregorii XV *Universi orbis* anno 1622, ad annum 1775, officialis metropolitanus nullam exercuisset jurisdictionem in officialem diœcesanum, cujus sententiæ, appellatione interposita, ad curiam Ecclesiæ Lugdunensis devolvebantur, Archiepiscopus consilia petiit a clero Gallicano in comitiis generalibus congregato, utrum hunc morem immutari expediret. Quæstio perpensa fuit sub multiplici respectu, principiorum generalium juris, praxis Ecclesiarum, et commodi incolarum. Ad regulam communem quæ vetat ne ab officiali ad Episcopum, et proinde ab officiali ad officialem ejusdem præsulis appelletur, notatum fuit nihil repugnare quominus in jurisdictione ejusdem præsulis sint duo gradus jurisdictionis, quando duplicem titulum præfert, alium ab altero distinctum, et jurisdictio non ab eadem persona exercetur. Aliunde fas est appellare a delegato super causa speciali ad officialem generalem, quamvis utriusque jurisdictio ab eodem Episcopo procedat[1]; quidni liceret appellare ab officiali diœcesano ad metropolitanum, qui suo titulo superior est? Quoad disciplinam vigentem, animadverterunt vetustissimam ac immemorabilem esse in plerisque provinciis Galliarum praxim duplicis officialitatis pro causis archidiœceseon. Conclusio deputatorum cleri pro discutienda quæstione hæc fuit : « Nous croyons qu'il est convenable que Mgr l'Archevêque

[1] Vid. Glossam in cap. *Non putamus*, 2, DE CONSUETUDINE, in VI°.

« de Paris se rapproche de l'usage commun, qu'il ait deux « officiaux distincts et séparés, et que celui qui remplira les « fonctions d'official mètropolitain reçoive les appels de l'of- « ficial diocésain. Il y a toujours de l'avantage à faire obser- « ver par toutes les Églises ce qui est observé par le plus grand « nombre et à mettre les justiciables à portée d'être jugés « sans quitter leur domicile. Si les trois degrés ne peuvent « être épuisés sur les lieux, il faut au moins qu'ils y trouvent « tous ceux qu'il est possible de leur procurer [1]. » Huic conclusioni assensum dedit clerus et ipse Archiepiscopus Parisiensis in cujus diœcesi ab eo tempore, non secus ac in aliis archidiœcesibus, instituta fuit duplex officialitas. Res in eodem statu a tempore concordati ad præsentem usque ætatem permanserunt; constitutæ sunt duæ officialitates distinctæ in plerisque curiis Archiepiscopalibus, una diœcesana, altera Metropolitana cum facultate data propriis diœcesanis Archiepiscopalis Ecclesiæ, non secus ac cæteris Ecclesiarum provinciæ, appellandi ab officiali diœcesis ad officialem metropolitanum; rariores tamen fuerunt casus appellationis [2].

Nostrum non est judicare utrum servanda sit in posterum hæc disciplina quæ recedit a regulis generalibus juris et praxi aliarum Ecclesiarum. Quid ea de re tenere debeamus, discemus ex agendi ratione Sanctæ Sedis, si quando occa-

[1] *Collection des procès-verbaux des assemblées générales du clergé de France.* tom. VIII, IIe partie, p. 2555-2558. — Cf. *Mémoires du clergé,* tom. VII, col. 1446-1449.

[2] Anno 1810, cum causa nullitatis matrimonii inter Napoleonem I et Josephinam delata fuisset ab officialitate diœcesana ad metropolitanam, plures e cardinalibus et theologis Italis qui tunc Parisiis versabantur conquesti sunt jus Sanctæ Sedis violatum, propterea quod causa hujusmodi ad S. Pontificem referenda erat, in prima etiam instantia; nihil autem ea occasione objectum fuit contra duplicem gradum officialitatis. Hæc ad memoriam rerum afferimus, non ad probationem; dici enim potest cardinales et theologos de quæstione præcipua gravius sollicitos, ad formas in processu servatas coram officialitate minus attendisse. (*Ami de la Religion,* tom. LXXXI, pag. 241, 289.)

sione sententiæ ab officialitate metropolitana prolatæ, causa deferatur ad curiam Romanam. Interea autem nemini exprobrandum quod in praxi inhæreat disciplinæ suæ Ecclesiæ, retento semper jure appellationis ad S. Pontificem pro sententia definitiva.

706. — V° *Quandonam appellationes fieri debeant ?*

I. Quando actus extrajudicialis, aut sententia, habet *tractum successivum*, ut aiunt canonistæ, scilicet effectum continuum, appellatio fieri potest sine ulla temporis præfinitione. Quamdiu perdurat gravamen, tamdiu licitum est gravato provocare causam apud judicem superiorem. Ita communiter doctores qui regulam apponunt, exempli causa, ad casus subsequentes : 1° si quis citatur ad locum non tutum ; 2° si quis excommunicatur ; 3° si sit suspensus, seu interdictus.... In his et aliis similibus, gravamen protrahitur de die in diem, ac singulis veluti diebus respondet; dummodo igitur reus paratum se teneat ad obsecundandum judici statim ac poterit, et interea abstineat actibus sibi vetitis, a sententia seu decreto superioris poterit appellare, cum id sibi opportunum duxerit.

II. In aliis casibus appellatio fieri debet intra *fatalia*. Fatalia dicuntur tempora intra quæ appellatio inchoari, vel prosequi, vel terminari debet, ne sententia transeat in rem judicatam.

1° Ad declarandum appellationem conceditur decendium. Ita cap. *Quod ad consultationem*, 15, DE SENTENTIA ET RE JUDICATA : « Cum per decem dierum spatium, sententia in auctori-« tatem rei judicatæ transeat; qui ad provocationis subsidium « intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum dene-« gavit, cum per hoc videatur, per interpretationem juris, « latæ sententiæ paruisse, præsertim ubi causa non redditur « appellandi. » Hanc dispositionem renovavit Bonifacius in cap. *Concertationi* quod supra citavimus (n° 700).

Decendium currit a momento latæ sententiæ, si reus

fuerit præsens, vel a die quo illam noverit, si fuerit absens.

2° Appellans debet, intra spatium triginta dierum, obtinere a judice litteras remissorias directas ad superiorem, alioquin præsumitur renuntiasse appellationi.

Tempus illud probabiliter currit a die productæ appellationis. Judex posset assignare breviorem terminum, ut celerius causa finiatur, et eo casu reus qui præfixo tempore litteras non requisierit, privatur beneficio appellationis. (Cap. *Quamvis*, 2, DE APPELAT. Clem.)

Hujusmodi litteræ vocantur in jure *Apostoli*, quia reus appellans mittitur ad judicem superiorem; dicuntur insuper *Reverentiales*, si judex illas simpliciter tradiderit ad testandum suam reverentiam erga superiorem, non vero quod judicet causam talem esse quæ mereatur appellationem; vocantur *Refutatoriæ* si judex a quo, appellationem, rejiciendam arbitretur et eo in casu rationes subindicat cur illam non admittat. « Nunc, ait Devoti, nullus fere et usus *apostolorum* in foro, « ac per libellum appellationis, intra decendium in actis « exhibitum, appellatio interponitur. » (DE APPELL., n° XI.)

3° Ad prosequendum appellationem datur annus, intra quem si appellans, justa causa cessante, suam appellationem non fuerit prosecutus coram tribunali superioris judicis, eam deseruisse censebitur. « Sicut appellationem judicialem, sic « et extrajudicialem, intra annum a die interpositionis ejus- « dem, vel a die illati gravaminis, prosequi et finire tenetur « appellans. Quod si justo cessante impedimento non fecerit, « debebit ejus appellatio deserta censeri. » (Cap. 3, DE APPELLATIONIBUS. Clement.) Non præjudicat igitur reo lapsus temporis, nec currunt contra illum fatalia, si constiterit illum impeditum fuisse quin suam causam prosequeretur; quod etiam intelligendum putamus de prima appellationis interpositione. (Cap. *Ex ratione*, 8; et cap. *Si justus metus*, 73, eod. titulo lib. II Decretalium.)

III. Lex fatalium semper viget; est enim fundata ratione

boni publici, ne processus in infinitum protrahantur : illam præterea confirmat consuetudo ; omnes siquidem exoptant sua negotia accelerari quantum sinunt rerum adjuncta. Hanc legem suo tempore vigere satis clare admonebat Benedictus XIV, Bulla *Ad militantis*, in qua dicebat : « Appellationes « non recipiantur nisi prius constiterit... quod intra legitima « tempora appellatum fuerit. » § 43.

Hinc 1° judex potest suam sententiam exsequi, ex quo lapsum est decendium, quin reus declaraverit se ad superiorem provocare; 2° elapso tempore, si reus velit suam causam retractari, id non poterit per viam appellationis, sed vel per oppositionem nullitatis, sensu supra explicato, vel per supplicationem ad obtinendum beneficium restitutionis in integrum.

Potest etiam judex suam sententiam exsequi non obstante appellatione, si sit manifeste frivola, nec ei detulerit; id est si non eam admiserit concedendo *apostolos reverentiales*, aut alio modo significando causam a se deferri ad superiorem. (Cap. *Cum appellationibus*, 5, eod. tit. in vi°.)

707. — VI° *Qui sint effectus appellationis ?*

Duo effectus tribuuntur generatim appellationi : effectus *devolutivus* qui est jus acquisitum superiori retractandi causam ab inferiore definitam, et effectus *suspensivus* qui est suspensio jurisdictionis judicis a quo appellatur quoad causam, et suspensio exsecutionis sententiæ.

I. Omnis appellatio facta canonice producit effectum devolutivum. Hoc sequitur necessario ex natura et fine appellationis, quæ non alio tendit quam ad sublevandum reum a gravamine : porro, gravamen non potest reparari nisi causa devolvatur ad superiorem cum jure competenti illam retractandi... Judex autem ad quem appellatur, non limitat suum jus ac officium ut pronuntiet an bene vel male fuerit appellatum, ut res de novo ad priorem judicem remittatur, si quid contra canones commissum fuerit; sed ipse causam judicat,

sequendo regulas consuetas in judiciis, quales exposuimus in sectione III et IV... Potest nihilominus, quod magis sæpe optandum si possibile sit, causam componere extrajudicialiter per benevolam interpositionem inter superiorem immediatum et reum.

II. Appellatio habet etiam effectum suspensivum, nisi tamen provocetur a sententia quæ morum reformationem vel pastoralem administrationem spectat.

« Appellatione interposita, sive ea recepta fuerit sive non, « medio tempore nihil innovari oportet. » (Cap. *Post appellationem*, 31, caus. II, quæst. 6.) Est principium juris Romani quod in canonicum translatum est.

Hinc judex a quo appellatur tenetur abstinere, post interpositam appellationem, ab omni actu qui vergeret in detrimentum appellantis, in ipsamet causa appellationis. Quæ in contrarium fierent vocantur attentata; et judex ad quem ea revocare potest, tum ad petitionem illius cujus interest, tum ex officio, etiam antequam pronuntiet de legitimitate appellationis.

Diximus 1° nisi provocetur a *sententia lata ad correctionem morum*.

Concilium Lateranense IV ea de re statuit : « Ut correctio- « nis et reformationis officium libere valeant exercere (Eccle- « siarum prælati) decernimus ut exsecutionem ipsorum nulla « appellatio valeat impedire, nisi formam in talibus observan- « dam excesserint. » (Cap. *Irrefragabili*, 13, DE OFF. JUDICIS ORDINARII, in VI.) Eodem sensu legimus in cap. *Is qui*, 20, DE SENT. EXCOMM. quod « sicut excommunicatio, sic ab officio et « ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per « appellationem sequentem minime suspenduntur. » Hanc disciplinam innovavit Conc. Trid., sess. XXIV, cap. X, ubi vetat ne quando « de visitatione, aut morum correctione agitur, « ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem « Apostolicam interposita, ab exsecutione eorum quæ ab his

« (Episcopis) mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo-« modo impediat aut suspendat. »

Subsistit tamen conditio in Decretali *Irrefragabili* inserta, nimirum si prælati excesserint formam in iis servandam. Si tulerint excommunicationem absque forma judicii, si attentaverint privare beneficiarium suo titulo inamovibili per sententiam ex informata conscientia, sub prætextu correctionis morum, et alia similia egerint, formam excesserunt, et appellatio vim suspensivam habet.

Diximus 2° vel *pastoralem administrationem*. Hoc indicat decretum mox allatum Concilii Tridentini. Est præterea Constitutio Benedicti XIV *Ad militantis Ecclesiæ*, an. 1742, quam partim transcribendam operæ pretium duximus, quia permulta complectitur scitu necessaria.

708. — Benedictus XIV Constitutionem *Ad militantis* edidit, ut ipse declarat, ut tandem compescerentur graves, diuturnæ, nulloque unquam tempore intermissæ Episcoporum querimoniæ adversus tribunalia majora. Statuit igitur ne ulla appellatio suspendat mandata Episcoporum in iis quæ curam animarum, cultum divinum, diœcesis regimen spectant.

« 5.... Districte præcipimus, et mandamus, ne deinceps ab exsecutione decretorum dicti Sac. Concilii Tridentini, in omnibus illis causis, et negotiis, in quibus exsecutio hujusmodi Episcopis et locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatis, ab eodem sacro concilio, vel dictis apostolicis constitutionibus, appellatione, vel inhibitione quacumque postposita, commissa est, appellatio aliqua in tribunalibus prædictis recipiatur, vel inhibitiones..., per quæ dictorum decretorum exsecutio retardetur, aut processus ad ulteriora in eadem exsecutione suspendatur aut impediatur, quoquomodo concedantur.

« 6. Itaque a quibuscumque mandatis, prohibitionibus et statutis tam in visitatione, quam extra, pro divino cultu con-

servando et augendo, et præsertim circa ea quæ observanda et evitanda sunt in celebratione Missæ...

« 7. Item a decretis cogentibus clericos tam sæculares quam regulares, etiam monachos et exemptos ad publicas processiones :.. necnon super observatione censurarum, etiam episcopalium, et festorum diœcesis, juxta dispositionem ejusdem Sacri Concilii, sess. XXV, *de Regular.*, cap. XII et XIII.

« 8. Item in omnibus iis quæ ad curam animarum et sacramentorum administrationem quoquomodo pertinent...

« 9. Item adversus deputationem vicariorum etiam perpetuorum cum assignatione congrua, per quos cura animarum exerceatur; quoties beneficia curata cathedralibus collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis seu collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et annexa reperiuntur; juxta præscriptum dicti Sacri Concilii, sess. VII, *de Reform.*, cap. V et VII, et juxta Constitutionem sanct. mem. Pii V quæ incipit : *Ad exsequendum*...

« 11. Item a decretis, seu mandatis per quæ Episcopi, etiam uti Apostolicæ Sedis delegati, in Ecclesiis parochialibus, aut baptismalibus in quibus populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinent, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum : aut etiam invitis rectoribus, procedant ad constitutionem novarum parochiarum cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt, vel denique propter paupertatem, et in cæteris casibus a jure permissis, deveniant ad uniones perpetuas aliorum beneficiorum simplicium, non tamen regularium, juxta dispositionem Sacri Concilii, sess. XXI, *de Reform.*, cap. IV et V, et sess. XXIV, similiter *de Reform.*, cap. XIII.

« 12. Item a deputatione coadjutorum aut vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegato, quando illiterati, et imperiti parochialium Ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis; cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: necnon a suspensione, atque etiam a privatione illorum qui turpiter et scandalose vivunt, et postquam prænoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, juxta præscriptum ejusdem Concilii, sess. XXI, *de Reform.*, cap. VI...

« 14. Item a censuris, sequestratione, et subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam parochis, cæterisque omnibus, quibus cura animarum incumbit, juxta decretum ejusdem Sacri Concilii, sess. XXIII, *de Reform.*, cap. I.

« 15. Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione, et limitatione facultatis audiendi confessiones, respectu eorum qui parochiale beneficium non obtinent, etiam si fuerint regulares, pro excipiendis confessionibus sæcularium, juxta ordinationem Sacri Concilii, sess. XXIII, cap. XV, et prædecessorum nostrorum constitutiones, ac præcipue illam fel. rec. Clement. X, quæ incipit: *Superna*...

« 17. Item a deputatione vicarii, vel œconomi, cum assignatione congrua pro tempore quo vacat Ecclesia parochialis: etiam ab indictione concursus, relatione examinatorum, necnon præelectione, et provisione Episcopi in eodem concursu, juxta definitionem Sacri Concilii, sess. XXIV, *de Reform.*, cap. XVIII.

« 18. Item a mandatis seu decretis inhibentibus prædicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tam sæculares, quam regulares qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in Ecclesiis suis, aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint...

« 19. Et generaliter in omnibus iis quæ pertinent ad curam animarum, et rectam sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coercitionem, et quascumque alias provisiones Episcopi diœcesani, etiam quoad exemptos, sive sæculares, sive regulares, juxta laudatam Constitutionem Gregorii XV quæ incipit : *Inscrutabili.*

« 20. Item adversus quascumque provisiones, et decreta pro conservanda aut restituenda clausura sanctimonialium, aut pro correctione seu punitione eorum qui circa personas intra monasteria degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem deliquerint.

« 21.... Necnon similiter a quibuscumque decretis, et provisionibus etiam extra visitationem, pro conservatione et reparatione ecclesiasticæ disciplinæ, quoad vitam, mores et honestatem quorumcumque clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, et sæcularia negotia fugienda, atque evitanda, juxta plura decreta dicti Sacri Concilii...

« 23. Item a denegatione sacrorum ordinum, vel adscensus ad alios majores : prout etiam adversus suspensionem ab ordinibus jam susceptis, ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, juxta dispositionem Sacri Concilii, sess. XIV, *de Reform.*, cap. I et III; sess. XXI, cap. I; et sess. XXIII, cap. XVI.

« 24. Item a præfixione termini, intra quem regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degat, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, a suo superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri...

« 25. Item a censuris aut aliis provisionibus contra concubinarios, et præsertim clericos etiam retinentes domi, aut extra, mulieres suspectas, juxta præscriptum Sacri Concilii, sess. XXIV, *de Reform. matrim.* cap. VIII, et sess. XXV, *de Reform.*, cap. XIV.

« 26. Item adversus privationem privilegii fori, et alias

provisiones contra clericos non accedentes in habitu et tonsura, et in aliis casibus a Sacro Concilio præscriptis sess. XIV, *de Reform.*, cap. VI, et sess. XXIII, cap. VI.

« 27. Prout etiam ab examine, approbatione vel reprobatione patrimonii sacri, pensionis ecclesiasticæ, aut beneficii, quoad clericos promovendos ad sacros ordines, juxta dispositionem ejusdem Concilii, sess. XXI, *de Reform.*, cap. II.

« 28. Item adversus convocationem capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, et juxta vota ipsorum capitularium concludendum, quoties de re ad suum vel suorum commodum spectante non agatur, juxta decretum Sacri Concilii, sess. XXV, *de Reform.*, cap. VI.

« 29. Item a mandatis seu decretis super conversione tertiæ partis fructuum et quorumcumque proventuum, et obventuum, portionum et officiorum, in distributiones quotidianas, earumque divisione inter dignitates obtinentes, et cæteros divinis interessentes, in Ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones hujusmodi quotidianæ, vel ita tenues ut verisimiliter negligantur; juxta Constitutionem ejusdem Concilii, sess. XXI, *de Reform.*, cap. III, et sess. XXII similiter, *de Reform.*, cap. III...

« 31. Item a visitatione hospitalium, collegiorum quorumcumque et confraternitatum laicorum, eleemosynarum, montium pietatis, sive charitatis, et omnium piorum locorum, quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, aut exemptionis privilegio sint munita : ac denique a cognitione et exsecutione eorum omnium quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt juxta dictum decretum Sacri Concilii, sess. XXII, *de Reform.*, cap. VIII.

« 32. Item a decretis seu a mandatis cogentibus administratores tam ecclesiasticos quam laicos, etiam exemptos, fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, et quorumcumque

piorum locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suæ administrationis, nisi aliud in institutione et ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum fuerit...

« 34. Item ab erectione seminarii, et taxatione quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum... necnon a decretis cogentibus eos qui scholasterias obtinent, vel quibus lectionis, vel doctrinæ munus est annexum, ad docendum per seipsos, vel idoneos substitutos : et generaliter a mandatis et provisionibus, quæ quoquomodo respiciunt curam, directionem et administrationem seminarii, plenamque exsecutionem decreti editi a Sacro Concilio super collegio puerorum in singulis cathedralibus instituendo. Sess. XIII, *de Reform.*, cap. XVIII.

« 35. Item a mandatis, seu decretis cogentibus œconomos, vicarios capitulares, ad reddendam rationem administrationis per eos gestæ sede episcopali vacante, juxta præscriptum Sacri Concilii, sess. XXIV, *de Reform.*, cap. XVI.

« 36. Item a comminatione excommunicationis a jure latæ, et a sententia excommunicationis latæ ab homine, suspensionis et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis : et e converso a sententia absolutionis ab eisdem censuris ecclesiasticis.

« 37. Et generaliter ab exsecutione aliorum quorumcumque decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini, Episcopis atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, et in Constitutione fel. record. Pii Papæ IV, quæ incipit : *Benedictus Deus.*

« 38. Volumus, præcipimus et mandamus quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque judicibus ecclesiasticis, etiam nostris et Sedis Apostolicæ Nuntiis vel de latere Legatis... citationes generales vel speciales cum commissione inserta, monitoria, et alia hujusmodi cum inhibitione, per quam exsecutio decretorum, mandatorum et provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur aut impediatur,

minime concedantur, et quatenus nunc, aut in posterum concessa fuerint nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis impune sperni possint; quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis privilegio, aut stylo concedendi inhibitiones in causis prædictis, tametsi temporarias, penitus exlusis. Nos enim citationes et monitoria, aliter quam ut præfertur, concessa, vel in posterum concedenda, nulla atque irrita declaramus et pro nullis atque irritis haberi volumus et mandamus : decernentes, quod adversus decreta, mandata et provisiones ejusmodi, quas vel quæ ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in causis et negotiis prædictis, vel simplex duntaxat, et extrajudicialis recursus per viam supplicis libelli ad Nos et successores nostros Romanos Pontifices, vel respective, et juxta causarum naturam et qualitatem, appellatio ad quos de jure, in solo devolutivo, et sine retardatione, vel præjudicio legitimæ exsecutionis, recipi et admitti possit. »

709. — VII° *Quomodo procedere debeat judex ad quem fit appellatio?*

Non possumus quæstionem propositam accuratius resolvere, quam referendo decreta quæ S. Congregatio, causis Episcoporum præposita, tulit an. 1600, relatione prius habita Clementi VIII, ad tollendas ambiguitates et controversias jurisdictionales quæ quandoque oriuntur inter judices primæ instantiæ et judices appellationum.

« 1° Metropolitani... in suffraganeos, eorumve subditos « non judicent nisi in casibus a jure expressis.

« 2° Item nec alii superiores, etiam Legati de latere, spe- « cificam facultatem majorem non habentes, causas in curiis « Ordinariorum, vel aliorum inferiorum judicum pendentes « ad se non advocent, nisi per viam legitimæ appellationis « ad ipsorum tribunalia deferantur.

« 3° Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica « instrumenta, quæ realiter exhibeantur, prius constiterit ap-

« pellationem a sententia definitiva, vel habente vim defini-
« tivæ, aut a gravamine, quod per definitivam sententiam
« reparari non possit, in casibus a jure non prohibitis, per
« legitimam personam, et intra tempora debita, fuisse inter-
« positam ac prosecutam...

« 5° Inhibitiones post appellationem receptam non conce-
« dantur nisi cum inscriptione tenoris sententiæ, aut decreti
« definitivi, vel vim definitivæ habentis...; alias inhibitiones
« et processus, et quæcumque inde secuta, sint ipso jure
« nulla, eisque impune non parere liceat.

« 6° Si appellans asserat sententiæ aut appellationis exem-
« plum, culpa judicis a quo, vel actuarii, habere non posse,
« non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio
« concedenda; sed eis tantum ad quos pertinet injungi po-
« terit ut exemplum authenticum appellanti intra brevem
« aliquem competentem terminum tradatur... Si per actum
« publicum, aut per depositionem testium, constiterit acta
« denegari appellanti, tum mandato tradendi acta possit ju-
« dex appellationis adjicere ne interim aliquid novi contra
« appellantem attentetur.

« 7° Ab exsecutione decretorum Sacri Concilii Tridentini
« aut visitationis apostolicæ, appellationes a Metropolitanis
« non recipiantur, nec si Episcopi virtute ejusdem Concilii
« procedunt uti Sedis Apostolicæ delegati in causis quæ sub
« eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur. Salva
« tamen in hoc casu Legatorum Apostolicorum et Nuntiorum
« auctoritate...

« 11° Acta originalia processus primæ instantiæ ad judicem
« appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis
« aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quæ judicialiter
« objiciatur; et tunc terminata causa remittenda sunt ad
« Ordinarium, ut in suo archivo conserventur.

« 12° Censura ecclesiastica in appellantem prolata re-
« laxari, aut nulla declarari per judicem appellationis non

« possit, nisi auditis partibus et causa cognita; tuncque, si « constiterit eam justam esse, ad judicem, qui excommuni- « cavit, appellans remittendus est, ut ab ipso, juxta sacros « canones, beneficium absolutionis, si humiliter petierit, « debitamque emendationem præstiterit, obtineat; si vero « injustam esse clare apparet, superior absolutionem impen- « dat; si dubitetur, honestius est, ut ad excommunicatorem, « intra brevem aliquem terminum, absolvendus remittatur; « licet etiam superior hoc casu idipsum per se præstare jure « possit.

« 13° Absolutio ad cautelam, nonnisi parte citata, et visis « actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab « homine prolatæ vel a jure, si occurrat dubium facti, vel « probabile dubium juris, concedenda erit; tuncque ad « tempus breve cum reincidentia, et præstita per excommu- « nicatum cautione de standO juri, et parendo mandatis Ec- « clesiæ tantum : et si, juxta formam a jure præscriptam, « apparebit aliquem ob manifestam offensam excommunica- « tum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare; et si « ob contumaciam manifestam, expensis pariter satisfacere, « et cavere de judicio sisti coram excommunicatore is tene- « bitur, priusquam ad cautelam absolvatur.

« 14° A sententia etiam definitiva contra verum contuma- « cem prolata appellatio non recipiatur; nec inhibitio, aut « alia quævis provisio, quamdiu appellans in hujusmodi vera « contumacia perstiterit, concedatur. »

Quando igitur judex *ad quem* rite noverit quæ sit sententia quodve decretum judicis inferioris, debet ante omnia expendere an sit justa causa appellationis, an appellatio interponatur tempore opportuno, an reus non interdicatur beneficio appellationis ob contumaciam. Si, omnibus accurate pensatis, videatur justam fuisse sub quocumque respectu causam appellationis, inhibere potest judici inferiori ne ultra in causa procedat, vel quid attentet in præ-

judicium appellationis. Tandem, re juxta regulas præscriptas examinata, citatis et auditis partibus, pronuntiabit, an bene, an male judicatum fuerit; an gravamen de quo conqueritur reus sit, vel non, contra jus. Si male judicatum fuerit, aut gravamen contra jus sit illatum, reformabit sententiam, seu decretum; sin autem, reum ad primum judicem remittet, ut illius decisioni se humiliter subjiciat.

ARTICULUS III. — DE RECURSU EXTRAJUDICIALI.

710. — Ex dictis in præcedenti articulo sequitur licitum fore appellare a quocumque gravamine etiam extrajudicialiter illato, et hanc appellationem extrajudicialem interponi ad judicem superiorem immediatum, exceptis casibus jure præfinitis. Sed difficultas est quoad sententias ex *informata conscientia* latas et quoad appellationes quas ab aliis sententiis reus vult interponere, quando lapsa sunt fatalia.

In utroque casu reus potest relevari a gravamine, si ad superiorem recursum habuerit libello supplici, et superior annuerit ut causa retractetur. Quæstio est quem superiorem adire debeat.

In pristino rerum statu apud Ecclesias Galliarum recursus habebatur ad superiorem immediatum, ab Episcopo nempe ad Metropolitanum contra quosvis actus extrajudiciales et judiciales quibus gravamen inductum erat.

1° Concordatum Leonis X cum Francisco I statuerat omnes et singulas causas, exceptis majoribus, terminandas et finiendas esse apud judices in partibus, qui jure aut consuetudine earum cognitionem habebant: porro harum causarum nomine continebantur expostulationes subditorum pro illato gravamine etiam per quosvis actus extrajudiciales; sensu enim obvio verborum, causæ dicuntur negotia quæ in controversiam adducuntur coram superiore.

2° Canonistæ non aliter interpretabantur decretum concilii Tridentini, quod juxta illos voluit interdicere Prælatis majoribus quominus ex favore relevare præsumant clericos suorum suffraganeorum a pœna suspensionis, quocumque modo, judiciali aut extrajudiciali, lata fuerit; non vero illis inhibere quominus, facto canonico recursu, de iis pœnis judicent, uti metropolitani. Eodem sensu Episcopus Diniensis mentem suam aperiebat, in opere anno 1845 edito : « En « examinant avec attention le but que le Concile s'est proposé « dans ce canon, *ait* D. Sibour, nous regarderions comme « plus probable qu'il n'a pas voulu empêcher dans ce cas « d'interdit la réhabilitation par sentence émanée d'un pou- « voir juridictionnel supérieur à l'Évêque, mais seulement « la réhabilitation par grâce. » (*Institutions du diocèse de Digne*, tom. I, pag. 478, 479.)

3° Huic interpretationi consonabat praxis : et hæc est ratio cur, dum canonistæ exterarum regionum adeo frequentem mentionem habent recursus immediati ad Sanctam Sedem occasione sententiarum *ex informatà conscientia*, nulla ejusdem recursus pro hujusmodi causis vestigia, aut nonnisi rarissima, appareant in scriptis canonistarum e Gallia, et in actis cleri Gallicani. Clerus Gallicanus non existimabat decreto Concilii excludi recursum ad Metropolitanum.

711. — Quidquid sit de veteri Galliarum disciplina, vi concordati et consuetudinis inducta, jus commune, interpretatione quam dedit S. Congregatio firmatum, statuit recursum libello supplici contra sententias *ex informata conscientia* habendum esse ad S. Pontificem.

1° Concilium Tridentinum, concessa Episcopis facultate procedendi extrajudicialiter in casibus supra memoratis, addidit : « Nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa « licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, « gradus, dignitates, restitutio suffragetur. » Hæc verba Concilii, si littera solummodo inspiciatur, possunt quidem sumi

vel eo sensu quod Prælati majores non debeant, pro sui arbitrio, ex mera indulgentia, relevare clericos a pœna suspensionis contra voluntatem respectivi eorumdem clericorum Episcopi, vel eo sensu quod nullo modo, seu sententia judiciali, seu licentia extrajudicialiter data, restituere in pristinum statum, contra voluntatem Episcopi, clericos ex informata conscientia a suis ordinibus suspensos. Porro, Sacra Congregatio, cujus est explicare disciplinam concilii, secundam illam interpretationem dedit, uti solam quæ exhibeat sensum germanum Concilii Tridentini, et consentanea sit praxi atque jurisprudentiæ curiæ Romanæ. Plures decisiones ea de re datas referunt canonistæ, quas legere est apud Benedictum XIV. Nuperrime, anno scilicet 1848, proposito dubio in huncce modum in causa Lucionensi : *An ab hujusmodi suspensionis* (ex informata conscientia) *decreto, detur appellatio ad Metropolitanum, seu potius sit tantum locus recursus ad S. Sedem in casu.* Responsum est : *Negative, ad primam partem; affirmative, ad secundam.* 2° Metropolitana jurisdictio in suffraganeos Episcopos jure tantum canonico, non divina institutione, innititur; Metropolitanus igitur recipere non debet appellationes, nisi intra limites ab eodem jure, interpretatione nimirum authentica decretorum et praxi Ecclesiæ, præfixos.

S. Pontifex, causam S. Congregationi, vel alicui ex Episcopis in partibus committit. Postulatur ab Episcopo qui sententiam tulit, ut suspensionis irrogatæ causas aperiat, quas delegatus judex a S. Sede sub secreto servat, quatenus justitia exigat, aut christiana charitas suadeat. Recursu pendente, quoadusque causa definita sit, cuncta in eodem statu permanent : clerici exercere nullatenus valent ordines a quibus suspensi fuerunt. (Ferraris, v° *Suspensio*, art. 1, n° 25, refert instructionem in eo sensu datam a S. Congreg.)

712. — Hæc de appellatione a sententiis ex *informata conscientia*, dicta sint pari jure de revisione judicii, quando quis,

elapsis fatalibus, exoptat suam causam retractari, excepto tamen casu petitionis *restitutionis in integrum* in causa civili, de qua superius egimus. (N° 697.) Extra hunc casum perspicuum est ex sanctionibus canonicis supra relatis non amplius dari jus ad appellandum transacto tempore præfinito; si vero reus destituatur jure appellandi, nec Metropolitano fas erit causam cognoscere, nisi ex consensu Episcopi res componatur. Ergo recurrendum erit ad S. Pontificem qui, utpote supremus Antistes, omnes causas potest ad se evocare quin lædantur jura singulorum Episcoporum.

APPENDIX

AD SECTIONEM V^am^

DE APPELLATIONIBUS AB ABUSU.

712. — I. Appellatio *ab abusu* nuncupatur in Galliis recursus ad magistratum sæcularem adversus judices, aut superiores ecclesiasticos, abutentes sua potestate, intra exercitium officii publici, et lædentes jura quorum tuitio lege politica et civili demandatur principi.

Tribunal ad quod hujusmodi appellationes deferuntur est Concilium Status (*Conseil d'État*); causæ autem delatæ duplicem quæstionem sæpius involvunt : aliam *abusus*[1] quæ refertur ad jus publicum et administrationem; alteram negotii

[1] Jurisperiti *abusum* definiunt : « Un acte qui, sans constituer un crime ou « un délit, est contraire aux lois et règlements spéciaux sur l'exercice du « culte. » Vuillefroy, *Administration du culte catholique*, v° *Abus*.

seu rei ipsius principalis, quatenus crimen, delictum, aut injuriam in aliquem privatum, importat. Concilium Status judicat de *abusu :* declarat nempe an sit abusus, an non; et si affirmative pronuntiaverit, rescindit actum, nulla cæteroquin pœna indicta. Deinde, si locus sit, declarato abusu, negotium ipsum defert ad tribunalia ordinaria, quæ statuent v. g. de crimine patrato, de injuria alicui illata.

His præmissis nonnulla notanda sunt, per modum appendicis ad sectionem præcedentem, circa originem, fundamenta et pericula appellationum ab abusu : quamvis enim rarius hac nostra ætate interponantur, et aliunde magistratus sæculares moderatius utantur potestate lege civili ipsis data in hac materia, magni tamen interest ut clerici noverint quid ea de re constitutum fuerit [1].

713. — II. Jurisperiti Galliarum passim asserunt appellationem a sententiis judicis ecclesiastici ad magistratum sæcularem ob abusum, seu excessum jurisdictionis, semper in usu fuisse, vel a prioribus temporibus. « L'appel comme « d'abus, *aiebat* Portalis, se trouve consacré par toutes « les ordonnances et par les plus anciens monuments. » His ne assentiamur historia præteritorum temporum obstat. Omnibus notissimum est Ecclesiam sæpius ad principes christianos confugisse, a tempore Constantini Magni, ut potestate sæculari tutaretur auctoritas spiritualis, et canonica disciplina; sed nulla sunt monumenta, nec vestigia quidem apparent in tota retro antiquitate ante sæculum xv, tribunalis civilis quod præpositum fuerit, auctoritate principis, excipiendis appellationibus a sententiis judicum ecclesiasticorum, ad præcavendos abusus seu excessus jurisdictionis spiritualis. Tantum abest ut Imperatores Romani et reges

[1] Cf. Dissertationem in tom. VI Memorialium cleri insertam, sub eo titulo : *Traité de la juridiction ecclésiastique. — De l'Appel comme d'abus.* auctore Affre, arch. Parisiense, chap. I, II, III.

christiani pertimescendum sibi existimaverint ab excessu jurisdictionis ecclesiasticæ, quin potius eam amplificare studuerunt, Episcopis demandando plures causas ordinis temporalis[1].

Originem legislationis circa appellationes *ab abusu*, et causas quibus inducta et in praxi extensa fuit decursu temporum indicare opportunum arbitramur. 1° Judices ac magistratus civiles, qui sæculis præteritis expetierant a Principe ut jurisdictio tribunalium ecclesiasticorum in causis temporalibus seu mixtis arctius contineretur[2], eamdem jurisdictionem in causis etiam spiritualibus sensim affectaverunt, æmulatione potestatis quæ facile in extrema tendit. 2° Occasionem se immiscendi negotiis ecclesiasticis nacti sunt in ordinationibus Caroli VII qui magistratibus commisit curam tuendi disciplinam Pragmaticæ Sanctionis, anno 1438 auctoritate regia sancitæ : cum vero brevi ultra metas progrederentur, ipsis vetitum est annis subsequentibus ne mandata vel commissiones concederent extra causas beneficiales de quibus statuebatur in dicta Pragmatica. 3° Res in eodem statu permanserunt post initum concordatum inter Leonem X et Franciscum I: imo etiam ex tunc magistratus aliquem in specie titulum obtinuerunt in causis pluribus fori ecclesiastici intercedendi ex litteris pontificiis *Durum siquidem*, datis an. 1518, quibus Leo X constituit auctoritate apostolica et deputavit Regem tunc temporis existentem, et suos in futurum successores, concordati et omnium articulorum in eo contentorum « legitimos protectores, defensores et conservatores, nec non « quorumvis adversus illa... venire tentantium, cujuscumque « dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis vel nobilita- « tis... invictissimos oppugnatores[3]. » Alienissimum certe

[1] *Pouvoir du pape au moyen âge. Introduction*, § 5 et 6.

[2] Cf. Discussionem Petri de Cugnieres cum deputatis e clero super extensione et abusibus jurisdictionis curiarum Ecclesiasticarum, sub rege Philippo Valesio. *Histoire de l'Église gallicane*, lib. XXXVII, an. 1330.

[3] *Mémoires du clergé*, tom. X, col. 130, 131.

erat a mente Leonis X instituendum fore tribunal laicale ad quod causæ ecclesiasticæ, præsertim ubi ageretur de conflictu jurisdictionum; nihil in eo concessit Regi Galliarum : at sub obtentu protegendi concordatum, magistratus ad suam curiam attrahere enixi sunt omnes sententias et actus judicum ecclesiasticorum quibus præsumebant aut lædi aliquam dispositionem concordati, aut præjudicium afferri juribus regiis. 4° Franciscus I^us^ hanc jurisprudentiam, seu rectius ut dicam, id attentatum in libertatem fori ecclesiastici, firmavit suo edicto an. 1539, quo non instituit quidem appellationes, Sed praxim inductam supponit ac de illa statuit, art. v : « Les « appellations comme d'abus interjetées par les prêtres et « autres personnes ecclésiastiques ès matière de discipline et « correction, ou autres purement personnelles, n'auront « aucun effet suspensif. » 5° En origo historica appellationum a Judicibus ecclesiasticis ad Judices sæculares obtentu abusus. Van-Espen ipse qui merito arguitur exaggerasse jura potestatis civilis in detrimentum auctoritatis spiritualis Pastorum, dixit : « Convenit inter zelatissimos hujus appellationis pa« tronos has appellationes vix fuisse in usu ante tempora Lu« dovici XII et Francisci I regum Franciæ, uti multis ostendit « Fevretus. » (*Jus universum*, part. III, tit. IX, cap. IV.) Ab illa ætate, appellationes quarum rara fuerant sæculo præcedenti exempla, frequentiores evaserunt, eo magis quod hæresis calviniana plures magistratus infecit, et aliorum animos præjudiciis contra Ecclesiam occupavit. « Les gens du roi, *ait* « Fleury, ceux-là même qui ont fait sonner le plus haut ce nom « de liberté, y ont donné de rudes atteintes en poussant les « droits du roi jusqu'à l'excès; en quoi l'injustice de Dumou« lin est insupportable. Quand il s'agit de censurer le Pape, « il ne parle que des anciens canons; quand il est question « des droits du roi, aucun usage n'est nouveau ni abusif : « et lui et les autres jurisconsultes qui ont suivi ses maximes « inclinaient à celles des hérétiques modernes, et auraient

« volontiers soumis la puissance même spirituelle de l'Église à « la temporelle du prince. » (*Discours sur les libertés de l'Église gallicane*, n° 23.) Infaustum hunc influxum hæresis in agendi rationem curiarum sæcularium animadvertere non prætermisit clerus Gallicanus in publicis expostulationibus quas Ludovico XIV porrexit, anno 1665, contra attentata curiarum sæcularium in jura et libertatem Ecclesiæ. « Les appellations comme « d'abus sont en France de même âge que l'hérésie de Calvin, « et au même temps que les hérétiques commencèrent d'accu- « ser l'Église d'abus dans sa doctrine et sa discipline, comme « si les officiers de la justice eussent été d'intelligence avec eux, « et qu'ils les eussent voulu seconder dans cet impie dessein, « ils accusèrent ses ministres d'abus dans la juridiction[1]. »

714. — III. Fundamenta legislationis circa appellationes ab *abusu* reponuntur in jure quod princeps habet, inquiunt, tuendi simul politicam potestatem, disciplinam canonicam in Galliis receptam, et jura civium, contra abusus et excessus jurisdictionis judicum ecclesiasticorum. Lex civilis lata occasione concordati, quæ et *organica* cultus publici vocatur, statuit in hunc finem art. VI: « Il y aura recours au conseil « d'État dans les cas d'abus de la part des supérieurs ecclé- « siastiques... Les cas d'abus sont : l'usurpation ou l'excès « du pouvoir ; la contravention aux lois et règlements de la « république ; l'infraction des règles consacrées par les ca- « nons reçus en France ; l'attentat aux libertés, franchises et « coutumes de l'Église gallicane; toute entreprise et tout pro- « cédé qui dans l'exercice du culte peut compromettre l'hon- « neur des citoyens, troubler arbitrairement leur conscience, « dégénérer contre eux en oppression ou en scandale public. »

Hæc cuncta quam sint obscura, ambigua, indeterminata, falsis principiis innixa, et periculosa in praxi, paucis explicare sufficiat.

[1] *Mémoires du clergé*, tom. VII, col. 1524.

1° Quod ad jus tuendi potestatem sæcularem contra aggressus auctoritatis spiritualis spectat, dicemus Ecclesiam Christi nullatenus intendere jura politica principum invadere, nec libertatem civium perturbare. Quis illud præsumat, his præsertim temporibus? Contingere solummodo potest ut Prælatus, aliusve judex aliquid decernat, aut sententiam pronuntiet in materia fori dubii, et proinde inquiratur an fines sui juris excesserit. Si hujusmodi quæstio incidat, si nempe quæratur de competentia, concilium Status de ea pronuntiabit, cum inter causas appellationum ab abusu hæc primo loco reposita sit: *usurpatio vel excessus potestatis*. Nos e contra, ad mentem Ecclesiæ et juxta principia de quibus nulla controversia esse potest apud catholicos, dicemus has quæstiones minime dirimendas esse judicio sæculari; non solum quia magistratus civiles plerumque habent notiones confusas de natura et finibus jurisdictionis spiritualis, et, rem præoccupato animo considerantes, jura Cæsarea ultra metas æqui et justi protendunt; verum insuper, ac potissimum, quia Christus Dominus constituit Ecclesiam, non principem sæcularem, interpretem juris divini, uti haud semel in præcedentibus animadversum fuit. Ecclesiam igitur audire necesse est, si hujusmodi dubia suboriantur circa competentiam, et adhibenda sunt media de quibus convenit inter Sanctam Sedem et principem, pro solutione practica difficultatum, ut vitentur noxii conflictus. (N° 65.)

2° Aliud fundamentum legislationis reponi diximus in titulo *protectoris canonum* quem præfert princeps catholicus; et idcirco lex statuit inter causas appellationum ab abusu: *infractionem canonum qui apud Gallias recepti sunt... violationem libertatum et consuetudinum Ecclesiæ Gallicanæ*. Ex dictis ab ipso exordio *Prælectionum*, ubi disputatum est de constitutione atque forma regiminis ecclesiastici, Ecclesia habet potestatem a civili societate omnino distinctam, in cujus exercitio pastores minime subjiciuntur, neque directe neque

indirecte, magistratibus sæcularibus. Princeps non alio titulo proinde est protector canonum, nisi quod debeat, quantum patitur regimen politicum reipublicæ, opem ferre Ecclesiæ ad assecurandum ipsius libertatem et canonum observantiam contra invadentes jura spiritualia, et subvertentes canonicam disciplinam. Non valet, eo nomine, judicare de legitimitate, sensu, et applicatione canonum; alioquin non ageret vices protectoris, sed domini. Hæc est ratio cur nequaquam admittamus uti causam appellationis infractionem canonum et violationem *libertatum* Ecclesiæ Gallicanæ. Neminem præterea fugit Ecclesiam posse, jure sibi proprio, canones immutare, consuetudinibus etiam vetustioribus derogare, prout ratione temporum expedire visum fuerit, salvis concordatibus de quibus alias dictum fuit; cur igitur deferrentur ad magistratum quærimoniæ de transgressis canonibus, seu de violatis consuetudinibus? Horum judex non est. Quoties igitur disceptatur de existentia, et legitima interpretatione canonum, vel de eorumdem canonum violatione, causa devolvenda est ad judices ecclesiasticos, servato ordine constituto.

3° Eadem animadvertere necessum est de altero fundamento appellationum, nempe de tuendis civibus contra injurias quas forte paterentur a judice ecclesiastico. Si, occasione aut prætextu sacri ministerii, presbyter domicilium alicujus inviti invaserit; si inter concionandum, alicui calumniis aut detractionibus injuriam inferat; si verberet, reum se constituit : et, ubi non subsistunt immunitates clericales, potest judex clericum convenire ratione hujus delicti. Lex vero ulterius progreditur dum verbis generalibus inter causas appellationis recenset *quamvis agendi rationem, qua intra ipsum cultus exercitium, læditur honor civium, aut indebite turbatur eorum conscientia.* Non defuerunt olim in Galliis, tempore scilicet quo grassabatur hæresis Janseniana, magistratus qui causa tuendi honorem civium et libertatem conscientiæ, se ingerere veriti non sunt in negotia spiritualia, eo usque ut

cogere vellent presbyteros ad conferenda sacramenta, et ad dandam sepulturam ecclesiasticam hæreticis obstinatis : a tempore etiam concordati concilium Status admisit appellationes in causa denegationis sepulturæ. Ergone viris laicis, rerum ecclesiasticarum insciis, quorum plures ne religionem quidem catholicam profitentur, nulla certe auctoritate in rebus spiritualibus præditis, demandabitur cura pronuntiandi quandonam indebite turbetur conscientia fidelium!...

715. — IV. Quacumque igitur ratione consideretur legislatio civilis circa appellationes ab *abusu*, maxime optandum est ut penitus immutetur; consociari enim non potest cum libertate ecclesiastica. Clerus Gallicanus nedum approbaverit leges et jurisprudentiam curiarum sæcularium in hac materia, illas potius sæpissime improbavit uti adversantes suis doctrinis et contrarias juribus Ecclesiæ.

Conquestus est sæculo XVII coram Ludovico XIV debilitatum jus pastorum, et vulnus disciplinæ inflictum, excessibus quibus locum dederat jurisprudentia curiarum sæcularium. « Cette jurisprudence, Sire, s'est maintenant portée à de tels « excès, qu'elle détruit absolument l'autorité de l'Église; elle « y renverse tout l'ordre judiciaire; elle nourrit la rébellion « des ecclésiastiques; elle réduit les évêques à l'impuissance « de maintenir la discipline... L'Église, Sire, n'est point su- « balterne aux parlements, et, si Votre Majesté ne souffre « pas que les choses jugées dans la chambre des comptes « soient revues dans le parlement, dans la cour des aides, « et au grand conseil, parce que aucune de ces cours n'a « juridiction sur l'autre : pourquoi, Sire, hors le seul cas « d'entreprise sur votre juridiction, Votre Majesté souf- « frirait-elle que les affaires jugées par l'Église fussent « portées devant des tribunaux séculiers, puisque, bien loin « qu'elles lui soient supérieures, ces cours au contraire sont « sujettes à la puissance spirituelle que l'Église tient immé- « diatement de Jésus-Christ. » Vir minime suspectus curiæ

sæculari, Fleury, non aliter censuit : « Les appels comme « d'abus ont achevé de ruiner la juridiction ecclésiastique. » (*Discours sur les libertés de l'Église gallicane*, n° 24 [1].)

Hæc cum ita sint, concludimus fideles, et multo magis clericos, nequaquam debere in causa spirituali confugere a sententia Episcopi ad magistratum civilem abusus obtentu; quamvis enim hodiernis temporibus, concilium Status moderatius ac circumspectius appellationes excipiat quam olim parlamenta, his appellationibus derogatur auctoritati atque libertati Ecclesiæ, quod omni studio præcavendum est. Clerici qui sunt a suo ordine suspensi, vel suo titulo privati, a sententia Episcopi, recursum habeant ad metropolitanum, vel ad S. Pontificem, pro qualitate negotii. Recursus ille canonicus abunde eis sufficit; si quod enim contra regulas juris in eorum præjudicium commissum sit, a judice superiori reformabitur. Si, ordine judiciorum perturbato, adeunt magistratum civilem in causa ecclesiastica, formidare debent ne incurrant gravissimas censuras quibus plectuntur temerarii infractores canonum et juris Ecclesiæ. Nulla insuper sinit prudentiæ ratio ut ab eo in hujusmodi causis auxilium petant a quo periculum sit ne postea opprimantur, quod clero sæculis postremis contigit : « Cum enim, uti sapienter animadver- « tit theologus auctoritate gravis, Pontifices potestate sua in « Ecclesiæ Gallicanæ detrimentum abuti crederentur, invo- « catum est sæcularis brachii auxilium, cujus occasione ma- « jus detrimentum passa est Ecclesia in sua jurisdictione « quam consecuta est emolumentum... Quo igitur lucro « compensari poterit jactura jurisdictionis spiritualis? » (Charlas, *Tract. de libertatibus Eccl. Gallicanæ*, lib. XII, pag. 814.)

[1] *Nouveaux Opuscules de Fleury*, ed. an. 1818

SECTIO VI[a]

DE DELICTIS.

Persolutis quæstionibus prævîis de ordine servando in judiciis criminalibus, non secus ac in civilibus, utile arbitramur subjungere notiones circa delicta quæ sunt materia judiciorum, et circa regulas jure canonico statutas de præcipuis delictis. Dicemus itaque 1° de delictis in genere; 2° de præcipuis speciebus delictorum quæ judiciis coerceri voluit Ecclesia.

ARTICULUS I. — DE DELICTIS IN GENERE.

716. — I. Delictum est actio externa, vel voluntaria omissio, contra legem, pœnis coercenda in foro externo Ecclesiæ.

Dicitur 1° *Actio externa :* ea conditione delictum, de quo agitur in jure canonico, distinguitur a peccato simplici quod est violatio legis divinæ, sive actu externo sive interno consummata. Judices inquirunt solummodo de externis, nam *cogitationis pœnam nemo patitur*, ut dicitur in jure; unde concludendum est neminem traduci coram tribunali externo Ecclesiæ ratione actus externi boni vel indifferentis qui præsumitur factus prava intentione, si sit simplex præsumptio et desint probationes malæ intentionis.

2° *Vel omissio voluntaria* : voluntaria omissio æquiparatur actioni, cum prodeat ab actu voluntatis contra legem. Facientes malum et huic consentientes pari pœna plectendi sunt. « Eos autem delinquentibus favere interpretamur, ait « Innocentius III, qui, cum possint, manifesto facinori de« sinunt obviare. » (Cap. *Quantæ*, 47, DE SENT. EXCOMMUNICATIONIS.)

3° *Contra legem*, quod communiter intelligendum est de lege positiva ecclesiastica. Sapienter ordinatum est ut subditi judicentur juxta leges quæ a publica auctoritate fuerunt promulgatæ; quas proinde cognoscere præsumuntur. Attamen, si quis violaverit legem naturalem, seu divinam positivam, quæ est omnibus certo nota ac manifesta, nullique controversiæ locum dederit, illum judex punire posset, etiamsi eadem lex declarata non fuerit in sacris canonibus.

4° *Pœnis coercenda in foro Ecclesiæ*. Judices inferiores cavere debent ne ordinationes superioris ultra illius intentionem urgeant in praxi; et ne punire videantur arbitrarie, præter casus jure præfinitos. Alterutrum, vel etiam utrumque periculum incurrunt, si pœnis coerceant eos qui violasse arguuntur leges quas auctoritas publica nulla sanctione pœnali munivit. Fortasse hæc superiorum ordinatio non est lex proprie dicta stricte obligans in conscientia; fortassis etiam noluerunt hæc vel illa delicta in foro externo traduci, quia id necessarium ipsis visum non est ad ordinem publicum communitatis. Convenit proinde ut judices inferiores abstineant; quod vero ad superiorem attinet, potest quidem pœnis subdere eum qui certo convictus est delicti gravis, sed magis communiter expedit ut non deveniat ad inflictionem pœnæ, nisi præcesserit monitio, et comminatio pœnæ, nisi tamen urgeat necessitas reparandi scandalum.

717. — II. Delicta alia ab aliis distinguuntur ratione objecti, et gravitatis, ut exponitur in theologia morali. Sunt aliæ distinctionis rationes, ex parte scilicet personarum, fori, et

notorietatis, ad quas potissimum, pro ratione præsentis instituti, attendere oportet.

1° Ratione *personarum*, alia sunt delicta communia, utpote quæ a laicis et clericis indifferenter committi possunt; alia clericis specialia quæ sunt violationes legum canonicarum de vita et honestate clericorum, de quibus exstat specialis titulus Decretalium.

2° Ratione *fori*, sunt delicta mere ecclesiastica, alia mere civilia, alia mixta. Delicta ecclesiastica dicimus, quæ directe contra fidem, religionem, vel disciplinam canonicam, admittuntur. Hujusmodi sunt : Apostasia, profanatio sacramentorum et omnia quæ subsunt ecclesiasticæ coercitioni, sive a clericis, sive a laicis patrata fuerint. Delicta civilia sunt, quæ directe lædunt civilem rempublicam, neque habent aliquid spirituale, præter criminis in foro interno absolutionem et pœnitentiam. Horum coercitio pertinet ad judicem sæcularem. Mixta vocantur quæ simul et religionem lædunt et civili reipublicæ damnum atque injuriam inferunt. Hujusmodi delicta obnoxia sunt, tum Ecclesiæ, tum reipublicæ coercitioni, quoniam jura utriusque violant et utraque in his criminibus partem suam curare et tueri debet. In quibusdam regionibus animadversio in hæc crimina commissa est mixtis tribunalibus, quæ ex judicibus ecclesiasticis et laicis constabant; alicubi mos fuit ut hujusmodi causas unus judex, sive ille laicus, sive ecclesiasticus esset, definiret, qui prior negotium occupaverat. Ita ordinatum fuit consensu saltem tacito utriusque potestatis ne quædam rerum confusio oriretur, si reus unius criminis duplex judicium et duplicem pœnam perferre cogeretur. (Devoti, lib. IV, tit. II, *de Delictis*.) In nostris regionibus non sunt tribunalia mixta, nec datur præventio unius judicis in alium: quia utrumque forum civile et ecclesiasticum est omnino distinctum.

3° Ratione *notorietatis*, delicta sunt occulta vel publica. Occultum proprie ac simpliciter dicitur quod nulla ratione

probari potest, et ideo solius Dei judicio relinquitur. Pene autem occultum, et in existimatione morali hominum occultum censetur, quod perpauci sciunt. Publicum e contra erit si plures illud noverint, vel si de eo fama spargatur per communitatem[1].

Si quæratur quot personis factum debeat innotuisse ut desinat esse occultum, « id procul dubio implicatum est, « ait Benedictus XIV (*Institutione* LXXXVII, n° 40), ac diffi- « cultatis plenum, si theologiæ moralis scriptores, aut etiam « forenses, percurrantur. » Videtur prudentis judicis arbitrio dimittendum.

Aliquando delictum est formaliter occultum, quamvis materialiter publicum; v. g. si quis excommunicatus rem sacram fecerit, sed omnes ignorant eum esse excommunicatum, vel existimant canonice absolutum. « Si ita se res « habeat, ait Benedictus XIV (loc. cit., n° 48), nos ingenue « fatemur et credimus a sacra Pœnitentiaria dispensari « posse, cum ipsum crimen occulti fines non excedat. Con- « tra vero est si crimen publice innotescat, licet omnes fere « ignorent pœnam huic crimini irrogatam, quæ ignorantia « juris dicitur. » In hoc ultimo casu, S. Congregatio constanter habuit delictum uti publicum et eamdem regulam in praxi servat.

Delictum merito censetur publicum quando est, vel *famosum*, vel *manifestum*, vel *notorium*. Notorium erit *jure*, si judiciali confessione, vel sententia definitiva constet; notorium *facto* si oculis plurium objectum sit, adeo ut non detur locus tergiversationi; notorium *præsumptione*, si adsint circumstantiæ quas jus canonicum declarat indicia sufficientia delicti, ob vehementem præsumptionem, quam attentis moribus humanis, illæ circumstantiæ ingerunt. Delictum vocatur

[1] Cf. Fagnan, cap. *Vestra*, n^is^ 48 ad 145, in titulo DE COHABITATIONE CLERIC. ET MULIERUM. — *Thesaurus de Pœnis*, part. I, cap. XXI. — Benedict. XIV, Inst. LXXXVII.

manifestum quando, licet notorium non sit, nec jure nec facto, a pluribus tamen cognoscitur qui illud in notitiam communitatis inducunt. Tandem *famosum* illud reputatur, de quo fama per communitatem spargitur, orta ex indiciis probabilibus, quamvis paucis sit apprime cognitum, vel etiam ab uno solummodo certo auctore traditum sit, ut notat Fagnan (in cap. *Vestra*, n° 63).

Notandum est insuper, quod ad praxim refert, 1° delictum esse aliquoties in uno loco publicum, et in altero occultum, adeo ut nec ibi cognoscatur, nec præsumere liceat quod in posterum cognoscetur; 2° delictum olim in communitate publicum potuisse decursu temporum ita e memoria deleri, ut evaserit omnino occultum.

Hæc in præsenti sufficiunt de quæstione in genere proposita; alibi expenditur quatenus delictum esse debeat occultum ut S. Pœnitentiaria super eo dispensare valeat.

ARTICULUS II. — DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS DELICTORUM.

718. — Nimis operosum foret singula delicta de quibus statuerunt leges canonicæ explicare; sed utile arbitramur breviter et summatim pertractare de præcipuis speciebus, eo magis quod in theologia morali pauca dicantur de hac materia, quam tamen scire decet virum canonistam. Dicemus seorsim de delictis : 1° contra fidem et unitatem Ecclesiæ; 2° contra virtutem religionis; 3° contra justitiam; 4° contra castitatem.

§ 1. *Delicta contra fidem et unitatem Ecclesiæ.*

Delicta contra fidem et unitatem Ecclesiæ sunt : apostasia, hæresis et schisma.

719. — I° *Quid sit apostasia; quotuplici modo committatur?*

I. Apostasia, de qua statuitur in jure, est defectio a fide christiana suscepta in baptismo. Qui sibi proposuerat religionem christianam amplecti et a proposito recedit, antequam fuerit sacro baptismate initiatus, non est apostata, nec pœnis contra apostasiam latis obnoxius. Apostata vero dicetur qui post baptismum, etiam puerili ætate susceptum, transit ad judaismum, vel ad paganismum, vel ad deismum, vel tandem religionem christianam deserit, nullam aliam sectando, ut sunt athei et indifferentes systematici.

II. Tribus modis aliquis potest esse apostata : 1° Si mente sola recedat a fide christiana, quo casu constituitur apostata coram Deo; pœnam tamen juris non incurrit quoniam illius crimen interne consummatur; 2° si mente simul et verbis, vel factis, fidem Christi deserat, quod veram in foro externo simul et interno apostasiam efficit, etiamsi delictum remanserit occultum; 3° si quis verbis tantum vel factis, non tamen animo, a fide christiana deficiat. Ecclesia eum condemnat uti apostatam qui verbis aut factis istiusmodi utitur, tum quia jure præsumit illum animo delinquere qui scienter aliquid exterius agit qui cum fidei christianæ professione pugnat; tum quia per actum istiusmodi, posito quod fiat cum morali libertate, obligationem profitendi exterius fidem catholicam violatur [1].

Difficilis quæstio ea de re mota est circa agendi rationem tenendam ab apostatis qui ad christianam religionem reverti exoptant et gravia mala pertimescunt ex manifestatione suæ conversionis. Viam autem solutionis aperuit Sancta Sedes dubia proposita resolvendo. Urbanus VIII, interrogatus quomodo se gerere deberent apostatæ quidam, Tuneti in Africa, redeuntes ad pœnitentiam, respondit, die 18 julii 1630, in generali Congregatione S. Officii, *eos non teneri ad abjurandam apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere ut*

[1] Shmalzgrueber, in tit. DE APOSTATIS, n° 4.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

eam abjurent coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium quatenus sit protestativus falsæ religionis; si vero sit æquivocus, posse illum deferre. Decretum refertur apud Benedictum XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. xx, n° 18.

Ex illa declaratione deducere licet tria consectaria, quoad illos qui ex infidelitate convertuntur ad fidem, et periculum grave ex sua mutatione sibi imminere sentiunt. I^um^ Apostata resipiscens non tenetur, cum propriæ vitæ discrimine, manifestare suam conversionem infidelibus. Nihil occurrit in disciplina Ecclesiæ de hujusmodi obligatione, et theologi adnotant præceptum professionis externæ fidei, qualis esset manifestatio illa emissæ abjurationis infidelibus facienda, recenseri inter præcepta affirmativa, quæ non semper neque ad semper obstringunt, ut ibidem animadvertit Benedictus XIV. II^um^ Tenentur abstinere ab actibus infidelitatis; nunquam enim licitum est, nec ad vitandum certum periculum vitæ, fidem christianam prodere, seu quocumque modo negare. Id omnes theologi reputant actum intrinsece malum. Quandonam vero, quibusve actibus censeatur aliquis fidem negare non est semper facile dictu, quia sunt certæ actiones, aut signa, de quorum sensu dubia est interpretatio. Regula generalis est : nihil converso ad fidem faciendum esse unde cæteri legitime concludere debeant eum perseverare in infidelitate. Ex illa autem regula quisque dijudicare debet de singulis in specie actibus aut signis, ratione habita morum et circumstantiarum. V. g. si catholicus identidem adeat fana falsorum numinum, vel templa hæreticorum, id tribui potest curiositati, officio urbanitatis et honoris mere civilis erga suos amicos, quorum v. g. funera celebrantur; si vero conversus ab infidelitate huc adeat, ad occultandam infidelibus suam conversionem, difficillimum videtur ut illius actus non habeatur tanquam signum perseverantiæ in infidelitate, quamvis aliunde abstineat in templo

ab ulla positiva participatione falsæ religionis. III^um^ Si actus sit æquivocus, adeo ut indifferenter possit in sensum diversum explicari, non per se illicitum est illum ponere, uti declarat Urbanus VIII de usu vestium in decisione mox allata. Id certe non liceret, quando tyrannus actum similem postulat in contemptum fidei, quia ex tunc cessaret ambiguitas; nec etiam liceret, si necessitas urgeat fidem generose profitendi ad vitandum scandalum infirmorum, vel ad causam religionis tuendam; verum, præcisis hujusmodis circumstantiis, potest aliquis uti in finem honestum verbis, signis, factis æquivocis, ad occultandam fidem, ut scilicet ignotus pertranseat, et se permissive habere ad errorem eorum qui forte, non sufficienter cuncta considerantes, suspicarentur illum adhærere falsæ religioni.

Hæc principia constanter tenuit S. Sedes; quamobrem prohibuit in praxi quidquid sapit professionem sectæ infidelium. Inter cætera prohibuit ne sacramenta administrarentur christianis in Turcarum imperio vitam degentibus, qui religionem simulabant, et qui ut Turcæ viderentur, eorumque juribus ac privilegiis perfrui possent, eorum templa frequentabant, nomen assumebant quod proprium est Turcarum, aliave peragebant quibus infideles distinguuntur. « Hæc enim om-« nia, ait Benedictus XIV, etsi fides Christi in corde teneatur, « fieri nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, since-« ritati christianæ contraria, quæ mendacium in re gravis-« sima continet et virtualem fidei negationem, maxima cum « Dei injuria, proximique scandalo, includit[1]. »

Apostasia est omnium delictorum gravissimum, quod iisdem pœnis canonicis plectitur ac hæresis.

720. — II° *Quid sit hæresis?*

Hæresis est error voluntarius et pertinax contra veritatem fidei catholicæ, in eo qui profitetur religionem christianam.

[1] Bulla *Inter omnigenas* (an. 1744). — *Omnium sollicitudinem* (an. 1744). — *Quod provinciale concilium* (an. 1754).

Dicitur : 1° *Error*, scilicet falsum judicium, quod mens profert contra veritatem; unde qui oretenus aliquid dicit contra fidem, quin interius assentiatur errori, non committit hæresim. Cæterum, erratur contra fidem, non solum si admittatur propositio doctrinæ catholicæ contradictoria, sed etiam si in dubium revocetur veritas aliqua revelata; in utroque enim casu fertur judicium veritati catholicæ oppositum. Dicitur in cap. *Dubius*, 1, DE HÆRETICIS : « Dubius in « fide est infidelis. »

2° *Voluntarius et pertinax.* Quod omne delictum præsupponat actum voluntatis liberum, nemo inficiatur; quapropter in hæresim non incidit, qui ignorantia inculpabili aliquam opinionem fidei contrariam admiserit. Ast requiritur insuper pertinacia, id est obstinata adhæsio errori contra fidem ab Ecclesia propositam et sufficienter cognitam. Qui errat etiam culpabiliter, modo non laboret ignorantia affectata, non est formaliter hæreticus, quia non adversatur animo obstinato auctoritati Ecclesiæ; non est in eo pertinacia illa animosa quam supponit delictum hæresis.

3° *Contra veritatem fidei catholicæ*, scilicet contra veritatem immediate revelatam, sive explicite sive implicite, et ab Ecclesia propositam, ut certa fide ab omnibus credendam. Hæc est propria notio veritatis catholicæ, cujus contradictoria propositio est hæresis. Doctrina quam Deus non revelavit immediate, sed quam ope ratiocinii deducimus ex veritate revelata, non est de fide, quia ratiocinium humanum fallere potest: saltem edocti non sumus divina auctoritate consectarium esse rite deductum ex præmissis. Ergo necesse est ut intervenerit immediata revelatio. Requiritur insuper ut veritas proponatur ab Ecclesia; siquidem, quamvis lædat virtutem theologalem fidei qui assensum denegat alicui veritati quam divinitus revelatam existimat, reus tamen non constituitur delicti de quo conveniri possit in foro externo, nisi Ecclesia eamdem veritatem omnibus catholicis credendam proposuerit. Delictum

hæresis, in foro ecclesiastico, est violatio fidei publicæ quam profitetur societas catholica.

4° *In eo qui profitetur religionem christianam*, imo et baptizatus fuerit; nemo quippe fit jurisdictioni contentiosæ Ecclesiæ obnoxius nisi baptismum, quo societati Christifidelium cooptamur, susceperit.

721. — III° *Quinam jure canonico condemnentur ratione hæresis?*

Concilium Lateranense sub Innocentio III an. 1216 habitum, hæc statuit : « Excommunicamus et anathematizamus « omnem hæresim extollentem se adversus sanctam, ortho- « doxam et catholicam fidem... Condemnantes hæreticos « universos, quibuscumque nominibus censeantur... qui « autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta « considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, pro- « priam innocentiam congrua purgatione monstraverint, « anathematis gladio feriantur... Credentes præterea, recep- « tatores, defensores et fautores hæreticorum, excommuni- « cationi decernimus subjacere. » (Cap. XIII tituli DE HÆRETICIS; lib. V Decret.)

Perspicuum est ex illa constitutione Concilii Lateranensis, Ecclesiam condemnare omnes qui hæresim formalem profitentur, hæresis legitime suspectos, et hæreticorum complices et fautores.

1° *Profitentes hæresim formalem.* Hæresis materialis præsumitur in foro externo Ecclesiæ esse simul formalis, id est voluntaria et pertinax, nisi contrarium probetur; quamobrem mos est ut omnes qui e secta hæreticorum, quorum ritus participaverunt, redeunt ad unitatem catholicam, reconcilientur Ecclesiæ per absolutionem in foro externo. Quod tamen ad forum internum attinet, certum est, non solum immunes esse ab omni peccato qui ex ignorantia aut animi stoliditate, vel errore invincibili, hæresim materialem profitentur, de quo omnes consentiunt, sed nec ullis pœnis ca-

nonicis alligari quibus communione bonorum spiritualium priventur; nam leges pœnales jure canonico inflictæ supponunt delictum formale.

Cum dixerimus Ecclesiam condemnare omnes qui *profitentur* hæresim formalem, exinde concludendum non est requiri semper aliquam hæresis publicitatem, ut hæreticus condemnetur et pœnis canonicis plectatur. Sunt pœnæ quas hæreticus ipso facto patitur, quin proinde necesse sit intervenire actionem judicis : ut quis has subire teneatur sufficit hæresis formalis externa, tametsi occulta manserit. « On convient « assez communément, *ait* Collet, que toute hérésie, même « occulte, pourvu qu'elle ne soit pas purement mentale, « produit l irrégularité. » (*Traité des dispenses*, n° 188.) Aliæ pœnæ irrogantur per judicem : ut quis illas incurrat requiritur aliqua publicitas, quia judex in neminem statuere potest pœnam, quin convictus fuerit delicti. Sunt tandem certi effectus pœnales quos hæretici non experiuntur, nisi adsit notorietas juris, uti suo loco dicemus.

2° *Hæresis suspecti* habentur qui propugnant falsas opiniones *hæresi proximas*, vel *hæresim sapientes*, quæ scilicet adversantur doctrinæ communiter traditæ apud catholicos uti deductæ ex veritate revelata ; item qui certis locutionibus utuntur, quæ licet juxta sensum catholicum possint absolute interpretari, merito tamen præsumuntur, attentis circumstantiis, sumi ab auctore in sensu hæretico; tandem, qui obdurescunt in excommunicatione, obstinato animo resistentes contra auctoritatem Ecclesiæ.

3° *Hæreticorum complices* sunt qui illorum defensionem suscipiunt contra auctoritatem publicam, ut sua prava dogmata prædicare possint ; qui negligunt curas impendere quas ratione sui officii debent, ad coercendam hæresim ; qui, nulla cogente necessitate, domos illis præstant ut habeant sua conventicula, et ritus exerceant. (N° 724.)

722. — IV° *Quas pœnas Ecclesia statuerit in hæreticos et hæresis suspectos, vel complices?*

Pœnæ jure canonico hæreticis irrogatæ, sunt : excommunicatio major, privatio sepulturæ ecclesiasticæ, irregularitas, et privatio officiorum.

I. Certum est omnes hæreticos, et hæreticorum fautores, subjacere excommunicationi majori ; quam tamen non incurrunt qui illam ignorant, uti dicetur in articulo *de Censuris*. Qui suspecti sunt criminis hæresis, non eo ipso excommunicantur, sed possunt a judice gladio excommunicationis feriri, nisi *juxta considerationem suspicionis, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint*, uti statuitur in decreto supra allato Concilii Lateranensis.

II. Omnes hæretici denuntiati, vel pertinentes ad sectam separatam ab unitate Ecclesiæ et anathematizatam, privantur sepultura christiana. Alexander IV prohibuit ne quis scienter præsumat dare sepulturam hæreticis, hæreticorum fautoribus, vel defensoribus; insuper statuit eos qui sepulturam ecclesiasticam dederint pœnam incurrere excommunicationis majoris, a qua non absolventur donec providerint, quantum in se est, ut cadaver extumuletur ; et locum interdicto subjici. (Cap. *Quicumque*, 2, DE HÆRETICIS, in VI°.) Privandi sunt etiam sepultura ecclesiastica hæretici notorietate facti manifesti, licet non pertinentes ad sectam separatam ; hæc enim statuit Martinus V, constitutione *Inter multa :* « Si hæretici « publici et manifesti, licet nondum ab Ecclesia separati, in « tam gravi crimine decesserint, ecclesiastica careant sepul- « tura, nec oblationes pro eis recipiantur. » Hinc merito concluditur privationem sepulturæ esse pœnam distinctam ab excommunicatione.

III. Clerici qui post adeptum officium in hæresim incidunt, possunt omni jurisdictione et suo etiam officio privari. Concilium Lateranense sic habet in constitutione citata *Excommunicamus :* « Si clericus fuerit, deponatur ab omni officio

« et beneficio. » Utrum vero, ipso jure, ante sententiam judicis clericus suo officio privetur, amittatque simul jurisdictionem, non consentiunt doctores.

Bellarminus propugnat hæreticum manifestum amittere, jure divino et ratione hæresis, omnem penitus jurisdictionem, antequam denuntietur nominatim; suamque opinionem vocat *sententiam omnium*. (*De Rom. Pontifice*, lib. II, cap. xxx.) Ratio est, juxta illum, quod hæreticus ipso facto separatur a corpore Ecclesiæ; quamobrem nullum amplius in ea jus habere potest. Eamdem sententiam confirmat ex sententiis SS. Patrum qui, cum dicunt hæreticos amittere jurisdictionem, non allegant jura humana, quæ etiam forte tunc nulla exstabant de hac re, sed sua argumenta desumunt ex ipsa natura hæresis.

Alii theologi et canonistæ, duce Suarez, contrariam sententiam tenent, hæreticum scilicet non jure divino, sed ecclesiastico amittere jurisdictionem; nec ab Ecclesia privari hac jurisdictione nisi intercesserit sententia judicis, aut hæreticus officio suo publice renuntiaverit. Probant ex rationibus theologicis et ex praxi Ecclesiæ. 1° « Fides, ait Suarez, non est « fundamentum omnino necessarium jurisdictionis. » Potestas nimirum jurisdictionis fundatur in charactere baptismi et in ministerio ecclesiastico; atqui hæresis, etiam externa et manifesta, non tollit characterem baptismalem quo indissolubili vinculo cooptamur Ecclesiæ, nec aufert jure divino ministerium ecclesiasticum, cum leges divinæ hac de re nihil prorsus statuerint. 2° Si jure divino amitteretur jurisdictio ratione hæresis, hæreticus occultus ea privaretur non secus ac hæreticus manifestus; non est enim jure divino inductum discrimen inter utrumque : quam autem damnosa consectaria ex illa privatione in Episcopo, in parocho, in quovis alio sacerdote ministerium publicum obeunte, si in hæresim laberetur, nemo non videt. 3° Ecclesia concedit ut recipiamus sacramenta in casu necessitatis a sacerdote hære-

tico non denuntiato; quod non intelligitur solum de necessitate extrema in qua quivis sacerdos etiam nominatim excommunicatus posset sacramentum conferre, sed etiam de necessitate communi, uti dicemus agendo de *Censuris*, ergo remanet ministerium et jurisdictio in hæreticis. « Quo-« ties igitur, ait Card. Soglia, hæreticus manifestus, neque « potestati suæ nuntium miserit, neque ab Ecclesia privatus « exstiterit, jurisdictionem retinet, et saltem hoc ipso ad ex-« ternum Ecclesiæ corpus aliqua ratione pertinet, ratione « scilicet ipsius ecclesiastici ministerii quod adhuc possidet. » (*Inst. juris privati Ecc.*, § 234. Cf. Suarez, tract. *de Fide*, sect. v, disput. xxi.)

De irregularitate in quam incidunt hæretici dicetur infra.

Pœnas canonicas quibus hæretici subjacent exposuimus; de pœnis temporalibus quibus olim plectebantur vi juris publici quod apud omnes populos catholicos prævaluerat, aliquid notabimus ubi de *Pœnis* in genere tractandum erit.

723. — V° *Utrum et quatenus vetitum sit communicare cum hæreticis?*

Sacris canonibus vetatur generatim consortium catholicorum cum hæreticis; cum vero pristina disciplina nonnihil temperata fuerit constitutione Martini V *Ad vitanda scandala* et generali Ecclesiarum consuetudine, opportunum nobis videtur referre quæ sit disciplina canonica circa triplicem articulum gravis momenti, scilicet : Communicationem in divinis cum hæreticis, communicationem in profanis, demum disputationem cum iisdem hæreticis de fide.

I. Principium generale est communicationem in divinis cum hæreticis esse regulariter illicitam in praxi, ob periculum perversionis in fide catholica, seu ob periculum participationis in ritu hæretico, vel denique ob periculum et occasionem scandali; quæ quidem circumstantiæ cum in praxi communius obveniant, reddunt illicitam communicationem

cum hæreticis, uti haud semel declaraverunt Congregationes Sancti Officii et de Propaganda fide, instructione data an. 1729 missionariis Orientis, de communicatione in divinis cum hæreticis et schismaticis [1].

Hinc 1° nullatenus licet communicare *in ipsis ritibus hæreticis;* v. g. participare cœnam Calvinianam, benedictionem nuptialem suscipere a ministro sectæ hæreticæ, patrinum se præbere in baptismo ritu hæreticali collato. Hæc, et his similia, sunt totidem signa apostasiæ a fide catholica, aut saltem sacrilegæ simulationis quæ virtutem fidei impetit, et parit scandalum. Id jure naturali et divino vetitum est, in quo nulla potestas humana dispensare potest.

Non etiam licet catholicis concedere, nec quantum in se est sinere, ut in eorum Ecclesiis Missam, aliosve ritus damnatos hæretici celebrent; id enim perinde est ac consentire hæreticis ritibus, et præbere occasionem scandali. Catholici exinde minus abhorrent ab hæresi, et in pestiferum indifferentismum inclinantur.

Nec tandem debent catholici interesse ritibus hæreticis eo modo quo videantur cum iis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in veneratione erga ministros hæreseos. Quod si vero præsentiam mere materialem præbeant, causa inspiciendi quid peragatur, aut honoris civilis erga defunctos quorum funera aguntur, nec se ullomodo immisceant orationibus et ritibus hæreticis, id tolerari aliquando potest, modo absit periculum scandali.

Hinc 2° non licet communicare *in vero cultu* cum hæreticis denuntiatis, nec eos admittere ad divina officia. Si denuntiati non sint, tolerari potest ut sacris officiis intersint; non debemus autem cum eis communicare in divinis suscipiendo ab eis sacramenta, nisi vera necessitas urgeat. Disciplina

[1] Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. I, in lib. V Decret., sect. DCCCCXXVI.

vetus quæ catholicis interdixit consortio hæreticorum relaxata non fuit respectu hæreticorum denuntiatorum; quod ad hæreticos non denuntiatos attinet, deberent, si cortici canonum hæreamus, abstinere ab assistentia sacris officiis, ut dicemus ubi de excommunicatione tractandum erit; sed temperatur rigor disciplinæ, et possumus eos etiam invitare ut sacras ædes ingrediantur adsintque instructionibus et ritibus sacris, quoties nulla est ratio timendi scandalum, et spes aliqua affulget eos adducendi ad fidem catholicam.

Addidimus illicitum fore *citra casum necessitatis* suscipere sacramenta ab hæretico manifesto. « Fere impossibile est, « ait Benedictus XIV, usu evenire ut a flagitio excusari va- « leant sese in rebus sacris cum hæreticis et excommunicatis « admiscentes; » quod asserit supponendo aliunde hæreticos a quibus sacramenta exposcuntur ea administrare ritu catholico absque ulla admixtione ritus damnati, et communicationem in hoc casu non reputari, ratione circumstantiarum, protestationem falsi dogmatis. (*De Synodo*, lib. VI, cap. v, n° 2.) Si tamen gravissima necessitas urgeat, v. g. suscipiendi baptismum, aut sacramentum pœnitentiæ, absit quodvis perversionis in fide aut scandali periculum, et tandem minister nullum ritum hæreticum admisceat administrationi sacramentorum, docent plures, et quidem magni nominis doctores, licitum fore ejus ministerio uti. etiamsi hæreticus denuntiatus sit; quanto magis, si nec denuntiatus, nec ad sectam separatam pertinere supponatur. (V. Giraldi, loco cit. versus finem.)

Vetantur eadem lege connubia catholicorum cum hæreticis; non potest enim catholicus contrahere cum parte hæretica quin simul cum eadem conficiat sacramentum, si ipsimet contrahentes sint sacramenti ministri, quod communior et verior tenet sententia theologorum. Grave insuper periculum est ne filii qui ex hoc matrimonio nascentur aut in hæresi educentur, aut sint indifferentes inter veram religionem et

sectam hæreticorum quas æque acceptas videbunt in sua familia. Non licet proinde hæc matrimonia inire, nisi accesserit dispensatio a S. Pontifice data, et pars catholica servare intendat conditiones in indulto dispensationis expressas.

II. Communicatio in profanis, cum hæreticis, saltem non denuntiatis, non vetatur disciplina canonica hodie vigente, vi Constitutionum Sanctæ Sedis. Legi naturali ac divinæ standum est, quæ hanc communicationem prohibet tantum quando urget periculum defectionis a fide; periculum autem istud sedulo præcavere tenentur catholici, ne absque ulla ratione necessitatis in hæreticorum familiaritate versentur cum detrimento suæ salutis.

III. Vetitum olim fuit laicis disputare publice, vel privatim, de fide catholica. (Cap. *Quicumque*, 2, DE HÆRETICIS, in VI°.) Hæc disciplina laicos admonet quam considerate agere debeant cum hæreticis, ne se immisceant in controversias quæ ipsis forte essent in laqueum diaboli. Nihilominus, si sint sufficienter edocti fidem catholicam, et disputationem privatam, vel etiam in scriptis publicis, profuturam sperent, possunt tueri sanam doctrinam, auctoritatemque Ecclesiæ, uti laudabiliter et non sine fructu fecerunt et hactenus faciunt plures. Illos synodus Parisiensis sollicite adhortata est, ut « quoties intenderint aliquid de rebus ecclesiasti-« cis tractare, ne sanctum hoc et difficile opus temere « aggrediantur; sed accepto prudenti concilio, periculum « vitent ecclesiasticas res intempestive aut inordinate trac-« tandi. » (Tit. I, cap. XI.) De clericis nihil super hac re statuerunt canones : possunt utique, tum privatim, tum publice, de fide disputare; ad hoc enim constituti sunt ut dogmata fidei contra insurgentes falsas opiniones defendant. Prudentia tamen non sinit, nec patitur ordo disciplinæ, ut publicas disputationes cum hæreticis vel cum incredulis instituant, antequam consilia et assensum sui Episcopi obti-

nuerint, ne et ipsi honorem suæ conditionis et reverentiam sacris doctrinis debitam, necnon auctoritatem Ecclesiæ, in discrimen adducant. Perraro contigit iis qui disputationes viva voce inierunt in publico cum heterodoxis, ut Ecclesiæ utilitatibus deservirent.

De lectione librorum hæreticorum dictum est in I[a] parte, ubi de S. Congregatione *Indicis*. Omnes abstinere oportet a lectione librorum vetitorum ratione hæresis, ut servetur reverentia mandatis Ecclesiæ debita; cui etiam in hac re tam gravis momenti obsequi tenentur qui se tutos a periculo reputant, donec licentiam obtinuerint; leges enim omnes indistincte afficiunt. Si vero licentiam impetraverunt, ipsis præcauto opus est ut iidem libri non objiciantur aliorum oculis, sed in loco remoto accurate serventur.

724. — In determinandis actibus in quibus esset, aut hæresis complicitas, aut communicatio cum hæreticis, vel tandem cooperatio illicita ad exercitium ritus hæretici, attendi debet ad naturam actuum et ad circumstantias speciales locorum. Omnes actus qui involvunt participationem cultui falso, vel tacitam approbationem ejusdem cultus, sunt mali, nec ulla ratione tolerandi. Alii vero actus qui nec participationem nec approbationem falsi cultus per se includunt, sed mediate solum influunt in hujus cultus exercitium, esse possunt legitimi ratione necessitatis et proportionate ad gradum influxus, modo tamen non exigantur in odium fidei, neque reddere debeant suspectam fidem agentis. Qui nullum actum cultus hæretici facit, sed mediate solummodo et remote concurrit ob causam necessitatis, non censetur eo ipso illum approbare. Sic in nostris regionibus, ubi sectæ hæreticorum non solum tolerantur, sed habent jus politicum ad libertatem sui cultus et ad aliquam partem ærarii publici, ut sua templa instaurentur, et suorum ministrorum sustentationi provideatur, magistratus qui ex officio concurrunt ad templorum ædificationem et ad partitionem denariorum pu-

blicorum quæ attribuuntur pseudoministris, non habentur uti complices hæresis. Abstineant vero necesse est a concedendis favoribus ad quos hæretici jus legale non habent, et a signo speciali honoris falso cultui impendendo; hæc enim si non includant participationem hæresi, indicant et fovent aliquid deterius, indifferentiam nempe in causa religionis.

725. — VI° *Quis absolvere possit hæreticos, et quis modus servandus in illorum reconciliatione?*

I. Absolutio ab hæresi, non quidem mere interna sed signo exteriori manifestata, reservatur jure communi S. Pontifici, in foro etiam interno : si vero crimen deductum fuerit coram tribunali Episcopi, seu spontanea confessione rei, seu denuntiatione, Episcopus dare potest absolutionem quæ suum effectum operetur in utroque foro, interno et externo.

Concilium Tridentinum tribuit Episcopis facultatem absolvendi ab hæresi (sess. XXIV, cap. VI). Sed huic decreto derogatum est constitutionibus SS. Pontificum qui hunc casum sibi reservarunt. « S. Pius V, et Gregorius XV, de hac re in« terrogati, ait Benedictus XIV post Navarrum, indubitan« ter responderunt nulli præter Papam hodie integrum esse « quemquam absolvere ab hæresi, etiam occultissima, eo « quod Papa per bullam *Cœnæ* ejusmodi facultatem sibi re« servet. » (*De Synodo*, lib. IX, cap. IV, n° 9.)

Libri rituales Ecclesiarum Galliæ, ad nostra usque tempora editi, hæresim reponunt inter casus simpliciter reservatos Episcopo; imo hæresis non reservatur Episcopo in plerisque diœcesibus, si occulta remanserit. Utrum hanc praxim servare possint, aut eidem renuntiare teneantur, in solius S. Pontificis arbitrio positum est. Cæterum, non tanta est difficultas in praxi quantam supponunt nonnulli; præter quod enim S. Pontifex sollicite providet necessitatibus animarum, concedendo Episcopis amplissima indulta, tria sunt notanda : 1° hæresis non reservatur S. Pontifici nisi ratione delicti quod supponitur peccatum mortale et ratione excommuni-

cationis majoris huic delicto annexæ : quamobrem ille qui non obstinato animo, sed ex errore seu ignorantia hæresim professus est, non tenetur recurrere ad S. Sedem; nec tenetur etiam qui ignorabat censuram, quum, ex dicendis infra, excusatur a censuris qui illas non cognovit dum legem transgrediebatur : poterit igitur absolvi ab Episcopo, vel etiam a presbytero, juxta varia statuta diœceseon. Hoc autem quam frequens contingit, nemo nescit. 2° Episcopus, uti supra dictum est, potest absolvere ab hæresi quando ad forum externum deducta fuit; vel hæreticus resipiscens coram illo sponte comparet. « Tam Inquisitor quam Episcopus, ait Benedi- « ctus XIV, potest resipiscentem hæreticum, aut sponte « coram se comparentem, aut ad suum forum quoquo modo « deductum Ecclesiæ reconciliare, et pro utroque foro absol- « vere a censura in quam propter hæresim incidit... Quinimo « uterque potest pœnitentem hæreticum, postquam suos eju- « ravit errores, ad simplicem confessarium remittere ut ab eo « absolvatur, eam que absolutionem, licet a confessario da- « tam in foro sacramenti, prodesse etiam in foro externo, a « cujus jurisdictione promanat, recte observat Thomas Del « Bene. » (Loco citato, n° 3.) 3° Tandem plures versantur in absoluta vel morali impossibilitate adeundi S. Pontificem, quo in casu non tenentur juxta probatos auctores dirigere epistolas ad curiam Romanam, sed possunt absolvi a suo Episcopo. (N° 781.)

II. Quando hæreticus ad Ecclesiam catholicam regreditur e secta in qua baptizatus fuit, accurata inquisitione opus est de valore sacramenti, an rite, servatis conditionibus substantialibus materiæ, formæ, atque ministri, collatum sit. Si res dubia videtur, uti plerumque, baptismum iterare oportet sub conditione; et, peracto baptismo, neophytus debet sua peccata confiteri sacerdoti ad obtinendum sacramentalem absolutionem, quæ necessaria est si forte baptismus, in secta hæreticali collatus, validus fuerit.

726. — VII° *Quid sit schisma; quas pœnas jus canonicum statuerit in schismaticos; quatenus vetitum sit cum schismaticis communicare?*

I. Schisma est voluntaria separatio ab unitate Ecclesiæ catholicæ; quapropter, cum Sancta Sedes Petri sit centrum unitatis catholicæ, qui se ab ea sejungunt obedientiam et subjectionem Romano Pontifici denegando, sunt schismatici. Schismatici etiam nuncupantur, at sensu minus stricto, qui se a suo proprio Episcopo, communionem cum Apostolica Sede habente, separant, eique subesse recusant.

Schisma duplex distinguitur : *simplex,* si schismatici nullum dogma fidei catholicæ impugnant, et *errori mixtum*, si perversum dogma habent. Vix ullum fuit schisma quod non infecerit hæresis.

II. Schismatici iisdem pœnis subjacent quibus hæretici; sunt nimirum excommunicati jure communi, privati sepultura ecclesiastica, et omni officio ac beneficio destituendi.

Qui ordines a schismaticis susceperunt sunt ipso jure suspensi, et inhabiles ad officia ecclesiastica adipiscendum donec schisma abjuraverint et Ecclesiæ sint reconciliati. Hujusmodi ordinationes dicuntur idcirco *irritæ* quod nullum jus ordinatis tribuunt sacros ordines sacrilege susceptos exercendi. (Cap. *Quod a prædecessore*, 1, et cap. *Fraternitati tuæ*, 2, DE SCHISMATICIS.)

Cum Pius VI condemnavisset *Constitutionem civilem cleri Gallicani*, qua politicus hominum cœtus proprio jure præsumpserat immutare universalem Ecclesiæ disciplinam et ordinem hierarchicum evertere, nova circumscriptione provinciarum, diœceseon et parochiarum, novaque ratione inducta pro electione atque institutione Episcoporum, hæc simul declaravit : « Ut gliscenti schismati obicem opponamus... Nos conciliis inhærentes venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et votis obsecundantes totius episcopalis cœtus Ecclesiæ Gallicæ... Apostolica potestate

« in primis edicimus ut quotquot sunt Cardinales, Archi-
« episcopi, Episcopi, parochi, vicarii,... qui civicum juramen-
« tum pure et simpliciter, prout a conventu nationali præ-
« scriptum fuit, emiserunt, errorum omnium venenatum
« fontem et originem, catholicæque Gallicanæ Ecclesiæ mœ-
« roris præcipuam causam, nisi intra 40 dies retractaverint,
« a cujuscumque ordinis exercitio sint suspensi, et irregula-
« ritati obnoxii, si ordines exercuerint.

« Declaramus item ac decernimus nefarias eorumdem (Epi-
« scoporum juxta constitutionem civilem) consecrationes
« fuisse, et esse omnino illicitas, illegitimas, sacrilegas; ac
« proinde eosdem omni jurisdictione ecclesiastica carere,
« atque ab omni exercitio episcopalis ordinis esse suspen-
« sos... Pariter declaramus suspensos esse ab exercitio sa-
« cerdotalis, seu cujuscumque alterius ordinis, eos omnes
« qui in execrandis hujusmodi consecrationibus opem, ope-
« ram, consensum et auxilium præstiterunt... Qui ab ipsis
« fuerint ecclesiasticis ordinibus initiati, noverint suspensionis
« vinculo se obstrictos, et si susceptos ordines exercuerint,
« irregularitati etiam fore obnoxios...

« Qua majori, uti nobis licuit benignitate, declaravimus
« hucusque canonicas pœnas inflictas ut mala hactenus per-
« petrata emendentur... Si fiet unquam, ut nostræ monitio-
« nes, quod Deus avertat, in irritum sint recasuræ, sciant
« nostræ mentis non esse illos a gravioribus iis pœnis
« liberare quibus per canones subjiciuntur, sibique certo
« persuadeant, se per Nos anathemati subjectos iri, Nosque
« illos anathemate percussos Ecclesiæ universæ denuntiatu-
« ros, tanquam schismaticos, a communione Ecclesiæ, No-
« straque, segregatos. » (Breve *Charitas*, die aprilis 1791.)

III. Communicatio cum schismaticis in divinis iisdem etiam regulis vetatur ac communicatio cum hæreticis. Ut illarum accommodatio ad statum Ecclesiarum Galliæ tempore perturbationis Galliæ manifestior esset, Pius VI præscripsit dari

Episcopis, presbyteris, cunctisque fidelibus instructionem exaratam super quibusdam quæstionibus S. Sedi præpositis.

Ex responsis datis in prælaudata instructione sequitur: 1° Licitum non fuisse adire presbyterum juratum pro sacramento baptismatis, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo non erat alius valens baptizare. 2° Non potuisse fideles adire parochum intrusum pro contrahendo matrimonio; unde si non suppeteret medium habendi presbyterum catholicum facultatibus opportunis ad hoc instructum, fideles debuerunt contrahere sine præsentia proprii pastoris. 3° Fideles potuisse in articulo vel periculo mortis, sacramentum pœnitentiæ recipere a sacerdotibus juratis, ac etiam a parochis intrusis, deficiente quovis alio catholico sacerdote. 4° Fidelibus vetitum fuisse assistere, diebus etiam dominicis et festivis, sacrificio Missæ, aliisve officiis celebratis a presbytero, seu parocho jurato. Alia quæstio proposita erat: num liceret fidelibus genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis, ad quam responsum fuit affirmative, his vero additis : « Ne in hujus-« modi cultu præstando immiscere se videantur catholici « cum schismaticis, curabunt idem catholici occasiones de-« clinare occursus schismaticorum, cum sacramentum de-« ferunt. » (*Responsa data a Pio VI de consilio selectæ Cardinalium congregationis*, 28 maii 1793.)

Hæc sunt tot consectaria principii generalis supra memorati, vi cujus catholici ita debent schismaticos devitare ut nihil cum eis commune habeant in divinis.

Schismatici resipiscentes non excipiuntur, nisi publice, id est coram pastore legitimo et debitis testibus, schisma ejurent, quando publice adhæserunt sectæ schismaticæ ab Ecclesia anathematizatæ; si vero non fuerint publice sectatores schismatis proscripti, sufficit ut confessarium adeant, veram contritionem profiteantur vitæ anteactæ, ac se obsecuturos auctoritati S. Pontificis et sui Episcopi spondeant.

§ 2. *Delicta contra virtutem religionis.*

Delicta contra virtutem religionis sanctis canonibus specialiter vetita, sunt præsertim : simonia, sacrilegium, magia, injuria ordinibus regularibus illata.

1° *De simonia.*

727. — I° *Quid sit et quotuplex distinguatur simonia?*

I. Simonia, sic dicta a Simone mago qui voluit, oblata pecunia, obtinere a sancto Petro donorum supernaturalium communicationem, definitur communiter : *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum, mediante pretio temporali;* seu quod in idem recidit : *rerum spiritualium, aut spirituali annexarum, permutatio cum temporalibus.*

Dicitur I° *Rerum spiritualium, aut spirituali annexarum...* Res mere spirituales, quæ scilicet directe ordinantur ad sanctificationem animæ et ad ordinem divinitus constitutum in Ecclesia, sunt 1° gratia interna, dona Spiritus sancti, sanctum sacrificium, sacramenta, sacramentalia, orationes communes et privatæ; 2° jurisdictionis ecclesiasticæ adeptio, et ejusdem jurisdictionis spiritualis exercitium in absolutione a censuris, in dispensatione super lege aut voto, in sacræ doctrinæ traditione et alia hujusmodi; his enim omnibus applicantur verba Christi : *Quod gratis accepistis, gratis date.*

Res spiritualibus annexæ, eisdem annectuntur antecedenter, consequenter aut concomitanter. *Antecedenter*, si res temporalis prius exstiterit quam rei spirituali connecteretur, v. g. calix, oleum, corona deprecatoria, ædes sacra, etc... *Concomitanter*, si rei spirituali ita indivise uniatur ut ab ea separari nequeat et veluti cum ea in unum confundatur; v. g. tempus quod insumitur, seu labor intrinsecus qui impenditur, in re sacra peragenda. *Consequenter*, si res temporalis obtineatur post rem sacram, adeo ut res

spiritualis sit causa proxima assequendi bonum temporale, v. g. beneficium, reditus beneficii.

Quando autem dicimus res temporales spiritualibus annexas esse materiam simoniæ, non secus ac res mere spirituales, id non absolute sed cum restrictione asserimus. Et quidem si de rebus *antecedenter* annexis quæstio sit, vendi seu commutari possunt cum aliis rebus temporalibus absque vitio simoniæ, modo non augeatur illarum pretium ob rationem boni spiritualis; puta, consecrationis, indulgentiæ, etc..., et aliunde hæc commutatio non prohibeatur jure canonico. Si de rebus *concomitanter* annexis agitur, canonistæ communiter docent tempus quod insumitur, et laborem intrinsecum qui impenditur in peragenda re sacra, vendi non posse, quia inseparabiliter uniuntur rei sacræ, nec habent pretium distinctum. Christus voluit res spirituales donari gratuito : eluderetur autem divina ordinatio, si subtili distinctione venderetur tempus, seu labor necessarius ad erogandum dona supernaturalia. Demum, quoad res temporales *consequenter* annexas spirituali, regula generalis est reputari materiam simoniæ, si res spiritualis sit causa proxima eas assequendi; quapropter sanctus Gregorius edixit in Epistola ad Gallos : « Si quis dator, vel acceptor, Ecclesias, vel ecclesiastica « beneficia, sub pecuniæ interventu susceperit, sive dando « emerit, sive accipiendo vendiderit, a Simonis non excludi- « tur perditione... Rationis ergo vigore cogitur, quod injuste « receperit, restituere. » (Caus. I, quæst. III, cap. II.)

Dicitur 2° rerum spiritualium *cum temporalibus*... Commutare rem spiritualem cum alia re æque spirituali, preces, indulgentias, reliquias Sanctorum, non est simonia, quæ tunc solummodo adest quando bonum spirituale datur aut accipitur pro bono temporali. Quæ sint bona temporalia quæ vetat lex divina commutare pro spiritualibus, explicat sanctus Gregorius in cap. *Sunt nonnulli*, 114, caus. I, quæst. I : « Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud

« munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio « indebite impensa. Munus a manu pecunia est. Munus a lin- « gua favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni « munere excutit manus, quando in divinis rebus, non so- « lum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non « requirit. »

Munus *ab obsequio* est, si quis donet rem spiritualem in pretium obsequii temporalis indebiti; v. g. si præstet obsequium temporale pretio æstimabile, quale reputatur munus secretarii, nullo stipendio adductus sed promissione ipsi facta canonicatus, alteriusve beneficii vacaturi. Dicitur in cap. *Cum essent*, 12, DE SIMONIA, promissionem factam clerico alicujus beneficii tribuendi, si promoveret certum negotium in curia Romana, *continere simoniacam pravitatem*.

Munus *a manu* reputatur res quævis pretio æstimabilis data, vel promissa in futurum, pecunia, remissio debiti, liber, etc...

Munus *a lingua* intelliguntur preces, adulationes, commendationes, quæ ex pacto expresso aut tacito, pro beneficio aut pro alia re spirituali, interponuntur apud superiorem, seu alium quempiam. Ratio est quod apud homines hæ preces seu commendationes habentur uti aliquid pretio æstimabile. Hinc, v. g., simoniæ reus esset Prælatus qui clerico canonicatum conferret ea tacita saltem conditione ut ab eo laudetur atque commendetur apud ministrum Principis, seu magnatem quempiam, unde Prælatus aliquid sibi gratum obventurum sperat.

Dicitur 3° rerum spiritualium cum temporalibus *permutatio:* scilicet pactum expressum, seu implicitum, quo obtineatur res temporalis in commutationem rei spiritualis, uti sunt contractus innominati : *do ut des*, *facio ut facias*, etc..., quod in quæstione subsequenti enucleare debemus.

728. — II. Simonia dividitur ratione modi quo committitur, in mentalem, conventionalem, realem et confidentialem;

ratione juris quod violatur, in simoniam jure naturali aut divino vetitam, et in simoniam quæ vetita est jure ecclesiastico.

Simonia *mentalis* est internus voluntatis actus quo aliquis rem spiritualem alteri confert, ea intentione ut illum obstringat ad reddendum aliquid temporale, aut vicissim. Canonistæ non pertractant de simonia mere mentali, quia cum consummetur intra mentem, nulloque signo exterius manifestetur, non est obnoxia pœnis jure canonico sancitis.

Simonia *conventionalis* est conventio externa, sive explicita sive implicita, dandi spirituale pro temporali, aut vice versa; quæ quidem conventio, quamdiu non fuit opere externo consummata, non plectitur pœnis juris canonici, ut infra dicetur.

Simonia *realis* est conventio opere externo consummata ex utraque parte, saltem inchoative; dum v. g. ab uno res spiritualis data est, ab altero autem pars saltem pretii conventi soluta est.

Non requiritur ad rationem simoniæ realis, ut res utraque spiritualis et temporalis simul mutuo tradatur, sed sufficit si tradatur post tempus etiam longum. Simonia remanet conventionalis quamdiu non fit ex parte utraque traditio saltem inchoata rei; ex eo autem temporis momento quo traditio fit, peccatum consummatur, simonia evadit realis, et, quoad pœnas juris, retrotrahitur ad tempus pactionis præteritæ.

Simonia *confidentialis* locum habet in materia beneficiali, quando scilicet aliquis beneficium ecclesiasticum alteri quocumque modo procurat, v. g. eligendo, præsentando, conferendo, vel in ejus gratiam resignando, cum pacto, sin expresso saltem implicito, ut is cui id procurat, post aliquod tempus idem beneficium ipsimet procuranti, vel alteri resignet, aut pensionem seu fructus ex eo præstet. (Schmalzgrueber, in tit. DE SIMONIA, n^is 27-57.)

Est simonia *jure divino*, quoties res spiritualis pro temporali commutatur, et hoc est gravissimum crimen quod levi-

tatem materiæ non admittit. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, ait sanctus Petrus Simoni mago, *quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Quævis res temporalis, seu parva seu magna, detur uti pretium boni supernaturalis, irrogatur gravis injuria Sancto Spiritui.

Est simonia *jure ecclesiastico* quando fiunt pacta aut permutationes quæ Ecclesia prohibuit intuitu religionis et reverentiæ debitæ rebus sacris, atque ut certius vitetur commercium sacrilegum rerum spiritualium et temporalium. Sic, ut nonnulla exempla citemus, Ecclesia vetuit vendi oleum benedictum et sanctum chrisma, quia periculosum erat ne in æstimatione pretii ratio haberetur benedictionis et res venderetur ultra valorem materiæ; vetuit ne « examinatores candidatorum ad be-« neficia quidquam occasione hujus examinis, sive ante sive « postea accipiant; *alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam « alii dantes incurrant,* » ut dicitur in cap. XVIII, sess. XXIV conc. Tridentini; vetuit ne ullæ permutationes beneficiorum fiant auctoritate privata, etc., etc. In his et aliis hujusmodi casibus, qui sanctiones canonicas transgreditur, non fit solum reus inobedientiæ erga Ecclesiam, quod commune est omnibus violationibus legum canonicarum, sed *incurrunt vitium simoniæ*, juxta sententiam allatam concilii. Dum enim aliquam fieri permutationem, aut rem non sacram vendi Ecclesia prohibet ex motivo religionis, propter reverentiam rei sacræ cui conjungitur aut ad quam ordinatur, efficit quod talis venditio seu permutatio sit contra virtutem religionis, id est fieri non possit quin ipsa dignitas rei sacræ violetur, quod constituit peccatum simoniæ.... Hæc species simoniæ est etiam peccatum mortale ex genere suo, et pœnis ordinariis contra simoniacos latis plectitur. Alexander III comminatur Episcopo periculum ordinis et dignitatis, si contra præcepta ecclesiastica exigat aliquid pro chrismate sub prætextu prælationis aut consuetudinis. (Cap. *Ea quæ* 16, DE SIMONIA.) Existimant plures doctores non dari levitatem materiæ in hac simonia,

non secus ac in simonia jure naturali, quia « ejusdem est spe-« ciei, ait Suarez, ac subinde ejusdem gravitatis substantia-« lis[1]. » Cum tamen res sacra non ita directe violatur, et actus malitiam simoniæ non haberet seclusa Ecclesiæ prohibitione, probabilior nobis videtur opinio contraria. Sed in re tanti momenti valde refert ut leges canonicæ accurate serventur[2].

729. — II° *Quod pactum requiratur ad rationem simoniæ?*

I. Pactum generatim est contractus quo duo, aut plures, se mutuo obligant ad aliquid dandum, faciendum, vel omittendum. Pactum illud attentatur, si intentio alterum obligandi sit tantummodo ex una parte. Pactum fieri potest explicite, aut implicite, prout partes contrahentes consen-

[1] Suarez, *de Religione*, tom. I, lib. IV, *de Simonia*, cap. VII, n° 13. — Cf. S. Alph. de Liguori, lib. III, n° 50.

[2] S. Sedes pluries declaravit prohibitum esse vendere et commodare coronas, rosaria, numismata, benedicta cum applicatione indulgentiarum. Id speciatim prohibuit Clemens XI pro coronis S. Brigittæ, Const. *de Salute gregis* die 22 sept. an. 1714; et S. Congregatio Indulgentiarum, pro crucibus et coronis quæ in locis terræ sanctæ benedictæ sunt; decret. an. 1721. Alexander VII decretum generale tulerat ea de re ab anno 1657. In instructione data a secretario S. Congregationis de propaganda fide, post pontificatum Benedicti XIV, ex audientia S. Pontificis, hæc declarantur : « In distri-« buendis autem hujusmodi coronis et crucibus, etc., eorumque usu, sanctis-« simus noster servari jubet decretum Alexandri VII, nimirum ut coronæ, « cruces, rosaria, etc., ut supra benedicta, quoad indulgentias non transeant « personam illorum quibus concessæ sunt, aut quibus ab iis prima vice « distribuuntur..; nec non eadem commodari aut precario dari non possint « pro indulgentiarum communicatione, alioquin amittent indulgentias jam « concessas; tum etiam prælata post pontificiam benedictionem vendi non « possint, juxta dispositionem decreti S. Congregationis Indulgentiarum et « Reliquiarum editi die 3 junii 1721. » (Ferraris, v° *Indulgentia*, art. V, n° 64, art. VI, n° 23.) Ex decretis allatis prohibetur venditio coronarum, rosariorum, et numismatum benedictorum, etiam abstrahendo ab intentione communicandi indulgentias. Probabile est id intelligi de coronis et numismatibus communibus quæ sunt adeo exigui valoris ut aliquod periculum sit ne vendantur intuitu benedictionis; non vero de coronis, numismatibus, crucibus ex argento aut auro in quibus manifestum esset rationem solummodo haberi valoris materiæ.

tiunt verbis expressis de reciproca obligatione, aut illam implicite intendunt. Si, v. g., stipulentur obligationem gratitudinis, ita quod alteruter habendus sit uti infidelis pacto si non conferat temporale, dum acceptaverit spirituale; tunc enim obligationem justitiæ sub occultata specie gratitudinis intendunt. .

Notandum insuper contingere posse ut bonum temporale detur occasione rei sacræ, non uti illius pretium, sed ob titulum rei sacræ extrinsecum, v. g. ad honestam sustentationem clerici; vel ut motivum impulsivum, excitans nimirum, etsi secundario, non principaliter, voluntatem alterius qui confert bonum temporale; vel tandem ut motivum primarium ac determinans voluntatem.

II. His positis statuitur propositio : Ad simoniam proprie dictam quam sacri canones interdixerunt, constitutis pœnis in transgressores, requiritur pactum saltem attentatum ex una parte ; pactum autem censetur initum quoties res temporalis datur, aut accipitur uti motivum proximum obtinendi rem spiritualem.

Prob. I^a pars. Canones qui de simonia statuunt, supponunt rem spiritualem commutari pro re temporali, et in eo præsertim sitam esse rationem simoniæ, ut sacrilegum commercium ineatur bonorum supernaturalium et terrenorum : porro hæc commutatio non fit quin intercedat aliquod pactum saltem implicitum. Confirmatur ex cap. *Tua nos*, 34, quod sic habet : « Si quis clericus cum conditione vel pacto largiatur, « aut offerat sua bona, ut illa postmodum pro præbenda « retineat et in canonicum admittatur, hujusmodi oblatio vel « receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ ; cum in talibus « omnis pactio aut conventio cessare debeat juxta canonicas « sanctiones..... Si vero pure ac sine pacto vel conditione « qualibet offerat, rogans humiliter ut in canonicum admitta- « tur, et bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, et clerici « ejusdem Ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio

« fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. » Ergo nulla est simonia nisi intercedat pactum.

Dixi : *Saltem attentatum ex una parte*, nam dari potest simonia ex parte unius duntaxat qui offert, aut præstat aliquid temporale animo obligandi alterum ad dandum spirituale, dum alter non advertit, vel advertens non consentit. Ita Simon magus crimen patravit a quo abhorruit sanctus Petrus. In capite mox prolato *Tua nos* dicitur clericum apud Deum qui scrutator est cordium culpabilem judicari, « si ea « intentione ducatur ut per bona temporalia quæ offert, spi- « ritualia valeat adipisci. »

Prob. II[a] pars. Innocentius XI proscripsit an. 1679 duas propositiones sequentes : « Dare temporale pro spirituali non « est simonia quando temporale non datur tamquam pretium, « sed duntaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi « spirituale, vel etiam quando per temporale fit gratuita com- « pensatio pro spirituali aut e contra... Id etiam locum habet, « etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; « imo, etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris « æstimetur quam res spiritualis. » Quamvis igitur res temporalis non detur tamquam *pretium*, sed duntaxat uti *motivum* proximum ac principale conferendi spirituale donum, erit simonia.

Ratio est quod gratitudo speciem propriam mutat, atque convertitur reipsa in obligationem justitiæ, quando deducitur in pactum, et determinatur ad tale bonum in particulari præstandum. Quod auctores propositionis damnatæ dixerunt bonum temporale dari uti *motivum*, non uti *pretium*, mera fallacia est; non enim requiritur ad simoniam venditio expressa et formalis, sufficit virtualis, voluntas scilicet commutandi spiritualia pro temporalibus; talem autem voluntatem habet qui dat temporale uti motivum et non aliter. Non certe illud dat gratuito, cum ita sit mente dispositus ut non daret si non præsumeret alterum obligandum iri conferre

spirituale; et si spe sua frustretur, queratur se fuisse illusum. Quis non eluderet omnes canones simoniam prohibentes, et pœnas iisdem canonibus statutas in simoniacos, si dicere sufficiat rem temporalem dari uti motivum, non uti pretium?

730. — Multa sunt consectaria e præcedenti assertione deducenda : hæc exempli causa, indicare sufficiet.

1° Simoniam non committunt qui largiuntur alicui munus temporale, spe illum inducendi ad agendum vitam christianam : v. g. qui munera puero largitur ut alliciat illius animum ad frequentandum catechismum, qui hæretico opem temporalem affert ut removeat obstacula, et facilius inclinetur ad audiendum verbum Dei a catholico. Ratio est quod in his casibus nullum pactum intercedit.

2° Simoniam pariter non committit qui obsequium temporale Episcopo præstat, vices secretarii agendo, absque animo obligationis illi imponendæ, spe tamen et intentione illius animum conciliandi ut beneficium postea donet ex benevolentia et gratitudine. Hæc obsequia non habent rationem pretii, sed solum conciliant benevolentiam ex qua procedit gratuita collatio beneficii. Quin etiam liber esse potest a vitio simoniæ qui spem hanc suam explicat ei a quo beneficium sperat, modo absit intentio obligandi; quia quod licitum est sperare, id licitum est exprimere verbis [1].

Grave tamen erit indicium pacti simoniaci impliciti, si hoc secretarii munere fungatur absque ullo alio emolumento temporali, præter spem obtinendi beneficium; non enim moribus consuetum est ut hujusmodi obsequia indebita quæ oneri sunt, gratis exhibeantur.

3° Simoniaci merito habentur qui occasione rei spiritualis datæ, exigunt bona temporalia sine titulo extrinseco; item qui illa exigunt ultra id juris quod conferunt tituli extrinseci de quibus modo; hæc enim, cum nec gratuito donentur, nec

[1] Cf. Suarez, *de Religione*, lib. IV, cap. XLV. — Schmalzgrueber, in tit. DE SIMONIA, n^is 53-59.

debeantur ob titulum extrinsecum, reputanda sunt in praxi pretium extortum rei sacræ.

731. — III° *Qui sint tituli extrinseci ad recipiendum, vel etiam ad exigendum bonum aliquod temporale, occasione rei sacræ ?*

Præcipui tituli rei sacræ extrinseci sunt : donatio gratuita, labor extrinsecus, sustentatio clerici, et redemptio ab injusta vexatione.

I. De donatione gratuita non est difficultas, modo sit vere gratuita, et Ecclesia eam non prohibuerit ad præcavendum periculum simoniæ.

Ad dignoscendum utrum gratuitum sit donum, an e contra pactum simoniacum specie donationis occultetur, « tria « sunt maxime attendenda, ait Alexander III, personæ scilicet « dantis et accipientis qualitas, quantitas muneris et dona- « tionis tempus : qualitas personarum, ut a quo, et cui, vide- « licet an a paupere diviti, vel e converso sive a divite locu- « pleti datum fuerit : æstimatio muneris, et donationis tem- « pus, si magni, vel minoris pretii res data existat, et an « instante necessitate, seu alio tempore conferatur. » (Cap. *Etsi quæstiones*, 18, eod. tit.)

Dixi : *modo Ecclesia non prohibuerit.* Concilium Tridentinum Episcopis interdixit, simul et Episcoporum ministris, ne quovis prætextu recipiant *etiam gratis oblatum* pro collatione ordinum, vel pro litteris testimonialibus, vel dimissoriis. « Notarii vero in iis tantum locis in quibus non viget « laudabilis consuetudo nihil accipiendi pro singulis litteris « dimissoriis aut testimonialibus, decimam tantum unius « aurei partem accipere possint; dummodo eis nullum sala- « rium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo « ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem or- « dinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. » (Sess. XXI, cap. I [1].) Contrarias taxas, et consuetudines, etiam

[1] Cf. Giraldi, *Expositio juris pontificii*, II[a] parte, sect. LIII.

immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus et corruptelæ pravitati simoniacæ faventes nuncupari possunt, concilium eodem decreto penitus submovit ac prohibuit [1].

Cum ex decreto concilii licitum sit notariis Episcoporum, quando nullum salarium eis constituitur pro officio exercendo, recipere decimam partem unius aurei, scilicet aliquod pretium operis moderatum et auctoritate competenti taxatum, ratione habita locorum et temporum ; cum aliunde nullum ex bonis ecclesiasticis, nec ex ærario publico, constitutum sit salarium notariis Episcoporum in nostris regionibus, sed Episcopus teneatur illis providere, non putamus praxim quæ communiter apud nos viget pugnare cum decreto Tridentino. Nullum emolumentum Episcopis provenit ex illa taxa qua utuntur ad subveniendum necessitatibus secretariorum, seu notariorum Episcopatus, nec ullum est periculum simoniæ in ea praxi, attentis moribus hodiernis.

II. Labor extrinsecus, id est distinctus ab eo qui impenditur in re sacra peragenda, est etiam titulus exigendi pretium temporale, modo tamen fideles jus non habeant ad hunc laborem. Ratio est manifesta, cum in tali casu pretium solvatur ob laborem a re sacra separabilem, uti v. g. si presbyter debeat expectare horam diei provectam ut sacrum faciat, si debeat agere iter arduum, loca remotiora adire. Aliter vero statuas de parocho, aliove sacerdote qui ex officio tenetur hunc laborem impendere, ut sacramenta suis ovibus exhibeat : si oves non valeant accedere ad Ecclesiam quia infirmitate detinentur, pastor debet eas requirere, non reputans labores, eisque auxilia salutis afferre.

III. De honesta clerici sustentatione alibi dictum est, ubi de oblationibus, fundationibus et beneficiis (n° 580 et seq.). Necessitas huic sustentationi providendi titulum extrinsecum suppeditat, et quidem præcipuum.

[1] Cf. Giraldi, *Expositio juris pontificii*, parte II, sect. III.

Eadem ratione rectores monasteriorum exigunt a postulantibus et novitiis pensionem, quæ respondet impensis necessariis ad eorumdem vestitum et victum per tempus probationis. (Concilium Tridentinum, sess. xxv, cap. xvi, *de Regularibus.*) Quamvis canones non concedant ut dos exigatur ab iis qui vitam religiosam profitentur, imo illud prohibeant (cap. *Quoniam*, 40, eod. tit.); monasteria tamen quibus desunt reditus sufficientes, exigere possunt ut assecuretur dos, aut pensio annua. Non est simonia in receptione dotis; siquidem nihil requiritur præter legitimam compensationem impensarum quas necessarias reddit sustentatio monachi; et sanctiones canonicæ non attingunt monasteria de quibus agitur.

IV. Alium titulum extrinsecum assignant canonistæ *redemptionem ab injusta vexatione :* si quis, nimirum, injustum impedimentum ponat quominus alter consequatur beneficium, aliamve rem spiritualem ad quam jus habet, poterit iste se pecunia redimere ab injusta vexatione. Ratio est quod tunc nihil emitur spirituale ; removetur tantummodo injuria illata. Quod si vero jus plenum hactenus non habeat et ab eo adipiscendo impediatur injusta vexatione, distinctione opus est : an illa vexatio injusta ab iis opponatur qui concurrere debent ad concessionem beneficii, ut sunt collatores, electores, patroni : an ab aliis qui directe prodesse non possunt. In priori casu, non licet dare temporale ad removendam vexationem ; quia hoc medio utens sibi viam pararet ad rem spiritualem, mediante pecunia. In altero casu licet ; quia id nullo jure prohibetur : removetur injuria, sed via ad beneficium non fit expeditior quam fuisset ante oppositionem injusti impedimenti. In eo sensu intelligimus verba S. Thomæ : « Antequam « alicui acquiratur jus in episcopatu, vel quacumque digni- « tate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu « collationem, simoniacum esset adversantium obstacula « pecunia redimere ; sic enim per pecuniam pararet sibi viam

« ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui « jam acquisitum est, licet injusta impedimenta removere per « pecuniam. (2ª 2æ quæst. c, art. 2, ad v. — Cf. Schmalzgrueber, nis 134-142. S. Liguori, lib. III, nis 99-103.)

732. — IV° *Quæ sint pœnæ contra simoniacos latæ?*

Jus canonicum irritas decernit omnes pactiones simoniacas; et generatim quasvis conventiones in materia beneficiali initas, non assentiente S. Pontifice, pro beneficiorum commutatione, resignatione in favorem, pensionis constitutione, etc. « Pactiones factæ a vobis, ut audivimus, rescribebat Grego- « rius IX, pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in « hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat om- « nino cessare, nullius penitus sunt momenti. » (Cap. *Pactiones*, 8, DE PACTIS.)

Jus canonicum pœnas insuper edixit excommunicationis majoris, suspensionis ab ordine simoniace recepto, nullitatis collationis officii et beneficii, inhabilitatis ad quodvis aliud beneficium, in omnes qui simoniam committunt in uno ex tribus casibus præfinitis, nimirum : 1° in collatione vel susceptione ordinum; 2° in adeptione, seu collatione beneficiorum; 3° in ingressu in religionem. (Cap. *Cum detestabile*, 2, DE SIMONIA, Extrav. comm.) Quo melius explicetur quousque protendantur illæ sanctiones canonicæ, nonnulla animadvertere oportet.

1° Excommunicatio et suspensio irrogatæ simoniacis sunt reservatæ Sanctæ Sedi, excepto tamen casu periculi proximi et articuli mortis. (Const. *Cum detestabile.*)

2° Collatio, et quævis provisio officii simoniace facta, declaratur irrita, in ipso etiam casu quo provisus conscius non fuerit simoniæ, nisi tamen extranei id malitiose fecissent *in illius dispendium*, uti dicitur in cap. *Nobis fuit*, 27, DE SIMONIA. Quod ad professionem religionis simoniace factam attinet esse, « net validam omnes pro indubitato habent, ait Suarez, « ...quia licet hæc professio potuerit irritari per Ecclesiam

« factum non est, nec invenitur, nec fuisset expediens. » (*De Simonia*, cap. LVII, n° 7.) In pœnam delicti, religiosus jubetur transire ad religionem strictiorem, quam tamen pœnam non patitur, nisi intervenerit sententia judicis, ut explicat Suarez in eodem loco.

3° Revalidatio collationis beneficii, quæ irrita fuit ob simoniam, et condonatio fructuum beneficii, reservantur S. Pontifici : sequitur ex eodem textu juris, in quo declaratur male provisum non posse aliquam dispensationem super hac re obtinere ab Episcopo. (Cap. *Si alicujus*, 59, DE ELECTIONE.)

4° Provisus simoniace non solum est inhabilis ad adipiscendum de novo idem beneficium quod per simoniam obtinuit; quinimo declaratur inhabilis ad alia quævis obtinenda, de illo siquidem S. Pius V, Const. *Cum primum*, statuit : « Illis « (dignitatibus et beneficiis simoniace receptis) sit ipso jure « privatus, et perpetuo sit inhabilis ad ea et quæcumque alia « beneficia ecclesiastica obtinenda. » Hæc verba *ipso jure*, si sensu obvio interpretemur, statuunt inhabilitatem incurri ipso facto, ante sententiam condemnatoriam, eodem prorsus modo ac privationem beneficii simoniace recepti. Plures tamen arbitrantur « illam pœnam quoad hunc effectum non « esse usu receptam, quod mihi etiam ex his quæ intelligere « potui est valde verisimile, ait Suarez; quo posito non in- « curretur illa pœna, saltem ante sententiam declaratoriam, « etiamsi aliæ incurrantur; quia potest consuetudo derogare « uni parti legis, et non aliis... Inhabilitas ad omnia alia be- « neficia in futurum acquirenda omnino nova est, et ideo ubi « clare non constiterit Constitutionem Pii V esse receptam « in priori rigoroso sensu, existimo posse in praxi tuta « conscientia servari opinionem Navarri, et non esse neces- « sariam dispensationem ad alia beneficia, quando delictum « non est ad forum contentiosum deductum et in eo decla- « ratum. » (*De Simonia*, cap. LVIII, n° 11. Ita Pirhing,

n° 170; et alii plures qui dicunt Constitutionem memoratam vel non fuisse usu receptam, vel ita sumi in praxi ut non obliget in foro conscientiæ ante sententiam judicis. Reiffenstuel, n° 267. Cf. *Thesaurus de Pœnis. Simonia*, cap. II, n° 7.)

5° Constitutiones citatæ ex Decretalium libris, et Pontificum decretis, statuerunt de simonia perpetrata in collatione et in susceptione beneficiorum; quapropter eos non afficiunt qui simoniace conferunt aut suscipiunt functiones delegatas, v. g. officium vicarii, capellani, et alia hujusmodi quæ non veniunt nomine officii proprie dicti.

6° Pœnæ simoniacis inflictæ supponunt simoniam realem consummatam : nemo igitur tenetur se habere vinculis censurarum obstrictum ratione delicti, nisi pactum simoniacum ad exsecutionem realem perduxerit. Judex tamen ecclesiasticus potest pœnas arbitrarias simoniacis irrogare, in delicti coercitionem.

An vero simonia realis debeat esse consummata ex alterutra parte, an sufficiat ut consummata fuerit ex una solum parte non consentiunt canonistæ. Multi arbitrantur simoniacos pœnas jure statutas incurrere statim ac res spiritualis data est ex promissione pretii temporalis; idque concludunt ex Constitutionibus pontificiis quæ declarant « quod omnes « illi, qui simoniace ordinati fuerint, a suorum sint ordinum « exsecutione suspensi... quod universi... qui quomodolibet « dando, vel recipiendo, simoniam commiserint... sententiam « excommunicationis incurrant. » (Cap. *Cum detestabile.*) Atqui, simoniace sunt ordinati aut promoti qui ordines seu beneficia assecuti sunt interveniente promissione pecuniæ. Plures alii, et fortassis communius, propugnant e contra neminem incurrere pœnas jure statutas, nisi simonia sit completa tum concessione rei spiritualis, tum solutione pretii temporalis, ex parte saltem. Rationem suæ sententiæ exinde deducunt quod canones quibus pœna indicitur supponant simoniam realem esse completam : porro venditio et emptio

non complentur nisi tradita re et soluto pretio. Insuper animadvertunt quod cum jura sint ea de re obscura, benigniore interpretatione uti debemus, ut fit in pœnalibus [1]. Huic opinioni, ob ipsas controversias doctorum ex quibus inducitur dubium juris, stare possumus, admissis tamen nonnullis exceptionibus. Excipi debent qui committunt simoniam ad promovendam electionem S. Pontificis, qui dant pecunias ministris curiæ Romanæ ad assequendas gratias Sedis Apostolicæ, ac demum qui simoniam confidentialem perpetrant : hi omnes pœnas incurrunt, effectu etiam non secuto, modo simonia sit ex una parte completa; quia sic fuit statutum.

733. — V° *Utrum et cui restitui debeat quod fuit simoniace receptum?*

I. « Nihil spirituale simoniace acceptum, præter benefi-« cium, est restituendum, ait sanctus Alph. de Liguori; quia « cætera vel restitui non possunt, ut sacramenta, vel non « sunt restituenda ante sententiam, cum canones aliud non « statuerint. » (Lib. III, n° 113.) Ita communissime canonistæ [2].

Actiones et functiones sacræ quibus sacramenta atque benedictiones, seu consecrationes, conferuntur validæ sunt suosque effectus operantur, quamvis presbyter sacrilegium commiserit, hæc simoniace agendo. Alia non sunt irritabilia per Ecclesiam, posita divina institutione : alia vero nullibi inveniuntur irritata jure canonico propter simoniam : eadem cæteroquin restitui non posse perspicuum est. Actus item jurisdictionis ecclesiasticæ quibus facultates spirituales, et ministeria ad nutum revocabilia, uti facultas audiendi confessiones, prædicandi, habendi oratorium privatum, officia vicarii et capellani conferuntur, sunt validi. Superior po-

[1] Cf. Reiffenstuel, n^is 235-245. — Schmalzgrueber, n^is 247-250. — S. Alph. de Liguori, lib. III, n° 106.

[2] Cf. Suarez qui hanc quæstionem ex professo tractat in cap. LVII, lib. *de Simonia*.

test ex suo munere hæc conferre, vult reipsa suo jure uti ea conferendo, et collatio non irritatur lege canonica; ergo valide recipiuntur hujusmodi facultates atque officia, non quidem vi contractus simoniaci, sed vi potestatis quæ superiori inest. Non est obligatio ea remittendi seu his renuntiandi, nisi renuntiatio videatur necessaria pœnitenti ut de suo peccato sit sufficienter contritus, et deinceps efficacius removeatur a periculo simoniæ. Demum valet acquisitio rerum temporalium rebus spiritualibus annexarum quæ sunt propriæ dantis, v. g. calicis, granorum benedictorum, etc.; siquidem ad hujusmodi acquisitionem sufficit utriusque partis, dantis et recipientis, mutuus consensus : unus dominium in re sua transfert, alter acceptat; contractus nullo jure irritatur; quapropter nec res hujusmodi simoniace acceptæ restituendæ sunt. Idem dicendum de reliquiis sanctorum et aliis rebus spiritualibus quæ aliquis habet sub dominio.

Dixi *Præter beneficium*, quia ex decretis supra allatis contractus simoniacus in materia beneficiali irritatur jure canonico; unde sequitur eum qui beneficium ecclesiasticum simoniace assecutus fuerit, teneri illud quam primum resignare. Caput *Ea quæ*, 5 (ex concilio Placentino sub Urbano II, caus. I, q. III) latius quidem extenditur : « Quidquid vel in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus, « vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum « esse et nullas unquam vires habere censemus; » cum tamen textus juris, subsequentibus temporibus in codice Decretalium inserti, statuant solummodo de beneficiis, et ea sit opinio fere communis doctorum nullitatem ipso facto non induci nisi in pactis simoniacis quæ ad beneficia referuntur, eamdem sententiam uti practice tutam amplecti licet.

Quoad pretium, perpendere oportet an *simoniace* solummodo, an simul *injuste* acceptum sit. Si prius, non est obligatio illud restituendi ante sententiam condemnatoriam; siquidem extra casum in quo reus condemnatur in pœnam

delicti ad reddendum pretium solutum, obligatio restituendi procedit ex violatione justitiæ commutativæ. Hinc qui vendidit sacrum chrisma, oleum benedictum, rosarium, item prælatus regularis qui suscepit pecuniam pro admissione alicujus in monasterium... non tenetur ad restitutionem pretii, modo pretium acceptum non excedat æstimationem rei temporalis quæ data fuit. Si posterius, pretium restitui debet ante sententiam judicis, quia violata fuit justitia commutativa: unde sequitur restituendum fore quidquid acceptum est pro re mere spirituali, pro collatione beneficii ecclesiastici, pro exercitio jurisdictionis, quoties nullus adest titulus extrinsecus[1].

II. Restitutio regulariter fieri debet illi a quo pretium fuit acceptum, nisi intercedat lex aut sententia judicis quæ illud tribuat pauperibus vel Ecclesiis. Qui pecuniam contulit non intendebat dominium rei suæ in alterum transferre nisi sub ea conditione ut obtineret rem spiritualem; ergo si non obtineat, quia pactum jure irritatur, uti in materia beneficiali, non amisit jus suum. Nec etiam jus suum amisit si obtinuerit rem spiritualem a se expetitam, v. g. sacramentum, quia alter pretium recepit absque titulo, contra absolutam ordinationem Christi; quod autem sine titulo recipitur, detineri non debet. Ergo, jure naturali, pretium simoniacum ei restituendum est a quo acceptum fuit, nisi ille condonaverit, aut merito præsumatur consentire ut non restituatur.

Ex jure canonico pretium solutum in collatione simoniaca beneficii, restituendum est Ecclesiæ in qua beneficium situm est, aut in pios usus impendi, prout judex statuerit. Cap. *de Hoc*, 11, *Veniens*, 19, *Audivimus*, 41, eod. tit. Subintellige *si intervenerit sententia;* nam juxta plurium canonistarum opinionem, simoniacus potest reddere pretium ei a quo accepit, antequam condemnetur ad illud restituendum Ecclesiæ vel pauperibus. (Reiffenstuel, n° 296; Schmalzgrueber, n° 303.)

[1] Suarez, *de Simonia*, cap. LVII et LIX.

2° *De sacrilegio.*

734. — I° *Quid sit sacrilegium et quotuplex distinguatur?*

I. Sacrilegium est violatio rei Deo sacræ, in quo est sacra. Non committitur sacrilegium quoties res sacra indigne tractatur, sed quando indigne tractatur in eo præcise quo est Deo sacra; quamobrem advertendum est ad quid res sit sanctificata. Religiosus, v. g., est per votum castitatis sanctificatus ad munditiem carnis, et idcirco sacrilegii arguetur si castitatem violaverit fornicando, non vero si mentiatur aut pejeret. Aderit igitur sacrilegium quoties violabitur sanctitas illa primaria quam res directe habet a sua consecratione, et etiam quoties lædetur privilegium eidem rei jure canonico annexum in commendationem illius sanctitatis, ut major ei adhibeatur reverentia. Privilegium illud est veluti alia superaddita sanctificatio, qua Ecclesia personam, locum, seu rem e statu communi detrahere voluit, religionis causa.

II. Sacrilegium ratione juris consideratum, dividitur in sacrilegium jure naturali et jure canonico; ratione autem objecti, dividitur in sacrilegium personale, locale et reale.

Sacrilegium *jure naturali* dicitur, quando violatur ea sanctitas quam res, locus, vel persona habet a sua prima institutione et consecratione, ut si profanantur sacramenta : sacrilegium *jure canonico* erit, si violatur privilegium speciale jure canonico rei attributum, uti supra dictum est; v. g. si percutiatur clericus.

Sacrilegium *personale* committitur, quando quis vim injuriosam clerico, vel religioso, infert, aut corpus voto castitatis sacrum inquinat peccato luxuriæ. Sacrilegium *reale*, quando profanatur res sancta, v. g. evangelium, crux, sacramentum, vel aufertur res in Ecclesia custodita. Dicitur in cap. *Quisquis*, 21, caus. XVII, q. IV : « Sacrilegium com-« mittitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de « sacro, sive sacrum de non sacro. » Sacrilegium est locale, quando locus sacer polluitur. (N° 557.) Locum sacrum com-

munius intelligunt oratorium publicum, quod benedictum sit ut in eo sacra mysteria obeantur.

Ex data definitione sequitur sacrilegium esse peccatum contra virtutem religionis, quod non admittit levitatem materiæ, si ex contemptu formali procedat; sed potest esse veniale si absit contemptus. In definiendo gradum malitiæ sacrilegii realis, quando abest comtemptus attendere opportet an commitatur in res benedictas ut sint materia sacramenti, vel ut proxime ordinentur ad sanctum sacrificium, puta sanctum oleum, sanctum chrisma, altare, calicem; an committatur in res quæ non ita proxime referuntur ad Deum, sed benedictæ sunt ut ad pium usum fidelibus inserviant, uti sunt palmæ, cineres, panis, aqua lustralis. Si prius, sacrilegium includit graviorem irreverentiam contra Deum, et est ex genere suo peccatum mortale quando fit advertenter, quamvis profanator non velit, directa intentione, res sacras inhonorare. Si posterius, non videtur esse peccatum ex genere suo mortale.

735. — II° *Quas pœnas jus canonicum statuerit contra sacrilegos?*

I. Sacrilegium personale, quod committitur inferendo manus violentas in clericum, vel Episcopum aut Cardinalem capiendo, inducit excommunicationem majorem. Probatur ex decreto concilii Lateranensis, sess. II, quoad primam partem : « Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum in-« currerit quod in clericum vel monachum manus violentas « injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episco-« porum eum absolvere præsumat, nisi mortis urgente pe-« riculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus « mandatum suscipiat. » Probatur ex cap. *Felicis*, 5, DE PŒNIS, in VI°, et ex bulla *Pastoralis*, quoad eos qui Episcopo aut Cardinali vim intulerint.

Canon concilii Lateranensis supponit vim materialem et injustam clerico illatam; quapropter alia quævis injuria, etiam atrox, non dat locum censuræ.

Vis illata debet esse graviter injusta, alioquin non statueretur excommunicatio major in percussorem clerici. Lex igitur non applicatur ad varios casus in quibus vis infertur ad repellendam aggressionem injustam, aut ignoratur conditio clerici qui vestem laicalem gerebat, aut tandem clericus leviter percussus fuit.

Canone tutantur, non solum clerici sacris ordinibus initiati et monachi professi, sed et clerici in minoribus, vel etiam sola tonsura clero cooptati, et novitii ordinum regularium. (Cap. *Religioso*, 21, DE SENTENTIA EXCOMM., in VI°.)

Excommunicatio lata a canone *Si quis*, reservatur Summo Pontifici, excepto casu in quo percussio non est *enormis*, uti declarat cap. *Pervenit*, 17, DE SENT. EXCOMM. Episcopus potest in eo casu absolutionem impertiri. Videtur excipi etiam posse, ex consuetudine, non quidem generali sed in nonnullis provinciis ac præsertim nostris inducta, casum percussionis clerici in ordinibus minoribus constituti.

II. Sacrilegium locale quod committitur effractione et spoliatione Ecclesiarum, inducit excommunicationem majorem. (Cap. *Conquesti*, 22, eod. tit.) Jura statuunt de casu in quo ædes sacra spoliatur cum effractione; quapropter sacrilegus usurpator non luit pœnas canone statutas nisi violenter, vel parietem fodiendo, vel fenestras aut tectum frangendo, vel ostia clausa perrumpendo, templum ingrediatur, et aliquid ibidem furetur, seu grave damnum inferat.

Legislator pœnas insuper statuit in eos qui sacras ædes incendunt, aut quovis alio modo sacrilege destruunt, vel in iisdem actus profanos, specialiter ibi fieri vetitos, ludos theatrales, spectacula profana, actus forenses in causis præsertim criminalibus, facere præsumunt, et tandem qui immunitatem asyli sacris ædibus jure attributam violant; de quo canones reperiuntur in causa XVII, quæst. IV, et in titulo Decretalium DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, a quibus referendis, brevitatis causa, abstinemus.

Sacrilegium locale quo polluitur Ecclesia, inducit ejusdem Ecclesiæ interdictum, donec locus reconcilietur. (N° 558.)

III. Sacrilegium reale quod committitur furto rerum sacrarum, aut etiam rerum profanarum depositarum in loco sacro, mulctabatur olim variis pœnis, quas legere est in canonibus causæ mox citatæ XVII, præsertim in cap. *Quisquis*. Concilium Tridentinum edixit ut si quis clericorum, vel laicorum, alicujus Ecclesiæ, Montium pietatis, aliorumve locorum piorum, jurisdictiones, bona, census ac jura, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se, vel per alios, in proprios usus convertere, et usurpare præsumpserit, « is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdi-« ctiones, bona, res, jura, fructus et reditus quos occupave-« rit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione « suppositæ personæ pervenerint, Ecclesiæ ejusque admini-« stratori sive beneficiato, integre restituerit; ac deinde a « R. Pontifice absolutionem obtinuerit... Clericus vero qui ne-« fandæ fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu con-« sentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; necnon quibuscum-« que beneficiis privatus sit, et ad quæcumque alia beneficia « inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum exsecutione, etiam « post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii « arbitrio suspendatur. » Sess. XXII, cap. XI[1].

736. — III° *Quas pœnas jus canonicum statuerit in eos qui injurias inferunt Ordinibus religiosis?*

Ecclesia quæ personam clericorum et monachorum contra injuriosam percussionem tutatam esse voluit, præcavere etiam studuit ne ipsismet Ordinibus religiosis injuria inferretur. Hæc idcirco inter cætera statuit :

[1] Constitutiones speciales editæ sunt quibus vetatur sub pœna excommunicationis ablatio reliquiarum, statuarum, marmorum e cryptis vel ex Ecclesiis urbis Romæ, et interdicto subjiciuntur Ecclesiæ quibus hæc furtive sublata applicantur, donec restituta fuerint. Cf. Thesaurum, *de Pœnis*, II[a] part., cap. I, *de Reliquiis*.

1° Qui libellis famosis, seu cantilenis, injuriose insequuntur religiosos Ordinis sancti Francisci et sancti Dominici; item qui institutum Societati Jesus impugnant, incidunt in excommunicationem majorem reservatam Summo Pontifici. Ita quoad Societatem Jesu statuit Gregorius XIII, Const. *Ascendente Domino*. Injuriis seu maledictis insectari instituta religiosa quæ Ecclesia approbavit atque suo patrocinio tutatur, est certe gravis injuria in ipsammet Ecclesiam.

2° Qui impediunt regulares Ordinum Mendicantium ne eleemosynas expostulent aut recipiant, excommunicantur, si sint inferiores Episcopis; Episcopi vero, si admoniti retractare prohibitiones a se factas in detrimentum horum regularium recusent, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ et suspensi sunt a regimine et administratione suæ diœcesis. Const. Sixti IV *Sacri*, an. 1479. Has autem pœnas non incurrunt nisi qui ex malitia, ex pravo utique affectu contra ordinem religiosum, ita agunt; non vero qui obstant ne nonnulli regulares suo statu, suove ministerio abutantur eleemosynas a fidelibus præpostere postulando in detrimentum, seu aliorum Ordinum, seu cleri sæcularis, seu familiarum.

3° Qui usurpant jurisdictionem in regulares exemptos, immediate subjectos Sanctæ Sedi, incurrunt excommunicationem majorem latam a concilio Tridentino contra illos omnes qui aliorum jurisdictionem invadunt.

3° *De divinatione, sortilegio et magia*[1].

737. — I° *Quid sint divinatio, sortilegium et magia?*

I. Divinatio est investigatio occultorum, ope dæmonis expresse aut implicite invocati. — Multiplicem modum quo homines, præter media naturalia, res occultas præteritas aut præsentes detegere et futura conjectare enixi sunt, exponit cap. *Igitur genus divinationis*, 1, quæst. 3, caus. XXVI,

[1] Canonistæ disserunt de his peccatis contra virtutem religionis, in suis commentariis tituli XXI DE SORTILEGIIS. Cf. CAUSAM XXVI decreti Gratiani. — Delrio, *Disquisitiones magicæ*.

auguria nempe, aruspicia, necromantiam, etc., etc. In his intervenit pactum expressum cum dæmone, si homo habeat voluntatem explicitam aliquid sciendi a dæmone: est autem pactum implicitum, si ad cognitionem rerum occultarum adhibeat medium quod nec suamet natura, nec Dei institutione, has res significare possit; tum enim rerum occultarum cognitio non a natura, nec a Deo speratur; ergo restat ut implicite saltem exquiratur a dæmone.

Sortilegium sæpius accipitur pro investigatione rei occultæ per sortes divinatorias, ut si adhibentur sortes ad detegendum quis sit auctor, v. g., furti, homicidii, etc., et tunc non differt a superstitiosa divinatione de qua modo dicebamus. Aliquando autem accipitur sensu generaliori pro usu sortium, et tunc præter hanc gravem inordinationem, designat insuper 1° praxim satis assuetam utendi sortibus in casu juris indivisi, aut dubii, pluribus competentis, quibus determinetur partitio rei in plures, vel uni ejusdem rei attributio; 2° aliam praxim olim identidem adhibitam utendi sortibus, postulando a Deo occultæ veritatis manifestationem, vel ancipitis concilii directionem, ut, v. g., factum est in electione sancti Matthiæ loco Judæ proditoris. — Usus sortium priori modo est licitus, quoties est verum dubium, et illi qui sortiuntur inter se jus æquale habent; est quippe medium naturale removendi lites et finem controversiæ imponendi. Non expectatur a dæmone sortis exitus, sed divinæ potius providentiæ committitur. — Usus sortium posteriori modo illicitus est, extra casum quo fit instinctu Dei, vel urgente necessitate in qua non aliter investigari potest divina voluntas. Ratio est quod, seposita illa divina inspiratione, sortilegium sit quædam tentatio Dei, et sortientes periculo exponit, ne, Deo ita permittente, decipiantur a dæmone.

Magia est ratio producendi ope dæmonis effectus stupendos qui excedunt vires naturales, saltem quoad modum quo obtinentur.

Aliquando magia fit ad ostentationem, vel ad bonum aliquod sibi aut alteri procurandum; aliquando e contra ut malum alicui inferatur, et tunc vocatur maleficium.

II. Ad theologos remittimus quæstiones de possibilitate, realitate, signis divinationis et magiæ, de quo in tractatu de *Virtute religionis* agunt. Hic solum memorabimus Encyclicam quam S. Congregatio Inquisitionis ad omnes Episcopos direxit an. 1856 adversus magnetismi abusus. In hac Encyclica, Sacra Congregatio non condemnat praxim magnetismi in qua, remota omni dæmonis invocatione, adhiberentur solummodo media physica ad finem honestum; verum animadvertit « compertum esse novum quoddam superstitionis « genus invehi ex phænomenis magneticis, quibus haud scien- « tiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac « seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse « occulta ac futura detegi magnetismi arte, vel præstigio, « præsertim ope muliercularum, quæ unice a magnetisatoris « nutu pendent... » Hæc deinde subjungit : « Adeo crevit « malitia hominum, ut neglecto licito studio scientiæ, potius « curiosa sectantes, ariolandi, divinandive principium quod- « dam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi* et *claræ in-* « *tuitionis*, uti vocant, præstigiis, illæ mulierculæ se invisibilia « quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones « instituere, animas mortuorum invocare, responsa accipere, « ignota et longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa « exercere, ausu temerario præsumunt... In hisce omnibus, « quacumque demum arte utantur, vel illusione, cum ordi- « nentur media physica ad effectus non naturales, reperitur « deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum con- « tra honestatem morum. » Suprema igitur Inquisitio id improbat tamquam nefas religioni et civili societati infestissimum, ac simul Episcopos hortatur ut omnem curam impendant, qua paternæ charitatis monitis, qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout at-

tentis locorum, personarum, temporumque adjunctis, expedire judicaverint, ad hujusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos.

Fideles, ipsique clerici exinde colligent quam circumspecte in hac materia agendum sit, ne, curiosa præter fas sectando, decipiantur diabolica superstitione [1].

738.—II° *Quid jus canonicum statuerit circa divinationem, sortilegium et magiam?*

1° Canones severe prohibent omne genus divinationum (cap. *In tabulis*, 1, *Ex tuarum tenore*, 2, DE SORTILEGIIS). His canonibus accesserunt plures Constitutiones SS. Pontificum Leonis X, Sixti V, Benedicti XIV, quibus indicitur Episcopis et aliis superioribus ut procedant contra illos omnes, tam clericos quam laicos, qui vanas, fallaces et perniciosas divinandi artes *exercent*, *profitentur* aut *discunt*, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones *faciunt* aut *in eis se quomodolibet intromittunt*; et in illos severius pœnis canonicis, et aliis eorum arbitrio, animadvertant. Clerici qui in his culpabiles inventi fuerint, infamia notabuntur arbitrio superioris; et si non destiterint, deponi debent, beneficiisque et officiis ecclesiasticis privari [2].

2° Jus canonicum prohibuit ne sortes adhibeantur in electionibus ad prælaturas, dignitates et beneficia ecclesiastica. « Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione dam- « nantes, » ait Honorius III, cap. *Ecclesia*, 3, eod. tit. Hæc electio fieri debet ratione duce, attendendo ad capacitatem et merita personarum, non vero casui subjicienda : etiamsi autem sors non mitteretur nisi inter personas dignas deter-

[1] Cf. quæ notavimus de magnetismo et de *tabulis circulatoriis* in libro Gallico sermone exarato : *Cours d'instruction religieuse ou Exposition de la doctrine catholique*, tom. III, leçon IX, pag. 173-186, 3e éd., an. 1859.

[2] Leo X. bull. *Supernæ* edita in conc. Lateran. 5 maii 1512. Sixtus V bulla *Cœli et terræ* 5 januarii 1585. Gregorii XV *Omnipotentis Dei*, 20 martii 1623. V. Giraldi, part. I, sect. DCCCLVI.

minatas, sicuti factum est in electione sancti Matthiæ, electio foret illicita et invalida, quia absolute prohibetur a jure canonico [1]. Si electores non concordent, superior potest illis tempus certum præscribere ad eligendum, quo elapso, electio ad ipsum devolvetur.

3° Magi et sortilegi declarantur infames (cap. *Constituimus*, 9, caus. III, q. 5), et insuper afficiuntur censuris ecclesiasticis, pro ratione delicti. Quinimo judex ecclesiasticus poterat olim clericos, istius criminis reos, tradere curiæ sæculari.

§ 3. — *Delicta contra virtutem justitiæ.*

Theologi agitant quæstiones de injuriis contra proximum, deque obligationibus ex violato jure proximi ortis, in tractatu *de Jure, justitia et contractibus*. Nobis proinde, pro ratione nostri instituti, sufficit indicare summatim delicta quæ jus canonicum pœnis præstitutis coercere voluit, nimirum : homicidium, sub quo duellum et abortus veniunt, crimen falsi, furtum, rapina et usura.

739. — I° *Quid jus canonicum statuerit in delicti homicidii reos ?*

I. Homicidium est *directe* voluntarium, quando aliquis directe intendit alterius occisionem; *indirecte*, quando ponit actum ex quo sequitur mors alterius, si tamen prævidere debuerit effectum subsecuturum et causam auferre.

Homicidium voluntarium, tametsi indirecte, inducit ipso facto irregularitatem, uti dicetur infra ubi *de Irregularitatibus*. Homicidium directe voluntarium plectitur pœna excommunicationis, quæ est ferendæ sententiæ et inducit infamiam post sententiam declaratoriam : si reus istius sceleris fuerit clericus, privari debet officiis suis et ordinum exercitio, ac deponi. Concilium Agathense duos canones ea

[1] Schmalzgrueber in tit. DE SORTILEGIIS, n^is 38-45.

de re condidit qui in disciplinam communem transierunt : « Censuimus homicidas et falsos testes a communione eccle- « siastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina « admissa diluerint... Si Episcopus, presbyter aut diaconus, « capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut « falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus in « monasterium detrudatur, et ibi, quamdiu vixerit, laicam « tantummodo communionem accipiat. » (Caus. XXIV, quæst. III, cap. XX. Dist. L, cap. VII.)

Ecclesia magna sollicitudine invigilavit, quoad ab ea pendet, ut omnis occasio homicidii indirecte voluntarii removeatur; quapropter parentes admonet ne parvulos recens natos secum in eodem lecto per noctem detineant, ne forte dormiendo eos opprimant. Dicitur in cap. *Consuluisti*, 20, caus. II, quæst. V : « Monendi sunt et protestandi parentes « ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligen- « tia qualibet proveniente suffocentur, vel opprimantur; « unde ipsi homicidii rei inveniantur... quia si ille qui con- « ceptum in utero per abortum deleverit, homicida est; « quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, « homicidam se esse excusare nequibit. » Canones non statuunt pœnas quas parentes subire debeant casu quo puerulos sua negligentia suffocaverint; sed declarant eos graviter in eo deliquisse, et agendam esse pœnitentiam. (Cap. *de Infantibus*, 3, DE HIS QUI FILIOS OCCIDERUNT.)

740. — II. Canones non minori severitate eos coercent qui immaturos fœtus intra viscera materna adhuc latentes necant; justissima quidem ratione, cum et ipsi verum homicidium perpetrent.

Canonistæ distinguunt inter fœtum animatum et fœtum inanimatum, ut pœnas canonibus statutas crimini abortus applicent pro diversitate casus. Probabile admodum est animam corpori infundi in ipso conceptionis instanti, quo scilicet incipit illa organorum evolutio quæ vitam supponit,

nullumque proinde existere fœtum vivum qui non sit animatus. Cum tamen de ea quæstione olim inter peritos rerum physicarum disputaretur, S. Pœnitentiaria ut certa regula in praxi daretur pro applicatione sanctionum canonicarum, censuit fœtum animatum censeri 40 die a conceptione si de masculo agitur, 80 autem die si fœtus sit fœmineus; unde concludere est pœnas canonicas non incurri, si crimen abortus patratum fuerit intra 40 dies a conceptione. Discrimen institutum inter fœtum et fœtum parum prodest, cum impossibile videatur sexum distinguere in prima illa formatione.

Ex Constitutione Sixti V *Effrenatam* (anno 1588) et altera Constitutione Gregorii XIV *Sedes Apostolica* (an. 1591), qua prior paulisper moderata fuit, procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem et irregularitatem; clerici qui tale scelus perpetraverint privantur ipso jure privilegiis status clericalis, dignitatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis.

Diximus *procurantes*... scilicet omnes qui deliberate id suadent, aut faciunt, ex quo prævidetur abortum secuturum esse. Nunquam licet procurare directa intentione abortum, nequidem si vita matris in certissimum discrimen mortis adducta censeatur; quia ejusmodi fœtus expulsio natura sua mala est, utpote quæ adversatur legi naturali *non occides*. Medici possunt adhibere remedia quæ directe tendunt ad restituendam sanitatem matris, tametsi prævideant periculum ne exinde fœtus per accidens nocumentum, ipsamque mortem patiatur, quando non alia suppetit via succurrendi matri de vita periclitanti, et aliunde non affulget spes servandi prolem; peccant vero contra jus naturale, et incurrunt pœnas jure canonico statutas, si media assumant quibus directe inficiunt fœtum, illumve collidunt, ut e visceribus matris expellant.

Diximus præterea... *abortum fœtus animati, effectu secuto*. Sixtus V pœnis subjecerat eos qui procurant abortum fœtus

etiam inanimati, et eos insuper qui potiones sterilitatis suppeditant mulieribus ut conceptionem impediant; at Gregorius XIV Constitutionem sui prædecessoris abrogavit, prohibitiones ac pœnas reducendo ad terminos juris communis : porro, jure communi pœnæ non incurruntur nisi procuretur abortus fœtus animati, in sensu supra explicato, quem aperte declarant multi canones. (Cap. *Sicut ex litterarum*, 20, DE HOMICIDIO, lib. V Decret.) Qui explendæ libidinis causa, vel odio, mulieri aliquid facit aut ad potandum dedit, ut non possit concipere, vel nasci soboles, obnoxius erit iisdem pœnis ac homicida, si judex sententiam in eum protulerit. (Cap. *Si aliquis*, 5, eod. tit.)

Excommunicatio major quam incurrunt procurantes abortum non reservatur Sanctæ Sedi : ab ea absolvere queunt Episcopi, et presbyteri quos Ordinarius deputavit cum facultate absolvendi a casibus hujusmodi reservatis. Super autem irregularitate S. Pontifex solus potest dispensare, uti suo loco dicetur.

741. — III. Reliquum est ut sanctiones canonicas contra duellum referamus.

1° Duellum est certamen singulare, ex condicto susceptum et inducens periculum grave mortis aut mutilationis. Non reputantur duella rixæ quæ de repente exsurgunt, si unus ex rixantibus alterum ad dimicandum subito iræ motu provocet et statim pugnent; vel si quis insidias alteri paraverit ut ad pugnam provocet. Nec etiam duella dicuntur contentiones et pugnæ, quocumque modo fiant, quando nullum ex eis imminet periculum mortis, mutilationis, seu vulneris. Quapropter ratio duelli exposcit ut fiat ex condicto, statutis loco et tempore, cum vero periculo mortis aut vulneris.

2° Duellum esse graviter illicitum, jure naturali et ecclesiastico vetitum omnes agnoscere debent; lex enim divina *non occides* non prohibet tantummodo occisionem privata auctoritate perpetratam, sed et periculum proximum occi-

sionis, ut in omnibus aliis mandatis. Ut vero nullum ea de re dubium oriatur, Sancta Apostolica Sedes nonnullas propositiones proscripsit, has præsertim : « I^am Vir militaris, qui nisi « offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, ti- « midus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, « indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel « promotionis, alias sibi debitæ et promeritæ, spe perpetuo « carere deberet, culpa et pœna vacat, sive offerat, sive ac- « ceptet duellum : II^am Excusari possunt etiam, honoris « tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum « acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt « pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam : « III^am Non incurrit pœnas ecclesiasticas contra duellantes « latas, dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi « metu amissionis famæ, vel officii. » Ecclesia Romana has propositiones tamquam *falsas*, *scandalosas*, ac *perniciosas* rejecit, damnavit, et prohibuit, vetito sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et S. Pontifici reservatæ, easdem, aut conjunctim aut divisim docere, defendere, aut edere. (Const. Benedicti XIV, *Detestabilem*, an. 1752.)

3° Benedictus XIV, Constitutione citata, pœnas concilio Tridentino sess. XXV, cap. XIX, statutas, et pluribus decretis pontificiis suorum prædecessorum aggravatas, innovavit et confirmavit. Pœnæ statutæ sunt : excommunicatio major ipso facto incurrenda, omnium bonorum temporalium proscriptio, perpetua infamia, privatio sepulturæ. Pœnas autem memoratas subeunt, præter ipsos duellantes, patrini et socii eorum ad duellum serio provocantes et acceptantes, etiamsi pugna, ob aliquod impedimentum, secuta non fuerit; duellantium adjutores, sive consilium, auxilium, operas, arma scienter administrantes; spectatores ex industria, seu ex composito, qui nimirum ex sua præsentia videntur incitare duellantes ad pugnam. De privatione sepulturæ hæc addidit Benedictus XIV : « Decernimus ac declaramus sepulturæ sacræ

« privationem... incurrendam perpetuo fore, etiam ante sen-
« tentiam judicis, a decedente quoque extra locum conflictus
« ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive pri-
« vatim, indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem
« non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis, et
« censuris, absolutionem obtinuerit. »

Pœnæ Constitutionibus pontificiis statutæ hodiedum vigent, excepta proscriptione bonorum temporalium. Quod vero ad privationem sepulturæ ecclesiasticæ attinet, difficillimum est in praxi urgere severitatem canonum erga illos qui ante decessum signa pœnitentiæ dederunt. Hæc ea de re annotat E. Cardinalis Gousset, arch. Remensis : « Si le duelliste,
« se sentant atteint du coup mortel, réclamait un prêtre, ou
« les secours de la religion, et que ce fait fût attesté par plu-
« sieurs témoins, nous pensons que l'on peut tempérer la ri-
« gueur des canons et accorder au duelliste la sépulture ec-
« clésiastique. Le refus, quoique canonique, n'en serait pas
« compris, parmi nous, dans le cas dont il s'agit. S'il meurt
« à la maison, ou tandis qu'on le porte à la maison, il ne
« peut y avoir de difficulté; il suffirait qu'il ait montré du
« repentir pour pouvoir être inhumé avec les cérémonies de
« l'Église. » (*Théologie morale*, n° 636; éd. de 1858.)

742. — II° *Quid sit crimen falsi, et quibus pœnis mulctetur?*

I. Falsum est dolosa immutatio veritatis facta in alterius præjudicium. Ad *falsum* igitur, prout illud canonistæ intendunt, requiritur ut pervertatur veritas, ut id fiat animo decipiendi, et damnum exinde afferatur aut saltem afferri possit proximo.

Duplex distinguitur falsum : aliud *personale*, quod circa personam committitur; ut mutatio nominis, testium subornatio, corruptio judicis, imputatio delicti calumniosa insimulatione : aliud *reale*, quod circa res vel scripturas committitur; v. g., falsificatio litterarum, terminorum patrimonii mutatio, monetæ adulteratio.

II. Qui odio, ira vel alia indigna causa, innoxios sacerdotes apud judicem ecclesiasticum falso insimulat sollicitationis ad turpia, eos scilicet accusando abusos fuisse sacrilege sacramento Pœnitentiæ ad incitandum pœnitentes ad actus pravos contra castitatem, vel per se impie ita calumniando innocentes confessarios, vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, nefandum flagitium perpetrat cujus absolutionem a nemine præterquam a S. Pontifice, excepto articulo mortis, obtinere potest. Est proinde peccatum istud reservatum S. Pontifici, tametsi non alligatum excommunicationi ut fit communiter quoad alia peccata reservata S. Sedi. (Const. Benedicti XIV, *Sacramentum Pœnitentiæ*, an. 1741, § 3.)

Qui scienter et dolose falsum dicunt in judicio, vel pretio aut donis testes corrumpunt ac subornant ut falsum testimonium afferant coram judice, infames jure canonico declarantur; si sint clerici in majoribus ordinibus constituti, a suis officiis deponi debent. (Cap. *Constituimus*, 9, caus. III, quæst. V; cap. *Si Episcopus*, 7, dist. L.) Ut vero huic pœnæ reus obnoxius sit, requiritur ut de hoc crimine accusatus et convictus sit, vel in jure confessus; requiritur præterea ut falsum dixerit circa substantialia causæ; tandem oportet falsitatem esse alteri nocivam; si enim nemini præjudicet, locus solummodo datur pœnæ extraordinariæ quam pro arbitrio judex irrogabit [1].

Falsificantes litteras apostolicas, qui nimirum rescripta, Bullas, Brevia quæ nomine S. Pontificis expediuntur, falsa conficiunt aut litteris apostolica auctoritate confectis tollunt aliquid, vel immutant quo illarum sensus pervertatur, incidunt ipso facto in excommunicationem majorem Papæ reservatam; si sint clerici, omni officio et beneficio privantur. Qui vero scienter utuntur litteris apostolicis falsificatis, si clerici fuerint, officiis et beneficiis spoliari debent; si laici,

[1] Cf. Schmalzgrueber, in tit. DE CRIMINE FALSI, n^is 17-24.

tamdiu manent excommunicatione innodati donec satisfaciant competenter. (Cap. *Ad falsariorum*, 7, DE CRIMINE FALSI, lib. V Decret.)

Qui pondera, aut probatas mensuras, corrumpunt... qui monetas adulterinas cudunt, aut falsis monetis, ponderibus, vel mensuris utuntur, peccant contra virtutem justitiæ et puniendi sunt pœna arbitraria, pro ratione gravitatis delicti; sed non exstant in Corpore juris canonici sanctiones speciales quibus hæc delicta mulctentur.

743. — III° *Quid sint furtum, rapina, et usura, et quibus pœnis canonicis plectantur?*

Canonistæ disserunt de violatione juris in bona temporalia, de obligationibus quæ ex illa violatione sequuntur, ac de pœnis quibus obnoxii sunt fures, raptores boni alieni, incendiarii, et usurarii; sunt enim plures ea de re canones conciliorum quos Gratianus congessit in causa XIV, et tituli speciales lib. V Decretalium, quibus regulæ super his præfiniuntur, scilicet tit. XVIII DE FURTIS, tit. XIX DE USURIS, et tit. XXXVI DE INJURIIS ET DAMNO ILLATO. Cum vero eædem quæstiones discussæ reperiantur apud theologos in tractatibus *de Justitia* et *Contractibus*, supersedendum duximus commentariis titulorum juris canonici.

Duo tantum modo notabimus : 1° fures qui ob gravitatem delicti condemnati sunt ad pœnam vindicativam, non simpliciter correctoriam, et usurarios notorietate juris affectos, censeri infames; quapropter promoveri non debent ad ordines, etiamsi pœnitentiam egerint; 2° qui convicti sunt furti notabilis, vel usuræ manifestæ, posse jure deponi a beneficiis et officiis. (Cap. *Presbyter*, 12, dist. LXXXI, et cap. *Quoniam*, 8, caus. XIV, quæst. IV.)

744. — Ex sanctionibus canonicis contra violatores virtutis justitiæ concludere est illos alienos esse a sensu catholico qui exprobrant S. Apostolicæ Sedi, quod armis spiritualibus, censuris nempe, utatur in causis temporalibus, ad tuendum

jura sæcularia Ecclesiæ Romanæ. « Agimus quantum epis-
« copalis facultas datur, aiebat S. Augustinus, et humanum
« quidem nonnunquam, sed maxime ac semper divinum
« judicium comminantes. Nolentes autem reddere, quos
« novimus et male abstulisse, et unde reddant habere, ar-
« guimus, increpamus, et detestamur; quosdam clam, quos-
« dam palam, sicut diversitas personarum diversam videtur
« posse recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad
« majorem insaniam concitari. Aliquando etiam, si res magis
« curanda non impedit, sancti altaris communione privamus. »
(Epistola CLIII.) Privabantur igitur communione altaris qui bona aliena usurpaverant, nec paratos se exhibebant ad restituendum : merito quidem, cum hæc delicta quæ directe impetunt jura humana, lædant simul jura divina, sint causa perditionis animarum, et consequenter reputari merito debeant inter res spirituales ad forum jurisdictionis Ecclesiasticæ pertinentes. Hæc cum sint inconcussa, non est ratio in controversiam adducendi legitimitatem pœnarum spiritualium a pluribus conciliis œcumenicis, et recens a S. Pontifice edictarum contra invadentes dominia temporalia Ecclesiæ Romanæ. Si simplex furtum, quatenus est violatio legis naturalis justitiæ, pœnis spiritualibus coerceri potest, cur plectendi non forent iisdem pœnis, qui, subversa omni ratione justitiæ, universali Ecclesiæ injuriam irrogant, impetentes civilem principatum quo Deus Sedem B. Petri instructam esse voluit, ad apostolici ministeri libertatem tuendam? (N° 89.)

§ 4. *Delicta contra castitatem.*

745. — Peccata contra castitatem de quibus statuitur in jure canonico, non sunt peccata interna, nec peccata occulta; sed quæ ex sua natura deduci possunt ad forum externum, nempe fornicatio, adulterium, concubinatus, incestus, sacrilegium et alia graviora delicta contra naturam. Hæc delicta variis pœnis plectuntur in laicis non secus ac in cleri-

cis; sed in statu præsenti societatis delicta laicorum in hac materia non deferuntur ad forum externum ecclesiasticum, nisi agatur de denegandis sacramentis et sepultura christiana peccatoribus publicis, concubinariis et aliis, qui nullum resipiscentiæ signum dederunt ante suum obitum. Quod ad clericos attinet, Ecclesia debuit speciali cura invigilare ut vitam suo sacro ministerio dignam agant, sintque fidelibus in exemplum sanctæ conversationis; ideoque multa decreta tulit pro casibus in quibus, quod absit, clerici violarent legem castitatis. Duo potissimum ea de re inquirenda habemus. I^um^ Quandonam clerici suspendi debeant ordinis et officii exercitio, vel etiam e suo gradu deponi, ob violatas leges castitatis; II^um^ utrum et quatenus priventur, ipso facto, omni jurisdictione quoad personas cum quibus peccaverint.

746. — I° *Quandonam clerici interdici vel etiam deponi e suo gradu debeant ob peccata contra castitatem?*

I. Certum est clericos qui graviter peccaverunt contra castitatem, posse suspendi sacrorum ordinum exercitio quibus se indignos reddiderunt, et suspensionem illam pronuntiari posse, sive sententia judiciaria ordine consueto judiciorum prolata, sive sententia *ex informata conscientia*. Verum, antequam ad alterutram deveniatur, attendi debet simul ad gravitatem delicti et ad rationem scandali; quamvis enim gravissime peccaverint, si non ex contemptu ac prava morum inordinatione, sed ex carnis fragilitate, suborta tentatione, lapsi sint, et peccatum non venerit in notitiam communitatis, superior debet eorum misereri uti pater, potiusquam animadvertere in eos uti judex, et malo remedia afferre discreta et pia sollicitudine.

II. Clerici non debent ob simplicem fornicationem deponi e suo gradu, privari nimirum suo officio et beneficio, nisi id postulet gravitas circumstantiarum et præsertim scandali.

Concilium Lateranense, cap. *Ut clericorum*, 13, DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM, hanc legem indixit : « Statuimus ut

« qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout « magis aut minus peccaverint, puniantur secundum cano- « nicas sanctiones, quas efficacius et districtius præcipimus « observari... Si quis igitur hac de causa suspensus, præ- « sumpserit celebrare divina, non solum ecclesiasticis bene- « ficiis spolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuo « deponatur. » Ex illo canone sequitur clericum in peccato incontinentiæ deprehensum non esse regulariter privandum suo officio, sed mitiori pœna afficiendum; si vero monitis non obtemperet, vel etiam, quod gravius est, sacris ordinibus uti præsumpserit postposita suspensione, superior gravius animadvertet in contumacem, eum privando beneficiis et e suo gradu in perpetuum deponendo. Idem deducimus ex decreto Concilii Tridentini in quo Episcopis præcipitur ut parochos « qui turpiter et scandalose vivunt, postquam præ- « moniti fuerint, coerceant ac castigent; et si adhuc incorri- « gibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, juxta « sacrorum canonum constitutiones... privandi facultatem « habeant. » Sess. XXI, cap. VI. Lege igitur ordinaria clerici non debent privari suis officiis ob simplicem fornicationem, sed alia pœna temporaria et medicinali emendari eos oportet; nec ulterius procedendum, deveniendo scilicet ad depositionem, nisi aut se incorrigibiles ostendant, aut postulet gravitas scandali.

Dixi *nisi postulet gravitas circumstantiarum et præsertim scandali*... Reiffenstuel, memoratis variis textibus juris qui pro ratione temporum modo acerbiorem, modo paulisper temperatam pœnam edicunt, sic ipse concludit : « Cum jura « tam antiqua quam nova non unam eamdemque sed variam « clerico fornicanti assignent pœnam... hoc ipso videntur « relinquere in arbitrio judicis, ut pensatis circumstantiis, « puta, qualitate personæ, gravitate scandali, consuetudine « patriæ, ac hujusmodi, imponat pœnam quandoque deposi- « tionis, quandoque suspensionis, quandoque privationis be-

« neficii : quandoque prius moneat, dum nondum plene « constat de delicto, gravis tamen subest hujus suspicio ; « quandoque sine monitione privet, seu puniat ex quo con- « stat de delicto. » (In tit. DE COHABITATIONE CLERICORUM, etc., n° 50; lib. III, Decret.) Ratio idem suadet; quamvis enim judex debeat inclinare, quantum datur, in partem mitiorem, ratio haberi necessario debet boni publici, dignitatis et honoris status clericalis, scandali fidelium, quæ in certis circumstantiis requirunt ut justa severitate procedat.

III. Concubinatus est circumstantia aggravans propter quam clericus merito deponi potest, ac suis officiis privari, nisi superior, attenta pœnitentia clerici, duxerit misericordius cum eo utendum. Probatur ex multis textibus juris, præsertim ex litteris apostolicis Urbani II, *Erubescant* 11, Dist. XXXII, et Innocentii II, *Decernimus* 2, dist. XXVIII, in quibus statuitur « ut ii qui in ordine subdiaconatus, et supra, uxores « duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque eccle- « siastico beneficio careant. »

Concilium Tridentinum innovavit veteres juris sanctiones contra clericos concubinarios; cum vero sæpius difficile sit probari crimen concubinatus quia clericus potest cohabitare cum muliere suspecta abstinendo a fornicatione, concilium novum decretum edidit vi cujus datur præsumptio juridica concubinatus contra clericum qui post trinam admonitionem, et non obstantibus pœnis quibus ab Episcopo plexus fuerit, perseverat detinere in domo vel extra mulierem suspectam, aut cum ea consuetudinem habere. Potest igitur in tali casu pronuntiari depositio, servatis regulis in eodem decreto præfixis, prout alias exposuimus. (N° 344.)

IV. Adulterium, incestus spiritualis, infandum crimen contra naturam, reddunt clericos qui istiusmodi flagitiis inquinantur, obnoxios depositioni. Sunt textus juris quibus hæc pœna expressis verbis pronuntiatur. De crimine adulterii exstat decretum concilii Aurelianensis, *Si quis*, 10,

dist. 81, quod, jurisprudentia ubique constabilita, transiit in jus commune; de incestu spirituali statuerunt Symmachus et Cœlestinus SS. Pontifices, cap. *Omnes*, 8, et *Si quis sacerdos*, 9, caus. XXX, quæst. 1; de crimine contra naturam, propter quod ira Dei igne incendit quinque civitates, statuit Alexander III in concilio Lateranensi, cap. *Clerici*, 4, DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM, et S. Pius V Const. *Horrendum*, an. 1568, qua indicitur privatio ipso jure et inhabilitas ad adipiscendum nova beneficia, iis qui hocce crimen exercent. Constitutio Pii V non inducit pœnas in ea statutas, nisi contra illos qui pluries hoc crimen perpetraverint[1].

747. — II° *Utrum et quatenus clerici priventur omni jurisdictione in personas cum quibus peccaverint contra castitatem?*

Benedictus XIV ita statuit in Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* : « Quemadmodum a pluribus Episcopis per synodales « suas constitutiones jam factum novimus, omnibus et singu- « lis sacerdotibus..., auctoritate apostolica interdicimus, ne « aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum « in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio « sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem « sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque « inhonesto contra sextum præceptum commisso, excipere « audeat, sublata propterea illi, ipso jure, quacumque aucto- « ritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hu- « jusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio si « quam impertiat, nulla atque irrita omnino sit, tanquam « impertita a sacerdote qui jurisdictione ad valide absolven- « dum necessaria privatus existit. » Confessarius qui contra

[1] Institutores juventutis et ministri cultus qui pudicitiam parvulorum alterutrius sexus minorum undecim annis attentaverint, etiam sine ulla violentia, addicuntur sententia judicis civilis laboribus publicis ad tempus. Pœna fertur in perpetuum, si vim intulerint ad actus nefarios contra pudicitiam minoribus quindecim annorum. (Code pénal, art. 331, 332, 333.)

hujus constitutionis præscriptum, suum complicem absolvere attentat, incidit ipso facto in excommunicationem majorem, Sanctæ Sedi reservatam.

Notare est verba mox allata *in articulo mortis*... deficiente *alio sacerdote*... intelligi non solum de casu in quo nullus reipsa adsit alter sacerdos, sed etiam si alter non possit arcessiri absque gravi infamia vel scandalo, ut ipse Benedictus XIV explicare curavit in alia constitutione *Apostolici muneris*, an. 1745. At simul monuit sacerdotem ejusmodi complicem reum fore coram Deo gravis inobedientiæ adversus prædictam constitutionem, si infamiæ aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat ubi non sunt; imo eum teneri graviter hæc pericula, quantum in se est, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis remediis ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat confessionis audiendæ absque ullius infamia vel scandalo. Quod si idem sacerdos se ingesserit, nulla gravi necessitate impulsus, aut adhibere media congrua ad periculum avertendum de industria neglexerit, atque ita personæ in peccato complicis constitutæ in articulo mortis confessionem excipere et absolutionem impertiri præsumpserit, incurrit excommunicationem S. Pontifici reservatam; « quamvis hujusmodi absolutio, subjungit Benedictus XIV, « valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis disposi- « tiones a Christo Domino ad sacramentum Pœnitentiæ « requisitæ non defuerint. »

Constitutiones pontificiæ auferunt a confessario jurisdictionem relative solummodo ad peccatum contra sextum decalogi præceptum cujus complex fuit; quamobrem idem confessarius potest, jure communi, pœnitentem sui complicem qui hoc peccatum alteri sacerdoti declaravit, a quo et absolutionem obtinuit, iterum postea audire in foro pœnitentiali, quamvis id minime communiter expediat. — Quid jus commune indixerit exposuimus : unusquisque debet insuper servare statuta diœcesis ubi sacro ministerio fungitur.

SECTIO VII[a]

DE PŒNIS CANONICIS.

748. — Catholicis dubium non est quin Ecclesia jure proprio valeat providere animarum saluti, et recto societatis spiritualis regimini, pœnas statuendo in reos delictorum; quos enim minime continet virtutis amor, aut timor divinæ vindictæ, arcere a malo necesse est pœnis propositis. Quæ in sectione de *Judiciis* et de *Delictis* dicta sunt, certo argumento probant Ecclesiam hujusmodi potestatem a temporibus apostolicis exercuisse; simul exinde noscitur quæ sint in specie pœnæ quibus graviora crimina mulctari possunt. Maxime tamen opportunum fore arbitramur ad rationem præsentis instituti nostri, si quæstiones dogmaticas et practicas quæ ad hanc disciplinam referuntur, ex professo explanaverimus. Quadruplex erit articulus : 1[us] de pœnis in genere; 2[us] de censuris; 3[us] de irregularitatibus; 4[us] de privatione beneficii et officii; de depositione et degradatione clericorum.

ARTICULUS I. — DE PŒNIS IN GENERE.

749. — I° *Quid et quotuplex sit pœna jure canonico statuta?*

Pœna, latiori sensu, id omne dicitur quo hominem labore ac molestia afficit, eumque certis bonis privat : strictiori autem sensu, est delictorum coercitio ad rei emendationem, vel ad disciplinæ publicæ satisfactionem. Pœna non irrogatur nisi ratione delicti; quapropter suspensiones *præventivæ* ab exercitio sacrarum functionum, limitationes seu revocationes facultatum quas superior valet moderare pro suo arbitrio, non sunt pœnæ, si proprie loqui velimus.

Pœnæ fori ecclesiastici in diversas species distinguuntur pro ratione finis proximi ad quem referuntur, modi quo statuuntur, modi quo incurruntur, et tandem objecti.

750. — I. *Ratione finis.* Cum diversæ sint conditiones delinquentium, quorum alii sincero dolore correpti, sponte confitentur delictum ad legitimam peccatorum expiationem parati; alii contumaces sunt, corripienti Ecclesiæ interea obsistentes, de quibus tamen est spes quod brevi resipiscant; alii demum pertinaces in malo ac perseverantes sine probabili spe conversionis; sunt idcirco diversæ rationes eorumdem coercendorum. Adversus primos pœnitentiis, adversus alios censuris, adversus postremos pœnis vindicativis, Ecclesia animadvertit. Si tamen, aut horror gravissimorum quorumdam criminum, aut exterior politia, asperiorem disciplinam postulare videtur, Ecclesia admissum crimen non pœnitentia solum, sed et censura, imo pœna vindicativa statim prosequitur, quanquam tunc pro bona pœnitentis voluntate ad absolvendum deinde, vel dispensandum, faciliorem se exhibeat.

Pœnitentia sita est in certis piis operibus a peccatore sponte susceptis, aut ab Ecclesia indictis, in expiationem delicti, puta in jejunio, eleemosyna, oratione, peregrinatione ad loca sancta. — *Censura* est ultio publica qua notatur reus contumax, et certis bonis communibus societatis spiritualis privatur, ut emendari incipiat, culpas fateatur et expiet. — *Pœna in vindictam publicam* est suprema animadversio in

reum de cujus conversione vix spes superest, aut qui convincitur enormis sceleris quod mulctari oportet ut satisfactio detur ordini publico, et homines supplicii timore deterreantur a violatione legum : istius modi sunt depositio et degradatio. Pœnitentia igitur et censura in eo conveniunt quod referantur principaliter ad emendationem, dum pœna simplex refertur ad castigationem rei, et ad satisfactionem debitam Ecclesiæ crimine perpetrato læsæ. Differunt autem omnino ab invicem pœnitentia, censura, et pœna vindicativa, quod alii sint ministri Ecclesiæ qui possunt tantum pœnitentias indicere, non censuras aut pœnas; alii qui possunt censuras irrogare, non pœnam infligere; alii denique qui possunt etiam pœnas inferre. Item differunt in eo quod pœnitentia imposita, aut pœnitentis satisfactione aut judicis indulgentia cesset; censura nonnisi absolutione; et pœna nonnisi dispensatione aboleatur, uti fusius explicare debemus infra[1].

751. — II. *Ratione modi quo statuuntur*, aliæ sunt pœnæ a jure, aliæ ab homine. Pœnæ a *jure* statuuntur lege generali, et subsistunt mortuo legislatore qui eas tulit; est enim conditio legum ut sint perpetuæ : pœnæ ab *homine* irrogantur a superiore qui mandatum transitorium ea de re edicit, aut communitati, aut cuidam individuo : v. g. si Prælatus aliquid capitulo injungit pro tempore præsenti faciendum, sub pœna suspensionis si obtemperare obtrectet; item si clerico aliquid interdixerit, comminata excommunicatione in contumacem, vel eum pœna mulctet ob delictum patratum.

In eo potissimum differunt pœnæ a jure et pœnæ ab homine, quod 1° pœnæ a jure statuuntur pro tempore futuro; leges enim futuris necessitatibus provident; dum pœna ab homine decernitur pro tempore præsenti, aut in castigationem rei pro delictis tempore præterito perpetratis; 2° pœnæ a jure eos omnes afficiunt qui postea obnoxii erunt legislatori, et

[1] Berardi *Commentaria in jus universum*, tom. IV, part. I, dissert. 1.

illius pro tempore successoribus : dum pœnæ ab homine eos solum attingunt qui superioris auctoritati subduntur tempore quo edictæ sunt; 3° amplissima facultas delegata ad absolvendum, vel ad dispensandum, super pœnis canonicis non complectitur pœnas ab homine, nisi superior expresse declaraverit suam intentionem.

752. —III. *Ratione modi quo incurruntur*, pœnæ sunt *latæ*, vel *ferendæ* sententiæ. In priores incidit reus eo ipso quod delictum admiserit; si tamen pœna non sistat in privatione, sed requirat actionem externam ex parte superioris, necesse est ut intercedat sententia declaratoria judicis, uti infra dicemus. Pœnas vero ferendæ sententiæ non patitur, nisi judex tulerit sententiam condemnatoriam, servatis servandis. In hoc autem differunt sententia declaratoria et sententia condemnatoria, quod prior vim suam exserat in præterita, ad usque diem patrati delicti, non item posterior.

Temeritatis merito arguuntur qui improbare præsumunt morem Ecclesiæ in edicendo pœnas *latæ sententiæ;* cum certissimum sit hanc disciplinam a pluribus sæculis invaluisse, imo in primis etiam temporibus fuisse observatam[1]. Verba Domini nostri Jesu Christi *Quæcumque alligaveritis* sunt generalissima; omnem modum coercendi peccatores includunt qui sit æquitati consonus et tendat ad bonum commune. Usus statuendi pœnas latæ sententiæ nullatenus lædit æquitatem naturalem; siquidem hi solum tenentur pœnam expendere qui sibi conscii sunt legem violasse graviter, et si excipias privationem beneficii de qua alias dicemus, non est adeo difficile easdem pœnas subire, abstinendo a bonorum participatione quibus jure privantur, ut illud excedat virtutem communem hominis christiani. Eadem disciplina valde prodest bono communi Ecclesiæ, utpote quæ horrorem criminis animo incutit; efficacius ab eo removet plures qui forte ad

[1] Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. X, cap. I.

malum incitarentur spe delitescendi et aufugiendi vindictam; tandem supplet aliquatenus negligentiam judicis, si quis sit minus sollicitus in inquirendis delinquentibus.

Certum est igitur, ex praxi universali Ecclesiæ et natura jurisdictionis spiritualis, primos pastores posse indicere pœnas ipso facto incurrendas, quemadmodum communitati cui præsunt, ita et individuis qui suæ auctoritati subjiciuntur; et proinde statuta generalia, quæ pro communitate edicunt, nec non particulares ab *homine* inhibitiones quas individuis hocce modo intimant, suum effectum, suspensionem aut excommunicationem, inducere quin debuerit alia monitio canonica præcedere. (Cap. *Reprehensibilis*, 26, DE APPELLATIONIBUS. N° 763.) Opinionem novatorum e secta janseniana qui exprobrare ausi sunt Ecclesiæ usum sententiarum *ipso facto*, his verbis condemnavit Pius VI, in Const. *Auctorem fidei :* « Propositio quæ tradit, necessarium esse juxta leges « naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive « ad suspensionem, præcedere debeat examen personale, « atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim ha- « bere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu — « *falsa*, *temeraria*, *perniciosa*, *Ecclesiæ potestati injuriosa*, « *erronea*. » § 21, 22.

Ut percipiatur an pœna statuta jure, vel ab homine, sit *latæ* aut *ferendæ sententiæ*, dantur certæ regulæ quas canonistæ et theologi explicant. Certum est pœnam esse latæ sententiæ quando legislator in ipsa sua constitutione suam mentem his formulis expressit : *eo ipso*, *ipso facto*, *ipso jure*, et similibus. Idem dicendum erit si adhibuerit verba præteriti, aut præsentis temporis, v. g. quando lex hoc modo statuit : *Si quis... sciat*, *vel noverit se esse excommunicatum... excommunicamus... suspendimus...* sit *excommunicatus*. E converso, verba futuri temporis, et ea quæ indicant actionem judicis, v. g. : *Suspendetur... excommunicabitur... ab ingressu Ecclesiæ interdicatur*, designant pœnam ferendæ sententiæ. Dubium est

quid pronuntiandum quando formula denotat subjunctivum, quin certo appareat an referatur ad actionem judicis, v. g. si dicitur: *Excommunicationi subjaceat... locum suum amittat...* Videtur his formulis generaliter exprimi pœnam ferendæ sententiæ, nisi contextus, interpretatio communis doctorum, aut sensus subsequentibus constitutionibus confirmatus, aliud postulent. Ratio est quod verba hujusmodi indicare possunt reum non vi legis, sed facto judicis pœnis obnoxium fore; et si dubium supersit, benignior interpretatio adhibenda est juxta regulam generalem: *In obscuris minimum est sequendum.*

His notaminibus generalibus de pœnis latæ et ferendæ sententiæ, aliud subnectendum ducimus gravis certe momenti. Etsi quis inciderit in pœnam privationis jurisdictionis, quamdiu delictum manet occultum, actus ab eo initi valent, nec annullantur vi sententiæ declaratoriæ, quæ postea ferretur, quia reus retinuit in foro externo possessionem sui officii cum titulo colorato : porro ab utroque jure, canonico et civili, decretum est valituros actus jurisdictionis quæ sic annectitur officio, quamdiu non intervenit sententia judicis. Item dicendum de potestate conferendi beneficium, vel confirmandi. Generale est principium quod titulus coloratus, cum communi errore, reddat validos actus omnes qui ex tali officio geruntur, quamvis non essent actus jurisdictionis proprie dictæ, ut assistentia matrimonio contrahendo, receptio ad professionem religiosam[1]. (N° 284.)

753. — IV. *Ratione objecti*, pœnæ distinguuntur in ordinarias et extraordinarias seu arbitrarias; in spirituales et temporales.

1° Pœna ordinaria dicitur quam lex aut consuetudo expressit ac determinavit in specie: extraordinaria seu arbitraria, quæ nulla lege nec consuetudine indicitur, sed a judice im-

[1] *Thesaurus de Pœnis*, part. I, cap. VI.

ponitur, juxta ipsius arbitrium et prudentiam, pro qualitate et circumstantiis delicti. Haud semel in jure canonico dicitur reum esse pro arbitrio judicis puniendum.

2° Pœnæ spirituales sunt : privationes sacramentorum, participationis divinorum officiorum, suffragiorum Ecclesiæ, exercitii sacrorum ordinum. Pœnæ temporales sunt : privatio fructuum beneficii, infamia, interdictio nuptiarum, mulctæ pecuniariæ, afflictationes corporales, depositio ab officiis clericalibus et degradatio.

Ex dictis in sectione præcedenti, et dicendis infra, certo constat plures statutas esse pœnas, non solum spirituales, sed insuper temporales quales memoramus, et quas reus tenetur in conscientia subire, etiamsi nulla coercitione exteriori adigatur.

Nulla ea de re movetur controversia apud catholicos ; quis enim inficias ierit quin Ecclesia possit peccatores arcere a sua communione externa, operibus pœnitentiæ addicere, condemnare ad eleemosynas, ad peregrinationes; aliasve hujusmodi pœnas, tum ad delicti expiationem, tum ad scandali reparationem, ab eis repetere ? Noti sunt gradus diversi pœnitentiæ publicæ quos vel a primis sæculis sanctissimi præsules observari curaverunt, et de quibus agit sanctus Gregorius Thaumaturgus in Epistola sua canonica. Neminem etiam fugit huic pœnitentiæ adjuncta fuisse gravissima onera, et in primis matrimonii quoad thorum perpetuam separationem, et mortuo conjuge interdictionem ne pœnitens altero matrimonio jungeretur... cessationem a militia sæculari, a forensibus causis, et aliis negotiis officiorum sæcularium. Hæc veteribus regulis Patrum interdicta testati sunt Summi Pontifices a quarto et quinto sæculo, nempe S. Siricius ad Himerium Tarraconensem, an. 385, S. Leo, Epist. ad Rusticum, an. 450. « Contrarium est omnino ecclesiasticis regu-« lis, aiebat Leo, post pœnitentiæ actionem redire ad mili-« tiam sæcularem... unde non est liber a laqueis diaboli qui

« se militia mundana voluerit implicare. » Ad illam autem pœnitentiam publicam agendam, peccatores adigebantur excommunicatione, et omnimoda expulsione ab Ecclesia, quando Episcopi opportunum arbitrabantur pro conditione delinquentium et gravitate peccati publici[1].

754. — II° *Utrum, et quonam jure Ecclesia indixerit delinquentes vi externa coerceri, pœnis temporalibus et corporalibus?*

Quæstio quam aggredimur otiosa quidem videtur si ad praxim attenderimus, cum Ecclesia nullas jam imponat hujusmodi pœnas quas rei vel inviti subeant, quales sunt, v. g., conjectio in carcerem, bonorum temporalium confiscatio. Perutile est tamen illam accurate perpendere ad intelligentiam veteris disciplinæ, atque ut Ecclesia vindicetur ab objectionibus hominum ei obtrectantium.

I. Prima pars quæstionis propositæ non adducitur in controversiam, cum omnibus notum sit Ecclesiam usam fuisse per multa sæcula pœnis temporalibus ad coercitionem delinquentium. A sæculo IV° in quo, teste sancto Augustino, coercitio verberibus solebat ab Episcopis adhiberi in judiciis[2], ad postrema tempora in quibus Episcopi plerumque habuere, pro more gentium, jus prehensionis, carceris et mulctæ, in usu fuerunt sanctiones pœnales. Judices ecclesiastici, aut ipsimet pœnas temporales irrogabant, aut auxilium brachii sæcularis invocabant ut contumaces mulctarentur. Ipsamet concilia œcumenica pluries decreta ediderunt quibus gravissimas pœnas, pro ratione calamitatis temporum, statuerunt, cujus unum aut alterum exemplum afferre sufficiat. Sæculo XIII°, cum grassaretur detestanda sævitia sicariorum,

[1] Cf. Morin, lib. *Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti Pœnitentiæ observata*, lib. V, cap. XVIII-XXV; lib. VII, cap. IV-V. — *Pouvoir du Pape au moyen âge*, II° part. chap. I, art. 3, § 1. *Effets temporels de la pénitence publique.*

[2] Epist. ad Marcellinum CXXXIII, alias CLIX.

adeo ut, teste Innocentio IV, « nonnulli magnates coacti fue-
« rint securitatem ab assassinorum domino impetrare, sicque
« ab eo, non absque christianæ dignitatis opprobrio, redimere
« quodammodo vitam suam ; » idem Innocentius Papa de-
cretum tulit, sacro approbante concilio Lugdunense, quo
statuit « ut quicumque princeps, prælatus, seu quævis alia
« ecclesiastica, sæcularisve persona, quempiam christiano-
« rum per dictos assassinos interfici fecerit... excommuni-
« cationis et depositionis a dignitate, honore, ordine, officio
« et beneficio, sententias incurrat ipso facto... Sit etiam cum
« suis bonis mundanis omnibus, tanquam christianæ religio-
« nis æmulus, a toto christiano populo diffidatus. » (Cap. *Pro humani*, 1, DE HOMICIDIO, in VI.) Sæculo XVI°, concilium Tridentinum immanem insaniam duelli cohibere conatum est decreto, quo statuit duellantes mulctandos esse proscriptione omnium bonorum suorum. (Sess. XXV, cap. XIX.)

Edixit præterea quoad causas civiles ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, judicem « contra quoscum-
« que etiam laicos, per mulctas pecuniarias quæ locis piis
« assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque
« districtionem per suos proprios aut alienos exsecutores
« faciendam, aliaque juris remedia, procedere. » (Sess. XXV, cap. III.) Ecclesia pœnam ultimam nunquam indixit; verum approbavit, tacito saltem consensu, ordinationes civiles principum quibus hæretici pervicaces et obdurati pœna capitis plectebantur; unde Leo X hanc propositionem Lutheri : *Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus*, una cum cæteris aliis articulis proscripsit Const. *Exurge, Domine*, anno 1520.

Hæc, cum sint omnibus notissima, non fusius evolvemus : sed, concludimus Ecclesiam potuisse quasdam pœnas temporales indicere, et recurrere ad principem sæcularem, quando sanctiones ab ea editæ et pœnæ in suo foro irrogatæ non sufficiebant ut contumacia delinquentium coerceretur. Cum enim Ecclesia universalis usa sit per plura sæcula po-

testate statuendi quasdam pœnas temporales, et recursum habuerit ad magistratus sæculares, ut graviores adhuc, quando opus fuerit, penderentur, quin ita fieri potuerit dubitare nefas est; nisi dicatur Ecclesiam universalem errasse in rebus moralibus ad justitiam pertinentibus et tyrannice usurpasse potestatem alienam.

II. Dum omnes catholici in agnoscendo legitimitatem hujus disciplinæ consentiunt, eam non eodem modo explicant. Plures tenuerunt Ecclesiam non jure proprio has pœnas indixisse, sed consensu expresso aut tacito principum, adeo ut utraque auctoritas suas partes habuerit in illa disciplina constituenda. Illorum sententiam ita summatim exposuit Em. Card. Gousset in sua *Theologia dogmatica* : « L'Église « peut, de droit divin, décerner des peines spirituelles, même « hors du sacrement de Pénitence; elle a reçu le pouvoir « non-seulement de diriger par des conseils et par la persua- « sion, mais encore de commander par des lois, et de forcer « à observer ses lois par un jugement extérieur et des peines « salutaires. Ainsi, la puissance de l'Église est une puissance « coercitive, un pouvoir de coaction dans l'ordre moral. La « confiscation des biens, l'exhérédation, les peines afflictives « et corporelles, ne sont point de la compétence de l'Église. « Une loi de l'Église ne peut infliger une peine de cette nature « qu'avec le concours de la puissance temporelle. » (*Théologie dogmatique*, éd. an. 1857, tom. Ier, nº 1109[1].) Alii propugnant Ecclesiam jure proprio posse punire hæreticos pœna mortis, a fortiori aliis suppliciis; quæ potestas est juxta illos in magistratu ecclesiastico et præsertim in Summo Pontifice principaliter et eminenti quodam modo, in regibus autem et

[1] P. Lacordaire, e familia Dominicanorum, eodem sensu orationem habuit Parisiis in Ecclesia metropolitana. « La puissance coërcitive de l'Église... « se réduit au droit d'imposer des pénitences dans le for intérieur, et au « droit d'excommunier dans le for extérieur. » *Conférences de Notre-Dame de Paris*, tom. I, conf. VII, *de la Puissance coërcitive de l'Église*.

eorum ministris proxime et cum subordinatione ad spiritualem potestatem. (Suarez, *de Fide*, disp. xx, et disp. xxii. Pirhing, in tit. de Hæreticis, nº 92.) Alii demum mediam veluti viam ineunt, Ecclesiæ concedendo potestatem coercendi pœnis corporalibus moderatis, non vero pœna capitis. « Sequimur, « ait Card. Soglia, eorum judicium qui corporalem gladium « ab Ecclesia removent, quo vel corpus perimitur aut san- « guis funditur; sed mitiores pœnas licet temporales, et « corporis afflictivas, veluti detrusionem in monasterium, « carceres, verberationes, aliasque id genus citra sanguinis « effusionem, infligere jure suo Ecclesia potest. » (*Instit.* « *juris publici*, lib. I, cap. I, § 8.)

755. — Quæstio est valde complexa, et debet sub multiplici respectu considerari, ut rite solvatur.

I. Jure divino Ecclesia habet potestatem coercitivam in foro externo. Joannes XXII definivit, in sua Const. *Licet juxta doctrinam* (nº 647), potestatem coactivam peccatorem excludendi a sacramentorum participatione et a communione fidelium, quam vocat *Coactionem corporalem*, esse a Christo Ecclesiæ permissam. Pontifex utitur argumentis, in eadem Constitutione, ad constabiliendam doctrinam, ex quibus sequi videretur Ecclesiam habere jus infligendi pœnas etiam corporales; nihil tamen ea de re pronuntiat.

II. Constituto Ecclesiam hac potestate coercitiva in foro exteriori donatam esse divina ordinatione, concludendum videtur Ecclesiam indicere posse jure proprio quasdam pœnas temporales, quæ non excedant moderamen regiminis ecclesiastici. Potest utique providere coercitioni delinquentium et ordini externo, adhibitis mediis quæ apta sunt ad finem intentum, quæ consentiunt naturæ atque indoli societatis spiritualis, et quorum usus non derogat juribus principis sæcularis. Atqui 1° dubium non est quin pœnæ temporales valde aliquando prosint emendationi peccatorum. « Cum terror utilis doctrinæ « salutari adjungitur, ait S. Augustinus, ut non solum tene-

« bras erroris lux veritatis expellat, verum etiam malæ con-
« suetudinis vincula vis timoris abrumpat, de multorum salute
« lætamur, benedicentium nobiscum et gratias agentium
« Deo... Mea primitus sententia erat neminem ad unitatem
« Christi esse cogendum; verbo esse agendum, disputatione
« pugnandum, ratione vincendum; ne fictos catholicos habe-
« remus quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio
« mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium su-
« perabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas
« mea quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem ca-
« tholicam timore legum imperialium conversa est... Quam
« multos non veritas, sed obduratæ consuetudinis grave vin-
« culum colligabat, ut in eis compleretur divina illa senten-
« tia : *Verbis non emendabitur servus durus; si enim et*
« *intellexerit, non obediet!* » (*Epistola* XCIII ad Vincentium, nis 3 et 17 [1].) Est igitur correctio pœnis temporalibus medium sua natura aptum, si superior eo temperate utatur, ad procurandum emendationem delinquentis. *Virga et correptio tribuit sapientiam.* (*Proverbiorum* cap. XXIX, 15.) 2° Hæc aliunde ratio agendi non dissentit a natura nec ab indole societatis spiritualis. Quamvis enim hujusmodi societas sensu pietatis, persuasione et paterno affectu regatur, potius quam severitate legum et coercitionum asperitate, possunt tamen qui illam regunt uti salubri rigore ad frangendam contumaciam, ad reparandum scandala, ad præcavendum denique hominum fragilium ruinam spiritualem, quando media communia non sufficiunt; unde S. Paulus ad Corinthios scribebat : *Vultis in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis* (I ad Corinth. IV, 21). Sic pater filios corripit, et pastor oves errantes virga reducit ad ovile. 3° Demum coercitio pœnis temporalibus temperatis, non magis derogat juribus Principis sæcularis quam si fieret in familia privata; et

[1] Cf. Epistolam ad Bonifacium CLXXXV, seu *Lib. de correctione Donatistarum*, nis 19-35. — Librum III *contra Cresconium*, nis 55, 56.

potest adhiberi absque ullo offendiculo ex illa parte, si id ferant mores communes regionis, uti olim contigit quando ipsi principes sæculares juvabant exercitium justitiæ clericalis, nedum illi obstarent.

III. Ecclesia pœnas corporales extremas nunquam ipsa intulit, nec inferre potest; siquidem « gladium non habet nisi « spiritualem; non occidit sed vivificat, » ait S. Nicolaus I, in cap. *Inter hæc*, 6, causæ XXXIII, quæst. II. Cœlestinus III scripsit de quodam clerico qui pro suis criminibus depositus fuerat : « Si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari « debet, deinde, contumacia crescente, anathematis mu- « crone feriri; postmodum vero, si in profundum malorum « veniens contempserit, *cum Ecclesia non habeat ultra quid* « *faciat*, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per sæcu- « larem comprimendus est potestatem, ita quod ei depute- « tur exilium, vel alia pœna legitima inferatur. » (Cap. *Cum non ab homine*, 10, DE JUDICIIS, lib. II Decret.) Concilium Constantiense, prolata sententia depositionis et degradationis in Joannem Hus, hæc eodem sensu addidit : « Sancta synodus « Joannem Hus, attento quod Ecclesia Dei non habeat ultra « quid agere valeat, judicio sæculari relinquere, et ipsum « curiæ sæculari relinquendum fore, decernit. » (Sess. XV.)

Quousque vero in pœnis correctivis de quibus modo dicebamus, Ecclesia procedere valeat jure proprio, definire difficillimum esset, quia nihil ea de re nec decisum fuit ab ipsa Ecclesia, nec ratio sola certum demonstrat, nec praxis præteritorum sæculorum sufficienter explicat, cum plerumque non per seipsam solam, sed cum principum sæcularium concursu, de his aliquid statuerit. Cæterum hæc certis limitibus determinare nullatenus necessarium est ad finem intentum. Sufficit ut asseramus cum omnibus catholicis Ecclesiam, quando ea est enormitas criminis ut ecclesiasticæ coercitionis modum superet, et ubi mores regionum non sinunt ut per semetipsam statuat pœnas corporales etiam temperatas, posse

recurrere ad magistratum sæcularem ut reus pœnis condignis afficiatur, si tamen constitutio politica gentis admittat hujusmodi concursum judicis civilis cum judice ecclesiastico.

Quod Ecclesia opportunum judicaverit recursum habere ad potestatem sæcularem, res indubia est. Lucius III indixit ut comites et consules civitatum spondeant, præstito juramento, se fideliter et efficaciter Ecclesiam juvaturos contra hæreticos *juxta officium et posse suum*. Alius summus Pontifex, Innocentius III, idem præcepit Principibus sæcularibus, quos ad id exsequendum compelli voluit censuris ecclesiasticis, « ut temporalis saltem pœna corripiat, quem spi- « ritualis non corrigit disciplina. Cum enim reis læsæ ma- « jestatis punitis capite, bona confiscentur eorum... quanto « magis, qui aberrantes in fide Domini Dei Filium offendunt, « a capite nostro quod est Christus ecclesiastica debent di- « strictione præcidi, et bonis temporalibus spoliari; cum « longe sit gravius æternam quam temporalem lædere maje- « statem. » (Cap. *Ad abolendam*, 9, *Vergentis*, 10, DE HÆRETICIS.) Eadem ratione Ecclesia sæpius invocavit auxilium brachii sæcularis in sui et sacræ disciplinæ tuitionem, quando necessarium existimavit, et id fieri potuit attentis temporum adjunctis.

Non minus certum est mores publicos, et politicas populorum constitutiones huic rerum ordini consensisse in commune bonum utriusque societatis. Recursus ille ad magistratum sæcularem, auxiliumque ab eo præstandum supponit utramque societatem spiritualem et temporalem arctissimo fœdere conjungi, prout reipsa connexæ, sibique mutuo consentientes erant temporibus actis. Qui non attenderit ad principia et mores quibus ætate præterita populi regebantur, sed ex præsenti statu pensat mutuas relationes Ecclesiæ et societatis civilis, atque de disciplina his temporibus vigente judicare præsumit, non potest quin graviter erret. Non advertit « aliud fuisse tunc tempus, et omnia suis temporibus agi, » ait S. Augustinus, Epist. ad Bonifacium, n° 19. Populi

christiani a sæculo fere quinto ad decimum sextum nihil antiquius habuere religione christiana; eo usque intimis sensibus persuasum ipsis fuit felicitatem temporalem societatis, non secus ac felicitatem æternam individuorum, in fide catholica sitam esse, ut decertarent pro integritate fidei et sancta auctoritate Ecclesiæ, eodem studio quo nunc populi se devovent pro tuenda integritate sui territorii, et sua libertate, ab exterorum dominatu. Non mirum igitur quod olim contemptus disciplinæ catholicæ et hæresis, habita fuerint crimina quæ simul societati civili et spirituali gravissimum vulnus inferrent, et utriusque auctoritate coercenda essent. Hoc autem posito, manifestum est Ecclesiam ea ætate potuisse statuere pœnas temporales in peccatores contumaces, et injungere magistratibus ut easdem pœnas exsequi curarent, utendo in hunc finem jure quod et mores publici, et constitutio politica suæ gentis, ipsis conferebant.

His principiis e jure divino, naturali, et civili admissis, non adeo difficile est enodare difficultates quas sæpius hostes Ecclesiæ objecerunt contra veterem disciplinam... Cæterum, tantum est discrimen inter præteritam et præsentem constitutionem politicam populorum, ex quo unitas fidei in societate non subsistit et hæretici iisdem juribus politicis potiuntur cum catholicis, ut nemo excogitet veterem disciplinam innovari posse, nec illud ullatenus intendit Ecclesia (n^is^ 68, 312).

Concludamus tandem Christum omnibus necessitatibus temporum sapientissime providisse conferendo Ecclesiæ amplissimam potestatem, ac simul assidua assistentia Spiritus sancti eam moderando, ut jura, in ædificationem data, accommodare studeat sæculorum et regionum conditioni.

756. — III° *Quis possit pœnas ecclesiasticas statuere?*

Solus legislator potest pœnas statuto edicere: ut autem quis pœnas jure constitutas reo irrogare valeat, requiritur et sufficit ut potiatur jurisdictione in foro externo, et in sibi subditos eam exserat.

1° Necessitas jurisdictionis in foro externo sequitur ex ipsa natura pœnarum canonicarum, quæ, si excipias pœnitentias in sacro tribunali a confessario impositas, referuntur ad forum externum. Si ageretur de pœnitentia publica, nemini liceret præter Episcopos aut episcopalem jurisdictionem habentes, eam indicere; quia hujusmodi satisfactionis publicæ rigor non forum sacramentale tantummodo respicit, sed etiam externam quamdam Ecclesiæ politiam, et idcirco ab eorum arbitrio pendet qui jurisdictionem exercent in foro externo. « Hinc regula est, ait Berardi, Prælatos, etiam sa-« cerdotio non insignitos, posse hanc pœnitentiam indicere, « eodem modo quo possunt censuras inferre. » (*Comm. in jus eccles. univ.*, tom. IV, part. II, dissert. II, cap. III.)

Hinc Episcopus solus in diœcesi, et qui ab eo delegantur, possunt pœnas imponere: parochus id juris non habet, quia nudum ministerium vi sui tituli recepit, non jurisdictionem fori externi.

2° Requiritur insuper ut judex, sive ordinarius sive delegatus, sit in proprio territorio, quando pœna irroganda est in foro contentioso. « Sacris canonibus est generaliter inter-« dictum ne quis Episcopus jurisdictionem exerceat in diœ-« cesi aliena. » (Cap. *Quamvis*, DE FORO COMPETENTI, Clement.) Hinc axioma : *Extra territorium jus dicenti non paretur impune.*

Excipiendi sunt duo casus a regula generali : 1^us^ si Ordinarius loci consentiat ut Episcopus exerceat jurisdictionem contentiosam, et ipsæ partes etiam assentiantur; nam invitæ cogi non debent e suo territorio egredi causa litis. 2^us^ quando Prælatus expulsus est injuste e sua diœcesi : ipsi fas est commorari in locis conterminis, et, petita prius, quamvis etiam non obtenta, Ordinarii loci licentia, erigere sibi tribunal et subditos suos quorum malitia expulsus fuerit, eorumque consiliarios et fautores censuris plectere.

Potest etiam, e loco ubi moram traxerit, jurisdictionem in

alios suos subditos exercere, quando non potest, nec per se nec per substitutos in propria diœcesi, ea tamen conditione « quod subditi ultra duas diætas a fine suæ diœce- « sis non trahantur, » id est ultra bidui spatium. (Cap. *Quamvis.*)

Diximus de casu quo *pœna irroganda est in foro externo;* nulla est enim difficultas quando agitur de pœnis ferendis per modum statuti, vel præcepti particularis. Omnes consentiunt Episcopum posse uti sua jurisdictione voluntaria ubicumque degat; quia nihil in eo agit quod officiat juribus Ordinarii locorum.

757. — IV° *Quinam possint plecti pœnis canonicis?*

I. Perspicuum est requiri ut reus sit doli capax, cum nemo pœnam subire debeat nisi delictum admiserit: sed inquiritur de pueris qui, etsi usu rationis præditi, ætatem pubertatis non attigerunt, scilicet annum duodecimum, aut decimum, quartum prout de fœminis vel de viris agitur; de quo disserunt canonistæ in commentariis tituli DE DELICTIS PUERORUM, lib. V Decretalium.

Impuberes subjiciuntur pœnis quas jus commune edixit ipso facto incurrendas, nisi in lege excipiantur. Id deducimus ex capite *Pueris*, 60, DE SENTENTIA EXCOMM., in quo statuitur : « Pueris qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, « sive ante sive post pubertatem, si postulent se absolvi, « potest Episcopus diœcesanus absolutionis beneficium im- « pertiri, cum propter defectum ætatis, in qua fuit commis- « sus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus. » Ex illo textu sequitur 1° pueros impuberes obnoxios esse pœnis jure latis, alioquin non daretur eis absolutio; 2° absolutionem non reservari S. Pontifici.

Impuberes non subjiciuntur, ex usu communi, pœnis per sententiam ferendis, nec decet eos his pœnis mulctari. Hujusmodi pœnæ non irrogantur nisi præmissis monitionibus ut locus detur reo se defendendi: porro non convenit ætati im-

puberum ut se sistant coram judice, causa defensionis. Aliunde « in pueris relinqui solet inultum quod in aliis pro- « vectioris ætatis, humanæ leges dicunt severius esse punien- « dum. » (Cap. *Referente*, 2, DE DELICTIS PUERORUM.) Hæc non certo probant pueros, præsertim pubertati proximos, non posse pœnis plecti, sed suadent ut judex abstineat a severioribus pœnis in impuberum coercitionem. « Non invenio, ait « Suarez, jus quo reddatur nulla sententia censuræ latæ « contra impuberem, et ideo si alioquin intercedat vera con- « tumacia et reliqua necessaria ad valorem censuræ, ex hac « parte non censeo esse nullam. » (*De Censuris*, disput. v, sect. 1, n° 19.)

II. Ut quis incurrat pœnas latæ sententiæ, requiritur et sufficit ut quando delinquit, sit in territorio ubi viget lex pœnas inducens. Jura duas ea de re regulas statuunt, quarum una communis est singulis fidelibus laicis et clericis, altera ad Episcopos et cæteros Prælatos refertur. Regula generalis hæc est : « Statuto Episcopi quo in omnes qui furtum « commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, « subditi ejus furtum extra ipsius diœcesim committentes, « minime ligari noscuntur; *cum extra territorium jus di-* « *centi non pareatur impune.* » (Cap. *Ut animarum*, 2, DE CONSTITUTIONIBUS, in VI°.)

Altera regula quam Innocentius IV edixit in concilio Lugdunensi, ad consulendum honori ordinis episcopalis, statuit « ut Episcopi, et alii superiores Prælati, nullius constitutionis « occasione, sententiæ, seu mandati, interdicti vel suspen- « sionis incurrant sententiam ullatenus ipso jure, nisi in « ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur. » (Cap. *Quia periculum*, 4, DE SENT. EXCOMM., in VI°.)

Notare est, ut ab illa regula secunda exordiamur, Innocentium IV statuisse in citato capite de interdicto et suspensione solum, non de excommunicatione, nec de aliis pœnis; quocirca Episcopi incurrunt has pœnas, si delicta quibus

connexæ sunt patraverint, tametsi de illis nulla mentio fiat, dum non incidunt in interdictum, nec in suspensionem, nisi de ipsis expressa mentio habeatur in lege. Ratio discriminis est, quod pauciores sint casus in quibus incurritur excommunicatio, et hujusmodi casus gravia delicta supponunt quæ summopere præcavere debent, et a quibus procul abesse merito præsumuntur Prælati superiores; plures autem sunt casus suspensionis, et timendum erat ne illorum occasione Prælati tenerentur omittere *exsecutionem pontificalis officii*, uti dicitur in cap. *Quia periculum.*

Quoad regulam generalem, in cap. *Ut animarum* indicatam, dicendum est eam de quibusvis statutis pœnalibus, seu realibus seu personalibus, intelligi, adeo ut sensus sit neminem obnoxium fore pœnis in sua etiam diœcesi statuto edictis, si delictum commiserit extra territorium legislatoris qui easdem pœnas constituit. Episcopus, quatenus legislator, suam potestatem exserit in bonum communitatis, id est, diœcesis cui præest: porro delicta extra territorium perpetrata non afficiunt disciplinam, nec regimen diœcesis.

III. Utrum idem dicendum sit de præcepto quod Episcopus suis diœcesanis injunxerit, sub pœna ipso facto incurrenda, si illud extra diœcesim transgrediantur, disputant canonistæ. Plures affirmant et suam opinionem probant ex textu allato et ratione. 1° Dicitur in cap. *Ut animarum*, diœcesanos non ligari censuris pro sua diœcesi latis quando in extera provincia statutum violant, quia *extra territorium jus dicenti non paretur impune;* atqui, sive Episcopus statutum ferat, aut præceptum injungat, aut sententiam contra eum qui extra diœcesim existit, ibique peccat, jus dicit extra territorium; ergo... 2° Præceptum, non secus ac statutum, non potest latius patere quam auctoritas Ordinarii a qua utrumque procedit; atqui auctoritas Episcopi limitatur territorio et non attingit actiones quæ, utpote factæ extra diœcesim, neutiquam ad illius regimen spectant. Alii doctores communius

dicunt Episcopum posse hujusmodi pœnas injungere, quod ex principio generali deducunt, scilicet : Episcopus, quatenus Ordinarius loci, habet jurisdictionem immediatam in omnes qui ratione domicilii ad suam diœcesim pertinent, tametsi actu degant extra territorium, domicilio non commutato : at vero si suam jurisdictionem servet, non est cur non valeat præcepta eisdem injungere, pœna indicta in transgressores quocumque in loco peccaverint. « Ratio discriminis « est, ait Benedictus XIV, quia lex, seu statutum, per se et « immediate afficit territorium, seu diœcesim, eique quasi « cohæret, ac proinde non potest obstringere eum qui extra « diœcesim moratur ; dum præceptum afficit immediate per- « sonam ejusque ossibus hæret, quocumque terrarum disces- « serit. » (*De Synodo*, lib. XIII, cap. IV, n° 9[1].) Insuper valde refert ad honorem cleri diœcesani, et disciplinæ observantiam, ut Episcopus valeat aliquando suis clericis ex diœcesi ad tempus discedentibus, præcipere ne, v. g., talem vestitum induere, spectaculis interesse, in ludis vetitis partem habere, præsumant, ubicumque locorum devenerint. Ad caput objectum juris respondent in eo agi solummodo de statuto generali, non de præcepto. Hæc sententia nobis videtur probabilior. Quod si forte eadem censura lata fuerit ab ordinario loci in quo clericus deliquit, non propterea bis in idem punietur reus, sed locus esset præventioni inter judices, quemadmodum explicatum fuit in sectione de *Judiciis*. (N° 657.)

IV. Ex dictis sequitur extraneos incurrere in pœnas jure diœcesano latas, si in diœcesi delinquant : ne tamen hæc assertio nimium extendatur, distinctio adhibenda est inter leges prohibitivas et leges præcipientes. Omnes canonistæ admittunt extraneos obnoxios esse legibus prohibitivis, si, v. g., Episcopus prohibuerit sub pœna suspensionis, ipso

[1] Cf. Collet, *de Censuris*, I[a] part., III cap., III art. — Billuart, dissert. I, art. III. — Suarez, *de Censuris*, Disput. V, sect. V; item, *de Legibus*, d. III, cap. XXXII. — Pirhing, in tit. DE CONSTITUTIONIBUS, n[is] 55-59.

facto incurrendæ, ne quivis sacerdos sacrum peragat absque veste talari, vel ne extraneus sacrum peragat non exhibitis litteris testimonialibus, obtentaque licentia, presbyter extraneus qui hujusmodi statutum, sibi notum, infringere præsumit, censura ligatur. Leges vero præceptivas, quæ nempe actionem injungunt, extraneus non tenetur observare, nisi commoretur per tempus sufficiens ut possit commode rem præceptam agere; quod moraliter sumitur eo moderamine ut non coangustetur libertas extraneorum, plusquam exposcit ratio boni publici.

V. Pœnas ferendæ sententiæ nemo subit nisi subjaceat, ratione domicilii, delicti, rei sitæ aut contractus, judici a quo sententia fertur, uti exposuimus in sectione DE JUDICIIS. (Nis 657 et seq.)

758. — V° *Quale esse oporteat delictum ut judex irroget reo pœnas canonicas?*

Requiritur delictum externum, grave pro ratione pœnæ irrogandæ, et consummatum.

I. Delictum *externum*. Ecclesia non exserit potestatem legislativam in actus mere internos, juxta communiorem doctorum opinionem; multo igitur minus suam potestatem coercitivam quæ ad regimen externum societatis ordinatur. Ecclesia nihilominus potest punire actum externum, alioquin malum, quatenus procedentem ex pravo affectu. Id deducimus ex pluribus sanctionibus canonicis, quibus pœna statuitur in eos qui *scienter*, aut *temere*, vel ex *præsumptione*, egerint; sensus enim et effectus hujusmodi legum est reum pœnas incurrere vel non, prout ex temeritate seu præsumptione, aut ex ignorantia simplici, licet culpabili, rem vetitam fecerunt.

« Ratio est, ait Suarez, quia in tali actu exteriori, libere « facto, est sufficiens ratio prohibitionis et pœnæ. Quod ergo « Ecclesia limitet suam peculiarem prohibitionem et censu- « ram ad illum actum, ut manantem a tali actione, vel dis-

« positione interna, non est rigor sed potius benignitas Ec-
« clesiæ, et quidam limitatus usus suæ potestatis; ergo nihil
« est cur hoc sit extra potestatem Ecclesiæ, cum simpliciter
« et sine limitatione possit talem actum, vel omissionem ex-
« ternam, utpote iniquam, prohibere etiam sub censura. »
(*De Censuris*, disput. VI, sect. II, n° 22.) Non obstat quod intentio illa, affectus pravus, seu præsumptio, non probetur in foro exteriori; nam pœna talis esse potest ut reus eam subeat in conscientia, ex vi legis, licet nulla intercesserit sententia judicialis.

II. Delictum *grave*. Dictat lex naturalis servandam esse proportionem inter pœnam et delictum, adeo ut legislator valeat quidem temperare mansuetudine coercitionem pœnam mitiorem indicendo, non vero aggravare conditionem rei. « Quod si, omnium doctorum consensu, ait Benedictus XIV,
« grave et enorme crimen requiritur ad irrogandam censu-
« ram, etiam quam vocant comminatoriam et ferendæ sen-
« tentiæ, multo sane gravius et execrabilius esse oportet
« delictum ob quod infligatur censura latæ sententiæ. » (*De Synodo*, lib. X, cap. I, n° 5.)

Idem de cæteris pœnis dicemus. Omnes pœnæ sacris canonibus constitutæ, excepta forte excommunicatione minore, graves sunt; ergo necesse est ut reus grave peccatum perpetraverit.

III. Delictum *consummatum*. In pœnalibus leges sunt strictæ interpretationis; quapropter lex quæ delictum vetat, indicta sanctione pœnali, eos non attingit qui tentaverunt crimen perpetrare, opere non consummato, nec illos qui consilio, aliove modo, moraliter participaverint, si lex statuerit solum de criminis auctore, non vero de participantibus moraliter. Considerare igitur oportet textum legis, jurisprudentiam in curiis ecclesiasticis receptam, communemque doctrinam interpretum.

759. — Utrum præter conditiones expositas requiratur in-

super ut reus cognoverit legem canonicam et pœnam qua lex sancita erat, non convenit apud canonistas.

Sæpe contingit actum duplici lege interdici, divina et humana, et legem humanam penitus ignorari, cum lex divina sufficienter cognoscitur : eo autem in casu quæstio est an delinquens incurrat pœnam a lege canonica inductam. Plures doctores gravissimi nominis affirmant, eam ob rationem quod legislator humanus non solum intendit punire transgressionem suæ legis, sed potius culpam contra legem divinam commissam; unde cum ex hypothesi reus hanc legem divinam voluntarie transgressus sit, non est cur non subeat pœnam. Ita Suarez in tract. *de Legibus*, lib. V, cap. XII, n° 7; et alii theologi. Cæteri theologi negant, et hanc opinionem communissimam esse dicit S. Alphonsus de Liguori, lib. VII, n° 350. Ratio est juxta illos quod superior, dum pœnam imponit super crimine a lege divina vetito, novum jus condit; qui autem peccat contra jus divinum ignorans invincibiliter legem ecclesiasticam, eam non violat, nec proinde obnoxius fit pœnæ ab eadem lege edictæ. In hac sententiarum contrarietate dicendum videtur reum obnoxium quidem non esse vi legis canonicæ pœnæ ordinariæ quam lex illa statuit, sed puniri posse arbitrio judicis, nimirum pro gravitate delicti quod patravit.

Est etiam controversia quoad illum qui legem canonicam cognoscebat, sed pœnam ignorabat. Probabilissimum existimamus pœnam regulariter incurri. Qui sciens legem transgreditur se ultro exponit pœnis quas legislator statuerit, quæcumque illæ sint : etenim 1° nemo ignorare potest legislatores pœnis animadvertere in eos qui legem violare præsumunt; 2° ignorantia pœnarum in specie nullatenus impedit quin commissa sit culpa contra legem et hæc culpa est vera ratio pœnæ; 3° non est de natura pœnarum ut eas reus voluntarie subeat; ergo, velit nolit, ex eo quod actum vetitum a lege cum cognitione ejusdem legis voluntarie facit, obnoxius

evadit pœnis edictis. « Neque in contrarium video rationem « alicujus momenti, » ait Suarez. (Loco citato, n° 11.) Exceptiones huic regulæ generali videbimus infra ubi de censuris. (N° 766.)

ARTICULUS II. — DE CENSURIS.

760. — A notionibus generalioribus de pœnis canonicis ad species præcipuas devenimus. Non immorabimur in inquisitione pœnarum quas confessarii injungere debent ut sui ministerii vices tuto obeant; de his sufficienter agitur in tractatu theologico *de Sacramento Pœnitentiæ*. — Cum *Canones pœnitentiales* qui ad calcem decreti Gratiani reperiuntur et cæteri quos legere est apud nonnullos scriptores, non fuerint auctoritate Ecclesiæ universalis sanciti, aut saltem hactenus non subsistant, sufficit nobis memorasse decretum quo synodus Tridentina confessarios admonet, ut, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungant; habeantque præ oculis satisfactionem quam imponunt non esse tantum ad novæ vitæ custodiam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. (Sess. XIV, cap. VIII, *de Pœnitentia*.)

His itaque prætermissis, agemus primo de censuris quæ medium quemdam locum tenent inter pœnitentias et pœnas acerbiores[1].

§ 1. — *De censuris in genere.*

761. — I° *Quid et quotuplex sit censura?*

I. Censura est pœna medicinalis qua homini baptizato delinquenti et contumaci aufertur ab Ecclesia usus quorum-

[1] Suarez, *de Censuris*, tom. V. — Bonacina, *de Censuris aliisque pœnis*

dam bonorum spiritualium, donec a contumacia recesserit.

Dicitur 1° *Pœna medicinalis*, quia finis proximus et ultimus censurarum est præsertim emendatio peccatorum, ut *resipiscant a laqueis diaboli*, ut dicitur in sanctis Scripturis. Hoc satis indicat concilium Lugdunense, in cap. *Cum medicinalis*, DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, in VI°, ubi de excommunicatione, quæ est gravior omnium censura, dixit : « Cum « medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, « non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit non con- « temnat, caute provideat judex ecclesiasticus, ut in ea fe- « renda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit et « medentis. »

2° Qua *homini baptizato, delinquenti, et contumaci*... Pœna ecclesiastica non in alium quam in hominem baptizatum cadere potest : baptismus autem sufficit, adeo ut nihil ex parte juris obstet quominus Ecclesia, si opportunum judicaverit, hæreticum, schismaticum, vel etiam apostatam feriat gladio spirituali quem a Christo Domino recepit. — Præterea necesse est ut reus revera deliquerit. Pœnam non patitur in foro conscientiæ qui innocens a crimine est, tametsi judex ecclesiasticus, ex falsa delicti præsumptione, sententiam in eum protulerit.

Quod vero ad contumaciam attinet, animadvertemus contumaces merito reputari, non solum qui formaliter contemnunt auctoritatem Ecclesiæ, sed etiam qui, cum sufficienter noverint legem aliquid vetantem et censuram qua sancita fuit, eam nihilominus culpabiliter violant.

3° *Aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium*... Censura non tollit facultatem, ut dicam, radicalem bona spiritualia percipiendi, vel officium exercendi, sed tantum privat *usu* horumce bonorum, in quo differt a privatione officii, a

ecclesiasticis. — Pirhing, Schmalzgrueber, Reiffenstuel, in commentariis titulo XXXIX, lib. V Decretalium. — Collet, *Tractatus de Censuris*. — Eveillon, *Traité de l'excommunication*.

depositione et degradatione quæ in perpetuum privant vel re ipsa, vel exercitio functionum, uti dicetur infra. Insuper, censura non privat usu omnium bonorum spiritualium, sed solummodo *quorumdam*, eorum scilicet quorum dispensatio Ecclesiæ concredita est.

4° *Donec a contumacia recesserit.* Cum Ecclesia id præsertim intendat, censuras indicendo, ut peccatores ad meliorem frugem redeant, illos censuris relevat quando exhibent signa sufficientia emendationis.

Censura fertur ordinarie in individuos, ut supponit definitio; potest tamen ferri etiam in corpus morale, scilicet in communitatem, quemadmodum infra explicabitur. (N° 785.)

Ex data definitione, censuræ distinguuntur, tum ab interdictione sacrarum functionum ministerii ecclesiastici quam superior pronuntiat ut periculo scandali occurrat, tum ab interdicto pœnali quod fertur ad tempus præsignatum in vindictam delicti, tum denique a mera revocatione facultatum quas, pro suo arbitrio valituras, concesserat.

II. Censura triplex distinguitur : Excommunicatio, suspensio et interdictum, uti significavit Innocentius III in cap. 20, DE VERBORUM SIGNIFICATIONE : « Quærenti quid per « censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum ejusmodi « clausulam in nostris litteris apponimus; respondemus quod « per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excom- « municationis sententia valet intelligi. » Censuram diximus esse privationem usus quorumdam bonorum communium, qua mulctantur rei contumaces : atqui nulla esse bona communia Ecclesiæ dispensationi concredita præter ea quibus christiani privari possunt excommunicatione, suspensione, aut interdicto, dicetur infra; nulla est aliunde privatio medicinalis eorumdem bonorum quæ in alteram ex tribus censurarum speciebus non recidat.

Supervacaneum est inquirere an Ecclesia valeat instituere censuras, cum nulla suppetat ratio dubitandi de potestate

Ecclesiæ in hac materia. Objici posset id esse inconveniens in censuris quod privent peccatorem mediis salutaribus quibus juvaretur ad resipiscendum; sed observare oportet bona spiritualia quibus censuræ privant non ea esse in quibus consistit vita spiritualis, aut a quibus necessario pendet. Etsi usus bonorum communium, assistentia nimirum divinis officiis, sacramentorum receptio, suffragiorum applicatio, valde conferant ad bonum spirituale animæ, aliquando nihilominus magis adhuc prodest eorumdem bonorum pœnalis privatio, ad excitandum in peccatore timorem judicii divini, atque sensum pœnitentiæ.

Potestas instituendi censuras, id est statuendi modum privationis bonorum communium Ecclesiæ, soli Ecclesiæ universali, et S. Pontifici, competit; nam sola Ecclesia universalis potest de suis bonis disponere, et pœnis tribuere effectum qui ubique per orbem christianum protendatur. Cum autem censuræ fuerint institutæ, concessum est Prælatis inferioribus jus illas ferendi in casibus ab ipsis determinatis; ad hos scilicet casus applicandi privationes bonorum spiritualium, suffragiorum communium, etc., ut mox dicetur.

762. — II° *Quæ conditiones requirantur ad censuram incurrendam?*

Conditiones requisitæ sunt: 1° ex parte superioris censuram ferentis, ut habeat auctoritatem competentem; 2° ex parte juris, ut fiant monitiones et citationes, adhibeanturque certæ solemnitates; 3° ex parte rei, ut deliquerit cum aliqua cognitione censuræ, adeo ut sit vere contumax.

I. S. Pontifex, concilium generale, concilia particularia, Episcopi, et Prælati, seu sæculares seu regulares, qui habent jurisdictionem quasi-episcopalem, possunt ferre censuras. De jurisdictione conciliorum provincialium alibi diximus (n° 226). De auctoritate Episcoporum quoad suos diœcesanos nullum est dubium. Quamvis enim illorum auctoritas coarctetur intra fines diœcesis, valent nihilominus ex dis-

ciplina generali Ecclesiæ ferre censuras quæ suum effectum sortiantur ubique terrarum, et servari debeant in omnibus Ecclesiis, ad quas diœcesanus his vinculis innodatus perrexerit. Hæc vero auctoritas eo ipso quod obnoxia sit auctoritati eminentiori, juxta ordinem sacræ hierarchiæ, potest impediri in variis casibus ; puta si Episcopi sint a suo officio suspensi, vel intercesserit appellatio legitima effectum suspensivum et devolutivum habens, vel demum S. Pontifex causam ad suum tribunal evocaverit, uti dictum est in sectione DE JUDICIIS.

Quæ sit auctoritas vicariorum generalium quoad censuras, item quid in ea materia valeant Abbates et alii Prælati regulares, repetendum est ex dictis in I^a^ et II^a^ parte harum *Prælectionum* (n^is^ 191, 193, 493).

763. — II. Ex parte juris requiruntur nonnullæ solemnitates, quarum aliæ antecedunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur prolationem censuræ.

Monitio et citatio præcedere debent.

Monitio est declaratio et intimatio qua superior declarat eos qui legi aut sententiæ non paruerint, incursuros fore in censuram. Monitio dicitur *solemnis*, quando in ipsamet lege continetur; dicitur *canonica*, quando fit per sententiam personalem superioris, qui in hunc finem utitur communius ministerio apparitoris. Tres dantur regulariter monitiones canonicæ; vel si unam solum fieri magis expedire judicaverit superior, ut negotium celerius terminetur, una vice admonet reum, declarando hanc monitionem futuram esse *peremptoriam*. Quid sit citatio et quomodo fiat supra dictum est (n° 666). Discrimen inter monitionem et citationem, in eo reponitur quod monitio detur ut subditus caveat a re vetita, aut si mandatum transgressus sit, ab inobedientia resipiscat, ne pœnis plectatur; dum citatio supponit, sin delictum patratum, saltem famam aut suspicionem de delicto, et reus vocatur ut judici respondeat, ac se defendendi locum

habeat, si sit innocens a violatione legis, alioquin pœnas condignas expendet.

Porro, canones præscripserunt ut præmittantur monitio et citatio antequam reus censuris plectatur. Alexander III edita constitutione in concilio Lateranensi (cap. *Reprehensibilis*, 26, DE APPELLATIONIBUS, lib. II Decret.) hæc edixit: « Statuimus, « ut nec Prælati, nisi canonica monitione præmissa, suspen- « sionis vel excommunicationis sententiam proferant in sub- « jectos, nisi forte talis sit culpa quæ ipso suo genere sus- « pensionis vel excommunicationis pœnam inducat. » Item Innocentius III in alio concilio Lateranensi (cap. 48, DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS) : « Sacro approbante concilio pro- « hibemus, ne quis in aliquem excommunicationis senten- « tiam, nisi competente admonitione præmissa, et personis « præsentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, probari « possit monitio, promulgare præsumat. Quod si contra præ- « sumpserit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, « ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit inter- « dictum. » Tandem Gregorius X, in concilio Lugdunensi (cap. *Constitutionem*, 9, DE SENTENTIA EXCOMM., in VI°) : « Statuimus quoque ut inter monitiones, quas, ut canonice « promulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura « præmitti, judices, sive monitionibus tribus utantur, sive « una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia « intervalla; nisi facti necessitas aliter ea suaserit mode- « randa. »

Ex datis constitutionibus concludimus 1° non requiri monitionem *canonicam*, si lex ipsa admonuerit delinquentes obnoxios fore censuræ, ut sequitur ex cap. *Reprehensibilis;* 2° excepto illo casu requiri omnino monitionem, ut censura licite feratur, et fortassis etiam valide. Multi opinantur monitiones non requiri ad validitatem, quia id non exprimitur in jure; sed animadvertere oportet eam esse rationem censuræ, ut præter reatum delicti, supponat contumaciam; atqui, nisi

præcesserit monitio, reus non est contumax, aut saltem utrum talis sit ignorat superior; ergo non solum contra regulas juris, sed et contra naturam ac finem proprium censurarum, agit judex, si censuram ferre præsumat nulla præmissa monitione. 3° Tres monitiones præmittendas esse, aut saltem unam peremptoriam quæ tribus æquiparetur, statuit cap. *Constitutionem*. Non decet unam solummodo præmitti, etsi peremptoriam, nisi aliqua ratio necessitatis postulaverit; siquidem mens Ecclesiæ est ut non præcipitetur censura, sed serius infligatur, ubi alia media non suppetunt. « Ex defectu « tamen trinæ monitionis, modo monitio adsit, censura non « redditur nulla, ait Schmalzgrueber, sed injusta, prout col- « ligitur ex cap. *Romana*, 5, eod. tit. in VI°, ubi cavetur ne « judex ferat sententiam absque competenti præmissa moni- « tione et, si contra præsumpserint, *injustas noverint illas* « *esse:* ubi glossa ponderat dictionem *injustas*, et advertit « non dixisse *nullas*. »

Canones allegati non statuunt de interdicto : sed communis est doctrina legem esse generalem fundatam in ipsa natura censuræ quæ non fertur primario in vindictam, sed in emendationem rei per comminationem privationis bonorum spiritualium; unde ipsummet interdictum, non secus ac censuram et excommunicationem non esse aliter ferendum quam prævia monitione, nisi sit mera pœna, ut infra videbitur. Confirmatur ex cap. *Statutum*, 13, DE SENTENTIA EXCOMM., in VI°.

Jus canonicum insuper præscribit ut judex non procedat ad sententiam, nisi prius reum citaverit, ut locus detur defensioni (n° 666).

764. — Censuræ debent consignari in scriptis authenticis quæ expressis verbis, absque ulla ambiguitate, declarent speciem censuræ. « Quisquis excommunicat, excommunicationem « scriptis proferat, et causam expresse conscribat propter « quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujus

« scripturæ excommunicato teneatur tradere intra mensem, « si fuerit requisitus. Super qua requisitione fieri volumus « publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici « sigillo authentico consignatas. Si quis autem judicum hu- « jus Constitutionis fuerit temerarius violator, noverit se, « per unum mensem, ab ingressu Ecclesiæ et divinis officiis « suspensum.... Et hæc eadem in sententia suspensionis et « interdicti volumus observari. » (*Cum medicinalis*, 1, DE SENTENT. EXCOMM., in VI°.)

Nihil refert quibus verbis utatur judex, modo suam intentionem determinate explicet, qualem scilicet censuram ferat. Potuit quidem comminando censuras, non exprimere quas de facto illaturus esset, verum necesse omnino est ut eam specie designet quando fert sententiam, alioquin reus ignoraret quatenus ligatus sit.

Canonistæ communius dicunt validam fore, tametsi illicitam, censuram prolatam sine scripto, quod deducunt ex cap. *Cum medicinalis*, in quo dicitur superiorem ad quem recurritur debere hujusmodi censuram relaxare ; « relaxare « enim, advertit Suarez, est solvere quod ligatum erat ; « supponit ergo illam sententiam vere ligasse. » Objecto deinde canone *Etsi*, DE SENTENTIA ET RE JUDICATA, 3, in VI°, respondet generale esse in aliis sententiis definitivis, ut sententia lata oretenus nulla sit, « hic vero excipi eas quibus « censuræ proferuntur ; forte ut censuræ magis timeantur. » (Disp. III, sect. XIII, n^is 8 et 9.)

765. — Denuntiatio subsequitur prolationem censuræ.

Denuntiatio est publicatio censuræ facta jussu ac nomine superioris, ut deveniat ad notitiam communitatis[1].

Ideo censura denuntiatur communitati ut reus salubri confusione ac pudore ad resipiscentiam veniat, et cæteri fideles ab illius consortio abstineant in iis quæ censura inter-

[1] Cf. Suarez, disp. III, sect. XIV et XV ; — Eveillon, *Traité de l'excommunication*, chap. XXX.

dicta ipsi fuerunt : unde dicitur in cap. *Curæ sit*, 20, caus. XI, quæst. III : « Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum « nomina tam Episcopis vicinis quam suis parochianis pariter « indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ « cunctis convenientibus inculcare ; quatenus in utraque di- « ligentia, et excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus « excludatur, et excusationis causa omnibus auferatur. » Dicemus infra ex constitutione S. Sedis illos solos generatim esse vitandos ob latam excommunicationem, qui fuerint nominatim denuntiati. Insuper notare est quoad valorem actuum jurisdictionis, sæpius adesse titulum coloratum cum errore communi, quamdiu censura, qua titularis alicujus officii innodatur, non fuit denuntiata.

Ut vero denuntiatio effectum suum canonicum, quoad vitandum consortium cum excommunicato, operetur, necesse est 1° ut fiat nomine atque auctoritate superioris ; est quippe actus jurisdictionis in foro externo. Superiorem dicimus illum qui sententiam condemnatoriam vel declaratoriam tulit. Si censura fuerit jure ipso lata, ejus erit sententiam ferre et denuntiare, in cujus territorio delictum patratum fuit, aut qui habet jus in delinquentem, ratione domicilii. « Utcumque crimen sit notorium, semper ad denuntiandum « reum est necessaria jurisdictio, vel potestas ad exsequen- « dam pœnam, ait Suarez; et ideo nunquam existimo fieri « posse a quocumque, sed cum debito ordine superius expli- « cato, alioquin magna esset confusio et occasio scandali. » (*De Censuris*, disp. III, sect. XIV, n° 8.) Necesse est 2° ut denuntiationem præcesserit sententia declaratoria; denuntiatio enim habetur uti exsecutio pœnæ, imo extensio quædam pœnæ ad effectus externos : porro exsecutio pœnæ supponit sententiam qua pœna fuit re ipsa inflicta. (Cap. *Pervenit*, 13, et *Pastoralis*, 55, DE APPELLATIONIBUS.)

Quamvis plures sint canones quibus admonentur Prælati ut denuntient censuras; nulla tamen est lex quæ hanc de-

nuntiationem modo absoluto, formamve in illa servandam, indixerit. Id dimittendum est prudentiæ superioris, qui aliquando utile existimabit denuntiationem facere ob majus bonum fidelium et ipsius delinquentis; aliquando autem magis opportunum ab ea abstinere, ut graviora mala præcaveantur. Ipsius etiam est modum denuntiationis præscribere; quæ enim in cap. *Curæ sit* supra allato indicantur, non sunt jure communi præscripta. Eadem sententia qua reus condemnatur, indici potest ut censura publicetur quantum opus erit, arbitrio judicis.

Parochus, aliusve subditus jurisdictioni Prælati, cui demandatur denuntiatio, tenetur generatim onus obire, quia ipse judex non est, ut dicitur in cap. *Pastoralis*, 28, DE OFFICIO JUD. DELEGATI. « Attendentes itaque quod non cognitio « sed exsecutio tantum demandatur eidem (Ordinario), res- « pondemus quod cum Ordinarius teneatur obsequi dele- « gato (S. Sedis), etsi sciat sententiam illam injustam, « exsequi nihilominus tenetur eamdem, nisi apud eum effi- « cere possit ut ab hoc onere ipsum absolvat. » Hæc tamen de præsumpta injustitia censuræ intelligendum arbitramur; si enim parochus certo sciret formas juris non fuisse servatas, et invalidam esse sententiam, non teneretur, nec etiam posset censuram denuntiare, ne particeps fieret injustitiæ. Si valida censeatur sententia, sed timeatur grave incommodum ex denuntiatione oriturum, res erit deferenda ad superiorem, cujus decisioni obtemperabit parochus.

766. — III. Ex parte delicti requiritur ut fuerit externum, grave et in sua specie consummatum (n° 758). Inquirunt canonistæ an delinquens inciderit in censuram si non sponte sua legem transgressus sit, sed ex metu gravi, vel ex ignorantia vincibili.

1° Metus gravis excusat a censura quando res vetita est jure tantummodo ecclesiastico; quia leges humanæ non obligant regulariter sub tanto incommodo. Excipias casum quo

Ecclesia rem de se graviter periculosam, v. g. dispensationem sacramentorum morbo pestifero infectis, præscripserit.

An metus gravis excuset etiam quando res vetita est jure naturali v. g. perjurium, non ita constat. Si metus non eo usque hominem perturbet, ut auferat liberum arbitrium et consequenter peccatum quando lex naturalis violatur, Ecclesia posset procul dubio rem prohibere sub pœna censuræ. Nonnullis visum est Ecclesiam merito præsumi id reipsa voluisse; tum quia plura lege naturali vetita prohibuit sub pœna censuræ, modo absoluto, nulla adhibita restrictione; tum quia statuendo has censuras, voluit homines efficacius retrahere ab his quæ sunt jure naturali prohibita. (Collet, *de Censuris*, part. I, cap. IV.) Alii plures contrariam sententiam propugnant, quia mens Ecclesiæ est illos solum censuris afficere qui animo contumaci leges canonicas transgrediuntur: at vero qui ex metu gravi violat legem naturalem censura ecclesiastica sancitam, non censetur contumax. « Si modus « transgrediendi præceptum talis sit, ait Suarez, ut ad pec- « candum sufficiat, non vero ad contumaciam, poterit a cen- « sura excusare, licet non excuset a culpa etiam gravi. » (Disput. IV, sect. III, n° 14. S. Alph. de Liguori, lib. VII, n° 46.) Huic opinioni tuta conscientia quisque stare potest, excepto tamen casu in quo ageretur de bono communi religionis, de vitando actu qui censeretur abjuratio fidei, vel si quid contra jus exigatur in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ; hos et similes casus excipiendos duxerunt omnes canonistæ.

2° Quoad ignorantiam duo sunt textus juris sedulo notandi. Bonifacius VIII ita statuit in cap. 2 DE CONSTITUTIONIBUS, in VI: « *Ut animarum* periculis obvietur, sententiis per statuta quo- « rumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus igno- « rantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut « supina. » Gregorius X in cap. 2 DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, in VI: « *Eos qui* clericos parochiæ alienæ, absque superioris « ordinandorum licentia, scienter, seu affectata ignorantia,

« vel quocumque alio figmento quæsito, præsumpserint or-
« dinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse
« suspensos. »

Ex illis textibus sequitur 1° ignorantiam invincibilem, aut venialiter tantum culpabilem, sive legis canonicæ aliquid vetantis, sive censuræ qua lex fuerit sancita, eximere a censura. Textum *Ut animarum*, cum sit omnino generalis, interpretari licet de illo qui ignoravit censuram, tametsi legem noverit; siquidem fas est leges pœnales juxta sensum strictiorem intelligere. Ratio insuper hanc interpretationem suadet : communiter enim dicitur neminem censuris innodari nisi contumacem in Ecclesiam quæ aliquid jubet, aut vetat, sub comminatione censuræ : porro argui non potest contumaciæ qui censuram ab Ecclesia statutam penitus ignorat.

Sequitur 2° ignorantiam graviter culpabilem, quæ in capite juris mox allato dicitur *crassa* aut *supina*, non eximere a censura, nisi lex supponat cognitionem censuræ. Quidam canonistæ distinctione usi sunt inter ignorantiam graviter culpabilem quæ tamen non sit crassa aut supina, et aliam ignorantiam gravius culpabilem, quæ nimirum involvit negligentiam summam. Hujusmodi distinctionem non admittit doctrina communissime recepta apud canonistas, et merito quidem; nam 1° in jure canonico non reperitur ignorantia graviter culpabilis, quæ non comprehendatur sub denominatione crassæ aut supinæ, nisi sit ignorantia affectata de qua mox; 2° moraliter impossibile est discernere in praxi negligentiam gravem a summa.

Sequitur 3° ignorantiam etiam graviter culpabilem eximere a censura quando lex canonica requirit ut reus statutum violaverit *scienter*, *temeraria præsumptione*, etc. Hæc et similia verba significant contumaciam graviorem; qui enim legem violat ex ignorantia vel ex inadvertentia vincibili, sive legem ex pura negligentia et desidia ignoraverit, sive ad illam non attenderit ex nimia sollicitudine et affectione ad res alias quæ

impedierunt quominus curam debitam impenderet in suo officio implendo, dici non potest legem transgredi *scienter*, *consulto*, *ex temeraria præsumptione*...

Quid vero si ignorantia fuerit *affectata?* Ignorantiam affectatam dicunt, quando quis orta suspicione de existentia legis non vult dubium discutere, neque interrogare, ne si legem cognosceret teneretur observare. Porro, hanc ignorantiam æquiparari scientiæ, et includere dolum formalem, communius docent canonistæ; quia in morali hominum æstimatione scienter violat legem qui habuit cogitationem aliquam et suspicionem legis, quam discutere noluit ne veritatem apertius detegeret. Temerario ac cum magna præsumptione procedit, qui ex directa voluntate sic operatur cum periculo legem transgrediendi. Non est proinde cur existimemus Ecclesiam intendisse illum a censuris eximere. Non desunt tamen theologi qui aliter opinantur : juxta illos verba legis *scienter*, *consulto*, *ex temeraria præsumptione*, designant cognitionem legis quæ non habetur in ignorantia affectata; etc... : textum juris *Eos qui*, ita interpretantur, ut hæc duo *qui scienter*, SEU *affectata ignorantia*, sumantur disjunctive. « Hanc secundam sententiam non audeo dicere improbabi-« lem, ait S. Alph. de Liguori; sed primæ magis adhæreo, « saltem ut communiori. » Lib. VII, n° 48.

767. — III° *Utrum qui censura innodatus est, possit alias censuras incurrere?*

I. Nullum dubium est quin eadem persona possit simul aut successive pluribus censuris diversæ speciei ligari, v. g. interdicto, suspensione, et excommunicatione; nec circa illud punctum movetur quæstio apud canonistas : sed quæri potest 1° utrum aliquis possit pluribus censuris ejusdem speciei ligari ob diversas causas; 2° utrum censuræ multiplicentur ob multiplicatam transgressionem ejusdem legis [1].

[1] Cf. Suarez, disput. v, sect. 2 et 3.

Certum est plures censuras ejusdem speciei ferri posse in eamdem personam propter causas diversas, adeo ut qui, v. g., excommunicatur ob violationem unius legis, alia excommunicatione possit mulctari ob alterius legis transgressionem. Jurisdictio superioris exhausta non est primo actu, sed integra remansit. Causa occurrere potest quæ novam censuram exposcat; nihil præterea ex parte subjecti repugnat in multiplicatione censurarum. Nec dicatur hominem jam privatum omnibus bonis quibus ab Ecclesia privari potest, non posse iterum iisdem privari; nam censura non se habet ut mera privatio, sed veluti causa positiva et vinculum inducens hanc privationem : porro nihil obstat plures causas et vincula adjici ad eamdem privationem inducendam, sicut homo potest pluribus præceptis obligari ad abstinendum ab eodem actu. Item est de pluribus peccatis mortalibus; licet enim primum peccatum privet omnino gratia sanctificante, nihilominus secundum ex se illa etiam privat, quantum fieri potest, et vel propriam maculam inducit, vel ita priorem auget, ut duabus æquivaleat. Confirmatur ex pluribus textibus juris, præsertim, *Cum pro causa*, 27, et *Officii*, 42, DE SENT. EXCOMMUNICATIONIS, in quibus agitur de homine pluribus simul excommunicationibus ligato ob plures excessus, vel a pluribus Prælatis ob varias causas.

Idem dicendum est de multiplicatione censurarum ob multiplicatas transgressiones ejusdem legis : v. g., si quis bis aut ter clericum graviter percusserit, cum morali interruptione. « Generalis et recepta doctrina est, ait Suarez, quoties novum « peccatum contra hujusmodi legem committitur, novam « censuram incurri. » (Loco citato, sect. III, n° 1.) Ratio deducitur ex dictis : lex scilicet efficaciam habet contra singulas prævaricationes, sive aliæ præcesserint, sive non, et multiplicatio censurarum ejusdem speciei in eodem subjecto non repugnat; ergo quoties lex illa temere violatur, toties nova censura incurritur.

II. Hac doctrina admissa, theologi et canonistæ concludunt

multiplicationem censurarum dijudicandam esse ex regulis theologiæ moralis circa distinctionem numericam et specificam peccatorum; si enim unum peccatum sit moraliter et formaliter, unica erit censura; si vero peccata sint moraliter et formaliter distincta, plures erunt censuræ. « Si quis, ait « S. Alph. de Liguori, reiterat idem crimen moraliter distin- « ctum a primo cui imposita est censura, toties censuram in- « currit; secus, si moraliter actus non interrumpitur. » Lib. VII, n° 28. Si idem delictum a jure et ab homine, aut a duobus simul superioribus, v. g., a S. Pontifice et ab Episcopo, vetitum sit sub censura, dubitatur an plures sint censuræ; sed illud pendet a voluntate superiorum. Sæpius eadem erit, quia superior nihil aliud intendit quam innovare et in memoriam revocare prohibitionem jam factam; diversæ autem censuræ erunt, si superior alter voluerit vere novam pœnam inducere, quamobrem ab utroque superiore absolutio in tali casu postulanda esset. (Suarez, sect. II, n° 13. Collet, *de Censuris*, part. I, cap. III, quæst. 5. S. Liguori, n° 28.)

768. — IV° *Utrum et quatenus servari debeat censura in casu dubii de valore censuræ, et in casu gravis necessitatis?*

I. Dubium versatur circa jus, vel circa factum, vel circa justitiam censuræ, an a legitimo judice, servatis servandis, prolata fuerit.

In dubio juris, quando nulla fuit prolata sententia, non est obligatio servandi censuram. Deducitur a regula generali : *in obscuris minimum est sequendum... in pœnis benignior interpretatio est facienda*, quam valere pro foro interno, non secus ac pro foro externo, docent communissime theologi.

Idem probabiliter dicendum est de dubio facti, an peccatum commissum sit cum conditionibus jure statutis, ut censura incurratur. Judex abstinere debet a plectendo reum in casu dubii facti, ne in periculum incurrat puniendi innocentem; cur reus, in pari dubio, teneretur semetipsum pœna

afficere, abstinendo a communione bonorum ecclesiasticorum? Aliunde, plurimorum est opinio neminem teneri in dubio facti se habere uti censura innodatum; hæc autem sententia quam tot canonistæ propugnant sufficit ad inducendum dubium juris. Periculum ne reus sibi illudat reperitur in multis aliis casibus, sive de censura jure lata agatur, sive de obligationibus, in quibus unusquisque sequi debet dictamen suæ conscientiæ.

Quando dubium versatur circa factum judicis, an excesserit limites suæ jurisdictionis, an formas præscriptas servaverit, censura servanda est. Ordo publicus exposcit ut obsequium præstetur judici, nisi manifesta sit nullitas sententiæ, alioquin pessumdaretur, cum magno detrimento societatis, subordinatio auctoritati constitutæ debita. In hoc igitur casu prævalet regula quam invocat Innocentius III in cap. *Illud*, 5, DE CLERICO EXCOMMUNICATO, lib. V Decret., de quodam Episcopo qui rationem non habuerat sententiæ quam contra illum tulerat Legatus Sanctæ Sedis, prætermissis quibusdam solemnitatibus juris: « Quia in dubiis via est eligenda tutior, « etsi de sententia in eum lata dubitaret, debuerat tamen « potius abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertra- « ctare. » Eadem ratione Clemens III Archiepiscopo Senonensi rescripsit de clerico qui de sententia contra se prolata querebatur, nullam manifestam causam nullitatis allegando: « Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne « sententiam ecclesiasticam contemnere videatur, et per hoc « amplius ex suo contemptu ligetur. » (Cap. *Per tuas litteras*, 40, DE SENT. EXCOMMUNICATIONIS.)

II. Ratio necessitatis excusat reum quominus servet censuram qua ligatur, quando censura est occulta et non potest eam servare sine gravi sui detrimento, vel aliorum scandalo. Notabile detrimentum reputatur, si quis debeat gravem suspicionem contra seipsum movere, sicque infamiæ periculo exponi; erit scandalum proximi, si populus exinde inducen-

dus sit ad murmurandum graviter, vel ad temere judicandum de presbyteris, aut ad aliquid simile. In his magna quidem prudentia opus est ad ponderandum et periculi et nocumenti gravitatem ex una parte, et ex alia qualitatem actionis prohibitæ et circumstantias ejus, ut judicari possit, an obligatio censuræ suspendatur. « In communi tamen loquendo, ait « Suarez, non videtur dubium quin in hoc capite cessare « possit. » Ratio est quod leges humanæ ac positivæ non obligant cum tanto incommodo, quale censetur infamia sacerdotis, aut proximi scandalum.

Solutio data extenditur ad omnes effectus censuræ, ne exceptis quidem participatione sacramentorum et celebratione sancti sacrificii. Hæc certe participatio non est aliquid intrinsece malum; cum is qui censura ligatur possit coram Deo justificari per contritionem, vel per confessionem bona fide ac requisitis dispositionibus factam; ergo solummodo obstaret prohibitio Ecclesiæ, quæ in præsenti casu non urget. (Suarez, disput. VI, sect. III, n^is 15-20.)

III. Non diximus de casu in quo certo constaret de nullitate aut de injustitia censuræ. Apud omnes convenit censuram nullam, vel certo injustam, non obligare in foro conscientiæ. Sed plerumque urget nihilominus necessitas deferendi auctoritati judicis, donec sublata sit censura per absolutionem ad *cautelam*, vel per auctoritatem judicis, alias valde pertimescendum erit scandalum.

§ 2. *De excommunicatione.*

769. — I° *Quid et quotuplex sit excommunicatio?*

I. Excommunicatio est censura ecclesiastica separans christianum a communione Ecclesiæ et idcirco privans participatione bonorum communium Ecclesiæ.

Sanctus Paulus dixit de communione sanctorum : « Multi

« unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius « membra... Crescamus in illo per omnia, qui est caput « Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum « per omnem juncturam subministrationis, secundum ope- « rationem in mensuram uniuscujusque membri, augmen- « tum corporis facit in ædificationem sui in charitate. » (Ad *Romanos*, cap. XXII, 5; ad *Ephesios*, cap. IV, 15, 16.) Nos igitur omnes qui sumus membra Christi, participamus bona spiritualia quæ Christus in suum corpus mysticum effundit. Hæc autem spiritualia dona procedunt, alia immediate a Christo capite, alia immediate ab Ecclesia cui Christus plurima dedit ab ipsa cæteris communicanda, alia demum a privatis fidelibus qui nos sua oratione Deo commendant. Porro, excommunicatio privat bonis spiritualibus quæ habemus ab Ecclesia, uti sunt: sacramenta, assistentia divinis officiis, suffragia communia, neutiquam vero bonis quæ a Christo immediate obtinemus, donis scilicet Spiritus sancti, virtutibus infusis, nec etiam bonis quæ nobis adveniunt ex precibus et suffragiis privatis fidelium.

II. Duplex olim distinguebatur excommunicatio, *medicinalis* nempe et *mortalis*. Excommunicatio quam medicinalem appellabant, infligebatur pro levioribus criminibus, et varios gradus habebat : alios a sola Eucharistiæ participatione, alios a fidelium precibus excludebat. Hæc species excommunicationis fuit inflicta clericis inferioribus, non secus ac laicis. Alia erat propria clericis, qua nimirum unus, v. g., Episcopus ab altero seu a pluribus aliis ejusdem provinciæ separaretur, adeo ut hi Episcopi neque darent nec ab invicem acciperent litteras formatas, neque alter alterum ad celebrationem officiorum admittebat, uti mos erat deferre, honoris causa, Episcopo extra suam diœcesim degenti, neque tandem alter alterius Ecclesiæ filios ad communionem admitteret[1].

[1] Clemens XI retraxit suam communionem a quibusdam Episcopis Galliæ

Alia species excommunicationis, quæ mortalis dicebatur, consistebat in privatione omnium bonorum Ecclesiæ dispensationi commissorum. Juxta præsentem disciplinam duplex etiam distinguitur excommunicatio : *Minor*, quæ privat receptione sacramentorum et inhabilem efficit clericum ad beneficia et munia ecclesiastica, et *Major*, quæ omnino separat a societate fidelium et privat omnibus bonis quæ sunt in potestate Ecclesiæ, uti mox explicabitur. Regula generalis est sub denominatione communi *excommunicationis* comprehendi excommunicationem majorem, nisi sit aliquid in textu quo censura restringatur. « Si quem sub illa verborum forma : « *illum excommunico*, vel simili, a judice suo excommunicari « contingat, ait Gregorius IX, dicendum est eum non tantum « minori, quæ a perceptione sacramentorum, sed etiam « majori excommunicatione, quæ a communione fidelium « separat, esse ligatum. » (Cap. *Si quem*, 59, DE SENT. EXCOMMUNICATIONIS, lib. V Decret.)

Canonistæ disserunt de excommunicationibus quæ decernuntur monitionibus præmissis, ad *finem revelationis*, ut aiunt, pro detegendo auctore criminis, aut pro rebus deperditis, seu subtractis. Harum excommunicationum frequens erat usus in Galliis. *Monitoria* dicebantur mandata quibus judex ecclesiasticus præcipiebat sub pœna excommunicationis ut qui novissent auctorem alicujus delicti illum manifestarent. Parochus monitoria edicebat, ex præscripto officialis, in Missa parochiali. Elapsis tribus hebdomadis excommunicatio ferebatur, tum in reos delicti, tum in omnes qui revelare neglexerant. Multæ quæstiones ea de re movebantur quibus supersedemus, quia in desuetudinem venit praxis illa monitoriorum... Cæterum, ratio finis ad quem censura fertur nul-

parti Jansenistarum addictis, declarando illos tanquam a sua et *S. Romanæ Ecclesiæ caritate prorsus segregatos haberi; nullamque proinde ipsi et S. Romanæ Ecclesiæ cum illis communionem ecclesiasticam exstituram*, donec integre resipiscerent. (Const. *Pastoralis officii*, an. 1718.)

lum statuit discrimen inter unam et alteram excommunicationem[1].

Demum, canonistæ distinguunt excommunicationem majorem ordinariam ab *anathemate;* sed non consentiunt in explicando quale discrimen inter utrumque intercedat. Nonnulli asserunt anathema esse potius pœnam quam censuram, et iis infligi qui postquam excommunicatione majori notati fuerint, in sua contumacia pervicaces manent, spreta Ecclesiæ auctoritate. Anathematizati jura omnia ecclesiastica radicitus amisisse censentur, dum excommunicati, licet extra Ecclesiam ejecti, aliqua tamen jura in radice servant. Hinc concludunt opus esse anathematizatis dispensatione tanquam a pœna; excommunicatis autem absolutione tanquam a censura. Hocce discrimen deducendum existimant e textibus juris quibus anathema exhibetur uti longe gravius excommunicatione. Sic Cœlestinus III de clerico homicida dixit: « Deponendus est; qui si depositus incorrigibilis fuerit, ex« communicari debet; deinde crescente contumacia anathe« matis mucrone feriri. » (Cap. *Cum non ab homine*, 10, DE JUDICIIS, lib. II Decret. Cap. *Engeltrudam*, 12, caus. III, quæst. IV.) Communior opinio est anathema non differre ab excommunicatione majori nisi ratione cæremoniarum et publicæ denuntiationis quæ plus terroris incutiunt, et fortassis etiam inserviunt ut reus ea difficilius solvatur, quia ampliore satisfactione opus est, ubi major fuit contumacia, gravius scandalum. Notum est concilia, et S. Pontifices, Concilium præsertim Tridentinum, utramque formulam indiscriminatim adhibuisse. Igitur anathema non differt substantialiter ab excommunicatione majori; si quandoque excommunicationibus a jure latis adjungitur verbum istud, adhibetur ut indicetur major gravitas delicti[2].

[1] Collet, *de Censuris*, part. II, cap. I, sect. II.

[2] Cf. Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, tom. IV, part. II, dissert. III, cap. VI. — Suarez, disput. VIII, sect. II, nis 2, 3.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

770. — II° *Qui sint effectus excommunicationis majoris quoad ipsum excommunicatum?*

Excommunicatus privatur generatim bonis communibus Ecclesiæ; quapropter :

1° Nullum sacramentum recipere potest, excepto tamen quod in articulo mortis admittitur ad sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis. Excommunicatio non obstaret quidem quin pœnitens valide absolveretur, nisi peccatum sit reservatum superiori; sed Ecclesia prohibet ne detur absolutio a peccatis, nisi prius impertita sit absolutio a vinculo excommunicationis.

2° Non potest interesse divinis officiis, sancto nempe sacrificio et precibus publicis. Non vetatur orare privatim in Ecclesia, nec sacram concionem audire. Omni tempore servata fuit ea de re disciplina quam inculcat decretum Concilii Carthaginensis : « Episcopus nullum prohibeat ingredi Eccle-« siam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, « sive judæum, usque ad Missam catechumenorum. » (Dist. 1, DE CONSECRATIONE, cap. 57.)

3° Partes non habet in suffragiis Ecclesiæ; quod intelligitur etiam de defunctis qui mortui sunt in excommunicatione, juxta declarationem datam ab Innocentio III : « A « nobis est sæpe quæsitum, utrum si aliquis excommunicatus, « in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum « steterit quominus reconciliaretur ecclesiasticæ unitati, non « suscepto absolutionis beneficio decesserit, pro absoluto ab « Ecclesia sit habendus, et utrum pro tali recipienda sit « eleemosyna et a fidelibus sit orandum? Consultationi tuæ « respondemus quod... quantacumque pœnitentiæ signa « præcesserint, si tamen morte præventus absolutionis non « potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud « Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud « Ecclesiam absolutus. Potest tamen et debet ei Ecclesiæ « beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis pœnitentia per

« evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis « beneficium impendatur. » (Cap. *A nobis*, 28, DE SENT. EXCOMM.) Suarez exinde concludit excommunicatum non posse uti sacramentalibus, aqua benedicta, etc., quatenus ordinantur ad percipiendum aliquem fructum specialem ex merito et suffragiis Ecclesiæ, quamvis iisdem sacramentalibus uti possit, ut mediis aptis ad excitandum sensum pietatis. (Disp. XII, sect. III.)

4° Non potest sponte sua se ingerere in administrationem sacramentorum, sed ea solummodo administrare quando fideles ad illum recurrunt; quapropter sacramenta, non in sui sed in aliorum utilitatem, in casibus jure præfinitis, dispensat.

5° Est inhabilis ad recipiendum beneficia et officia ecclesiastica; unde sequitur collationem officii factam excommunicato irritam esse ipso jure, et consequenter irrita etiam fore jurisdictionis acta vi hujus officii, nisi forte valeant ratione tituli colorati juncti cum errore communi (n^is 284-288). Si censura supervenerit officio jam adepto, non privat excommunicatum titulo valide acquisito; sed reus destitui potest sententia judicis, si neglexerit postulare beneficium absolutionis.

6° Non potest partes actoris sustinere in judiciis ecclesiasticis, si publice fuerit excommunicatus. (Cap. *Exceptionem*, 12, DE EXCEPTIONIBUS, lib. II Decret.) Si vero, etsi cognoscatur uti excommunicatus, non fuerit tamen juridice denuntiatus, potest pro arbitrio judicis, ratione habita circumstantiarum, admitti aut repelli. In duplici casu admittendus erit : 1° quatenus actor, in causa suæ excommunicationis, si probare intendat excommunicationem contra se latam fuisse ipso jure nullam; vel si urgeat ratio salutis, ut in causa matrimoniali. 2° Quatenus reus, quoties in judicium adducitur, quod Alexander III ita definivit : « Quia postulasti a nobis utrum « excommunicatus in judicio stare possit? Respondemus

« quod conveniri potest, et debet per alium respondere in « judicio, ne videatur de sua malitia commodum reportare. » (Cap. *Intelleximus*, 7, DE JUDICIIS.)

Controvertitur utrum eo in casu excommunicatus teneatur procuratorem sibi constituere. Videtur regulariter teneri ex verbis allatis Alexandri III; sed in his, utpote quæ ad praxim nil conferant hodiernis temporibus, non immorabimur [1].

7° Tandem privatur sepultura christiana si denuntiatus sit; et etiam si, quamvis non denuntiatus, notorie habeatur uti peccator obstinatus.

Notorietas peccati et impœnitentiæ excommunicati causa est sufficiens cur non sepeliatur in loco sacro cum ritibus et precibus adhiberi solitis. (N° 569.)

Diximus effectus spirituales excommunicationis. Alios effectus temporales superaddidit disciplina vetus, ex quibus alii decursu temporum temperati sunt, alii in desuetudinem lapsi, ob immutationem inductam in moribus publicis. Ab ipsis initiis Ecclesiæ S. Paulus fideles admonuit ne commiscerentur, nec cibum sumerent cum peccatoribus publicis. « Si quis venit ad vos, ait sanctus Joannes, et hanc « doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec « *ave* ei dixeritis; qui enim dicit illi *ave*, communicat operibus « ejus malignis. » (Epist. S. Pauli ad Corinth. I, cap. v, 11; — S. Joannis, II, 10 et 11.)

Ex præscripto apostolorum invaluit disciplina ut fideles vitarent consortium peccatoris excommunicati, qui exsors quodammodo societatis, nec orare, nec loqui nisi in necessariis, nec vesci poterat cum cæteris fidelibus. (Cap. *Cum excommunicato*, 18, caus. XI, q. III.) Præterea, si, intra certum tempus jure seu locorum consuetudine præfixum, non resipisceret, suis bonis temporalibus privabatur : habebatur

[1] Cf. Commentaria canonistarum in titulum I, DE JUDICIIS, lib. II Decretalium.

uti infamis, intestabilis, atque ad officia vitæ civilis inhabilis. Plura monumenta hujus disciplinæ reperiuntur in canonibus conciliorum, in SS. Pontificum decretis, et etiam in principum sæcularium statutis, ex quibus unum, exempli causa, citabimus quod edixit S. Ludovicus rex Francorum : Sta« tuimus ut excommunicati vitentur secundum canonicas « sanctiones ; et si aliqui per annum contumaciter in excom« municatione perstiterint, ex tunc temporaliter compellantur « redire ad ecclesiasticam unitatem, ut quos a malo non « retrahit timor Dei, saltem pœna temporalis compellat. Unde « præcipimus quod balivi nostri omnia bona excommunicato« rum mobilia et immobilia per annum capiant, nec eis aliquo « modo restituant, donec prædicti absoluti fuerint, et Ecclesiæ « satisfecerint ; nec tunc etiam nisi nostro speciali mandato [1]. »

771. — III° *Qui sint effectus excommunicationis majoris quoad fideles?*

Effectus excommunicationis relative ad fideles in eo consistit quod ab excommunicati consortio abstinere debeant; cum tamen non minime coarctaretur ex hujusmodi prohibitione libertas humani commercii, lex paulatim moderata fuit. S. Gregorius VII a lege generali excipi voluit « uxores, libe« ros, servos, ancillas seu mancipia, necnon rusticos et ser« vientes [2]. » Martinus V, percelebri Constitutione *Ad evitanda scandala* in concilio Constantiensi promulgata, prohibitionem veteri disciplina sancitam restrixit respectu omnium ad excommunicatos denuntiatos. Sic se habet hæc Constitutio : « Indulgemus quod nemo deinceps a communione ali« cujus, in sacramentorum administratione vel receptione, « aut aliis quibuscumque divinis, intus vel extra, prætextu

[1] Labbe, *Col. conciliorum*, tom. XI, col. 241. Baluze, *Capitularia regum Francorum*, tom. I, pag. 17, 172, 1071, refert leges Childeberti, Pippini, et Caroli Magni, quibus privatione bonorum et exilio plectebantur, qui sententiam excommunicationis contempserant.

[2] Labbe, tom. X, col. 371.

« cujuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, a jure « vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, « vel aliquem vitare, nisi sententia illa, aut censura, fuerit... « a judice publicata vel denuntiata specialiter et expresse, « constitutionibus apostolicis, et aliis in contrarium facien- « tibus, non obstantibus quibuscumque : salvo, si quem pro « sacrilega manuum injectione in clericum, sententiam latam « a canone, adeo notorie constiterit incidisse quod factum « non possit ulla tergiversatione celari, nec aliquo suffragio « excusari... Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, « suspensos, et interdictos, non intendimus in aliquo rele- « vare, nec eis quomodolibet suffragari. »

Constitutio Martini V inserta fuit in concordato Leonis X cum Francisco I, et in Actis Concilii Lateranensis, sed paulum immutata, in eo scilicet quod exceptio quæ primitus facta fuerat in concilio Constantiensi pro casu solum percussionis sacrilegæ clerici, extendebatur generatim ad omnem casum notorietatis; adeo ut debuissent vitari hi omnes quos ita notorie constabat excommunicationem incurrisse, quacumque ex causa, ut nulla tergiversatione celari posset. At vero prævaluit ubique, vi consuetudinis et communissimæ doctorum sententiæ, limitatio ad casum percussionis clerici. « Hæc « sententia vera est, ait Suarez, scilicet limitandam esse « prohibitionem juxta formam attributam concilio Constan- « tiensi... tum maxime quia usu totius Ecclesiæ ea forma « jam est approbata et recepta, ut referunt auctores, et « constat ex usu Galliæ et Germaniæ, etc., ubi catholici com- « municant sine scrupulo cum hæreticis publicis et schisma- « ticis. » (Disput. IX, sect. II, n° 5.) Imo ipsamet exceptio pro casu percussionis clerici videtur longa consuetudine obsolevisse in Galliis, ubi non vitatur percussor nisi intercesserit sententia declaratoria. (Cf. Eveillon, chap. III, art. III.)

Iis præmissis, distinguendum est inter excommunicatos denuntiatos et excommunicatos toleratos, ut determinetur

quousque fideles teneantur se abstinere ab eorum consortio.

772. — I. Fideles tenentur abstinere in divinis a communicatione cum excommunicatis denuntiatis: possunt tamen orare privatim pro illis. Debent insuper, quantum in se est, vitare consortium vitæ civilis cum iisdem excommunicatis.

1° Ex prima parte assertionis sequitur conferenda non esse sacramenta excommunicatis denuntiatis; nec ab illis recipienda, excepto tamen casu necessitatis in quo alius non adesset a quo moribundus posset sacramenta suscipere; nec eos admittendos esse ad officia publica, nec tandem sepeliendos in loco sancto.

Violatio hujus prohibitionis est peccatum grave, nisi necessitate excusetur; et inducit excommunicationem minorem, uti dicetur infra. Gravior pœna, scilicet excommunicatio major, irrogatur iis « qui propriæ temeritatis audacia, ex-« communicatos publice... scienter sepelire præsumunt..., « a qua nullatenus absolvantur nisi prius ad arbitrium diœ-« cesani Episcopi satisfactionem exhibuerint competentem. » (Cap. *Eos qui*, 1, DE SEPULTURIS, in Clementinis.)

2° Ex altera parte assertionis, qua scilicet declaratur licitum unicuique esse orare privatim pro excommunicatis denuntiatis, concludimus sacerdotem orare posse, etiam intra missam in *memento*, pro excommunicatis; quia hæc oratio reputatur privata. (Gavantus, *Commentaria* in Rubricas Missalis, part. II, tit. VIII, n° 8.) Sed de hac praxi mox fusius dicemus.

773. — II. Quod ad rationem agendi fidelium cum excommunicatis toleratis attinet, vidimus fas esse, ex constitutione Martini V, cum eis communicare tum in humanis, tum in divinis, adjecto tamen quod in eo *excommunicatos nec relevare, nec iis quomodolibet suffragari* intendit Ecclesia.

Hinc oritur duplex dubium : I^um^ an liceat sacramenta ab excommunicato postulare; II^um^ an liceat illum invitare ad assistendum divinis officiis.

Ad I^um^ : dicendum est non prohiberi vi censuræ quominus fideles sacramenta postulent ab excommunicato tolerato; sæpius autem obstare jus naturale, ut præcaveatur occasio scandali. Jus naturale vetat dare occasionem sacrilegæ administrationi sacramentorum et scandalo, nisi urgeat necessitas utrumque permittendi ut obtineatur auxilium quo indigemus : atqui timendum est ne sacerdos excommunicatus se reum sacrilegii constituat sacramenta administrando, et ne fideles scandalizentur ex illa communicatione, si statum ejusdem sacerdotis noverint; ergo, nisi urgeat necessitas sacramenta, aliave auxilia spiritualia, recipiendi, quæ ab altero obtineri commode nequeunt, illicitum erit recurrere ad ministerium sacerdotis excommunicati tolerati.

Ad II^um^ : non deberemus invitare excommunicatos toleratos, et multo minus hæreticos ad sectam separatam pertinentes, ut assistant sacris officiis, solemnitati nuptiarum, exsequiis ecclesiasticis catholicorum, si standum esset severitati veteris disciplinæ. Sed rigor ille videtur consuetudine fidelium et ex benignitate Ecclesiæ temperatus; non solum excommunicati tolerati, et ipsi hæretici, v. g. protestantes recipiuntur absque scrupulo quando Ecclesiam adeunt animo assistendi divinis officiis, modo decenter se habeant, sed et invitantur quoties spes affulget illos occasione solemnitatum et sacrarum cæremoniarum adducendi ad unitatem fidei catholicæ (n° 725).

774. — IV° *Utrum offerre licitum sit S. Sacrificium pro excommunicatis, sive denuntiatis, sive toleratis?*

Ex dictis supra non possunt applicari excommunicatis suffragia Ecclesiæ; cum vero S. Sacrificium non sit suffragium nisi quatenus offertur nomine Ecclesiæ cum participatione bonorum communium, et producat suos effectus essentiales independenter ab illo interventu Ecclesiæ, quæstio est an possit valide et licite offerri pro excommunicatis.

Prænotandum est igitur ad solutionem quæstionis, 1° tri-

plicem distingui fructum S. Sacrificii, unum quem producit *ex opere operato*, dummodo nullum obstet impedimentum; alterum qui procedit ex precibus, meritis et suffragiis Ecclesiæ; tertium qui procedit ex opere operantis presbyteri, et quem vocant fructum medium : 2° triplicem illum fructum esse vel generalissimum, in quantum diffunditur in omnes omnino homines, vel generalem prout applicatur omnibus membris Ecclesiæ, vel specialem, prout derivatur per intentionem sacerdotis in eos quos specialiter Deo commendat.

775. — His prænotatis statui possunt sequentes assertiones :

I. Illicitum est offerre sacrificium pro excommunicatis denuntiatis, et pro hæreticis seu schismaticis ad sectam publicam ab Ecclesia separatis, eorum nomen publice intra sacra mysteria pronuntiando. Hæc oblatio publice facta cum memoria nominis excommunicatorum merito censeretur communicatio illa in divinis quam canones vetant. « Sacri cano-
« nes, ait Benedictus XIV, pro excommunicatis orari publice
« vetant, uti cautum legitur in cap. *A nobis*, 28, et in cap.
« *Sacris*, 38, DE SENT. EXCOMM. Et quamvis id non obstet quo-
« minus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita
« præstari non debet ut eorum nomina in solemni sacrificii
« prece pronuntientur, quod plene congruit veteri disciplinæ.
« Satis est in eum finem, mente animoque Deum optimum
« maximum rogare ut aberrantes ad viam salutis et ad sanctæ
« Matris Ecclesiæ sinum reducere dignetur... Neque ut huic
« christianæ charitatis officio satisfiat, necesse est intervertere
« leges Ecclesiæ quæ a fidelium sibi obsequentium catalogo
« excludit eorum nomina qui se ab illius unitate et obedien-
« tia separarunt; quæque dum prohibet ne pro his publice
« oretur, eorum certe commemorationem ab officio Missæ,
« quæ publicum est sacrificium, excludit. » (Const. *Ex quo*, an. 1756.)

776. — II. Licitum est offerre sacrificium in genere pro omnibus excommunicatis, etiam denuntiatis, hæreticis, schismaticis, ut redeant ad unitatem catholicam, et item probabiliter pro nonnullis in individuo, vivis aut defunctis, modo non pronuntietur illorum nomen, sacerdos suam intentionem secreto ad Deum referat, et non intendat illis communicare seu applicare suffragia Ecclesiæ.

Prima pars probatur ex praxi Ecclesiæ quæ preces publicas habet et missas pro *tollendo schismate*, pro hæreticorum conversione, pro salute omnium peccatorum : porro quoties sacerdos in eum finem celebrat, offert reipsa sacrificium pro excommunicatis quorum singuli, pro suis quisque dispositionibus, fructum sacrificii percipit.

Secunda pars eadem fere ratione probatur; si enim licitum sit offerre sacrificium pro omnibus peccatoribus et excommunicatis in genere, cur item non liceret offerre pro quibusdam in specie? Benedictus XIV refert, nec ullo modo improbat textum Bellarmini in quo dicitur licere sacrificium offerre pro aliquorum hæreticorum conversione, « modo nihil adda- « tur ad missam, sed solum per intentionem sacerdotis ap- « plicetur sacrificium. » Re quidem vera, quando S. Paulus nos admonet orare pro omnibus hominibus in sacris mysteriis, id non solum pro omnibus in communi commendat, sed etiam pro singulis; debemus enim unumquemque in singulari his orationibus adjuvare. Insuper, pro illis offerri potest sacrificium pro quibus ipse Christus se Deo Patri obtulit : atqui Christus pro excommunicatis, sicuti pro aliis peccatoribus se obtulit. Nihil denique obstat, neque ex natura rerum, neque ex parte Ecclesiæ. Non quidem ex natura rerum; quamvis enim excommunicatus sit exsors suffragiorum Ecclesiæ, non idcirco est incapax recipiendi gratias quæ, aliter quam per communionem ecclesiasticam, a Christo directe vi sacrificii procedunt. Nec etiam ex parte Ecclesiæ, quæ nusquam vetuit rationem illam offerendi sacrificium de qua disserimus. Ita

plures theologi graves, ex quibus Sylvium citabimus qui rem bene exponere nobis visus est. « Responsio probabilis est, « inquit, sicut publicas orationes, ita et sacrificium licite of- « ferri posse pro omnibus fidelibus, etiam excommunicatis, « hoc est pro hæreticorum et aliorum excommunicatorum sa- « lute et conversione : ita tamen, ut quando fuerint de nu- « mero eorum qui per capitulum *Ad evitanda* debent vitari, « duo observentur : prius, ut nullius ipsorum nomen publice « exprimatur...; posterius, ut quatenus sacerdos offert sacri- « ficium, veluti minister Ecclesiæ, pro Ecclesia seu membris « Ecclesiæ, non offerat illud pro hæreticis vel excommuni- « catis, saltem illis qui vitari debent, quia neque ipsi sunt « membra Ecclesiæ, neque licet eos facere participes illorum « suffragiorum quæ fiunt pro Ecclesia seu ejus membris, « cum ab ea sint per excommunicationem præcisi, atque ut « tales palam ac publice cogniti... Quare dicimus esse licitum « orare pro excommunicatis : primo quidem in *memento*, « ubi sacerdoti conceditur specificare quos voluerit...; deinde « in collectis aliisque precibus quæ fiunt ad altare; modo sic « intentio sacerdotis ad eos, seu pro iis, eorumve correctione « dirigatur, ut non publice nominentur, neque pro ipsis si- « cut pro aliis qui de Ecclesia sunt, officia ista publica insti- « tuantur[1]. »

Hæc assertio nobis visa est satis fundata : cum tamen plures alii eam non admittant, rati nempe Ecclesiam prohibuisse ne sacerdos ministerio publico fungatur in gratiam excommunicatorum quos a sua communione præcidit, qui conscientiam ea de re dubiam habent, possunt ita conditionate offerre pro excommunicatis, ut animo habeant suas intentiones ad mentem Ecclesiæ componere.

[1] Sylvius, *Commentarium* in III^am^ part. S. Thomæ, quæst. LXXXIII, q. 9. — Billuart, *de Religione*, dissert. II, art. VI. — Suarez existimat sacrificium oblatum a ministro, ut personam Christi ferente, non vero nomine Ecclesiæ, prodesse excommunicatis, sed sacerdotem offerentem peccare, disp. IX, sect. IV.

Diximus offerri posse pro excommunicatis *vivis aut defunctis*. Præcipue offertur pro vivis, ut nempe ad Deum pie convertantur; si vero jam defuncti sint et sit ratio præsumendi eos ob sinceram contritionem in statu gratiæ decessisse, arbitramur illicitum non fore pro illorum sublevamine Deum exorare, in persona Christi sacrificium offerendo.

777. — III. Probabile est sanctum sacrificium applicari posse, etiam nomine et cum suffragiis Ecclesiæ, excommunicatis toleratis. « Adest ea de re duplex sententia probabi-« lis, » ait S. Alph. Liguori. Si stemus juri stricto, prout continetur in Decretalibus et in constitutione Martini V, dicendum videtur nequaquam id licitum esse; siquidem in ea constitutione declaratur excommunicatos non relevari, nec eis *quomodolibet suffragari*, ex indulgentia qua utitur Ecclesia in gratiam fidelium, concedendo ut possint communicare cum excommunicatis non denuntiatis. Ita sentiunt plures doctores graves, inter quos Suarez [1]. Hæc tamen animadvertere juvat : 1° Plures alii contrariam opinionem tenent, unde sequitur non certam esse ea de re prohibitionem Ecclesiæ; 2° ex ipsamet constitutione Martini V, licitum est missam celebrare, et ritus consuetos ac preces communes adhibere in exsequiis excommunicati tolerati, cui etiam sepultura ecclesiastica datur : porro ritus sacri et preces sepulturæ includunt, sensu obvio, communicationem suffragiorum, nec supponere licet mentem agentium non concordare cum ritibus quos peragunt, cum precibus publicis quas recitant; 3° Martinus V noluit quidem favere directe, nec suffragari excommunicatis; sed ex eo quod annuerit ut fideles cum illis communicent in ritibus externis, sequitur illum indirecte iisdem excommunicatis aliquem favorem attulisse, siquidem preces concessæ, ac se-

[1] Suarez, disput. IX, sect. II, n^is 17-20. — Collet, part. II, cap. I, art. III, sect. I, momenta utriusque opinionis exponit. — Cf. S. Liguori, lib. VII, n^is 165, 164. — Card. de Lugo, *de Eucharistia*, disp. XIX, sect. X, n^is 187-191.

rio factæ uti fieri debent, inducunt aliquam participationem suffragiorum. Hæc, si non certo probent, sufficiunt saltem ad dubium grave, quo stante, nobis licet eam partem sequi quam ex benignitate Ecclesiæ probabiliorem et favorabiliorem bono spirituali excommunicatorum existimamus.

778. — IV. Ex dictis solvitur alia quæstio, an liceat stipendium recipere, occasione sacrificii quod oblatum fuerit pro excommunicatis. Canones qui prohibuerunt olim ne oblationes ab hæreticis reciperentur, intelliguntur de oblatione facta ad altare, non de oblatione privata. Dubium quidem superest, an suffragia Ecclesiæ prosint excommunicatis toleratis; verum cum id valide et licite posse fieri multi probabiliter arbitrentur; cum aliunde probabile sit applicari posse excommunicatis etiam non toleratis fructum qui non ex suffragiis Ecclesiæ, sed ex ipso sacrificio, opere operato procedit, concludimus sacerdotem posse recipere stipendium, modo absit periculum scandali. « Non video, ait Billuart, cur non « liceret sacerdoti celebrare pro excommunicato, etiam non « tolerato, sive accepto, sive non accepto ab eo stipendio. » (*De Religione*, dissert. II, art. VI.)

Diximus *modo absit periculum scandali*. Sive promittatur S. Sacrificii oblatio sensu quem explicavimus, sive recipiatur stipendium ea occasione, summopere cavendum ne fideles suspicentur ex agendi ratione sacerdotis, rem esse in causa salutis indifferentem an aliquis vixerit catholicus aut hæreticus, et omnes æque Deo commendari, quod certe falsissimum esset, ac scandalosum infirmis.

779. — V° *In quos statui possit pœna excommunicationis majoris?*

I. Excommunicatio major statuitur solummodo contra christianos qui sunt in via et qui peccatum grave perpetrarunt. Mortui possunt quidem improprie et indirecte excommunicari, eo scilicet sensu quod Ecclesia potest præcipere ut suffragia communia non applicentur, utque sepul-

tura ecclesiasticam non concedatur certis defunctis; sive quia comperit eos a communione fuisse seclusos dum viverent, propter aliquod delictum cui annexa erat censura; sive quia comperit eos atrocia crimina commisisse ante suam mortem, propter quæ merentur privari honore cæteris fidelibus concesso. Tunc vero non fertur censura in defunctos, sed præceptum imponitur vivis. Hæc interdictio non habet rationem excommunicationis; si quidem non directe afficit defunctos, nec ad illorum emendationem ordinatur, sed potius ad terrorem peccatoribus incutiendum, ut resipiscant, dum adhuc in terra versantur[1].

II. Excommunicatio major statuitur contra individuos, non contra communitatem. « In universitatem vel collegium pro-« ferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, ait « Innocentius IV : volentes animarum periculum vitare quod « exinde sequi posset, cum nonnumquam contingeret in-« noxios hujusmodi sententia irretiri : sed in illos duntaxat de « collegio vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, « promulgetur. » (Cap. *Romana*, 5, DE SENT. EXCOM., in VI.) Ratio est quod bona quibus principaliter privat excommunicatio et actus quos excommunicato interdicit, sunt personalia, regulariter loquendo ; ergo infligi solummodo debet ob culpas personales. Quoad certos actus, et usum privilegiorum quibus privaretur collegium vi excommunicationis, magis opportunum est ut iisdem privetur per suspensionem, aut per interdictum, sensu infra exponendo.

III. Excommunicationes majores a jure latæ modo indefinito, omnes æque afficiunt qui delictum cui annexæ sunt commiserint, non exceptis Prælatis majoribus, ut dictum est supra. (N° 757.)

[1] Cf. quæ acta sunt in concilio V, occasione trium capitulorum, apud Labbe, tom. V, col. 365 et seq. ; col. 596 et seq. — Suarez, disput. v, sect. I, n^is 5-15.

780. — VI° *Qui incidant in excommunicationem minorem, et qui sint effectus hujus excommunicationis?*

I. Ili solum, jure communi, incidunt in excommunicationem minorem qui communicant cum excommunicatis denuntiatis, in casibus jure prohibitis, nisi causa necessitatis, vel etiam veræ utilitatis, excusentur.

II. Excommunicatio minor privat hominem receptione sacramentorum et voce passiva in electionibus, uti deducitur ex declaratione Gregorii IX : « Si celebrat minori excom-« municatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen « notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel « ea quæ ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere. Si « tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, « pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur a quorum « perceptione a sanctis Patribus est privatus. Peccat autem « conferendo ecclesiastica sacramenta : sed ab eo collata « virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, « sed participatione sacramentorum, quæ in sola consistit « perceptione, remotus. » (Cap. 10, DE CLERICO EXCOMMUNICATO MINISTRANTE.)

Prior effectus est interdictio a receptione sacramentorum, quod de omnibus indiscriminatim sacramentis intelligitur. Nec Pœnitentiam, nec Communionem, nec Extremam-Unctionem recipere potest ligatus excommunicatione minori, nisi prius a censura absolvatur ; quod cæteroquin non est ipsi difficile assequi, cum, ex dicendis infra, omnis sacerdos pro administratione sacramenti approbatus, valeat absolvere ab illa excommunicatione.

Controvertitur apud canonistas an peccet excommunicatus, si conferat sacramenta. Textus allatus e Gregorio IX affirmare videtur ; sed cum ibidem Pontifex addiderit ligatum excommunicatione minori non collatione, sed participatione quæ in perceptione sacramentorum consistit, esse privatum, sequitur eum non peccare, nisi ea sacramenta conferat quæ

dare non potest nisi ipse participet, uti v. g. Episcopus sacros ordines conferens, vel sacerdos Eucharistiam consecrans, qui sanctum sacrificium perficere tenetur communione sacramenti [1].

Alter effectus est inhabilitas ad assequendum officium, et beneficium, quæ quidem non est adeo absoluta, ut electio excommunicati sit ipso jure nulla, sed *irritanda est... si talis scienter electus fuerit*, ut dicitur in cap. *Si celebrat.* Quamobrem requiritur sententia judicis, et judex non debet electionem irritare, nisi facta sit *scienter*. De sensu hujus clausulæ, an sufficiat quod ipse electus noverit se excommunicatum, an scire debuerint electores, an electores simul et ipse electus, non consentiunt canonistæ. Probabilius videtur clausulam referri ad ipsum electum, qui privandus est officio, si, quando ipsi collatum est, sciebat se censura ligari. Fatendum est ideo irritari electionem quia excommunicatus est inhabilis ad officia, ratione ipsius censuræ, et hanc causam subsistere, sive cognoverit, sive ignoraverit excommunicationem minorem; sed merito conjicitur ex verbis Gregorii IX, indulgentia utendum esse, nec amplius haberi rationem hujus incapacitatis, quando constiterit electum bona omnino fide officium sibi collatum suscepisse.

§ 3. — *De suspensione.*

781. — I° *Quid et quotuplex sit suspensio?*

I. Suspensio est censura qua clericus delicti reus privatur in totum, vel partim, usu jurium et attributionum clericalium quæ sibi competunt.

Suspensio fertur solum in clericos et in communitatem clericorum, in quo ab aliis censuris differt. Præterea quando fertur in individuos, ut fit communiter, non afficit

[1] Suarez, disp. XXIV, *de Excommunicatione minori*, n^is 5-12.

nisi clericos sacris ordinibus initiatos et beneficiatos; siquidem qui sunt in minoribus constituti, et aliunde nullum beneficium possident, non habent jura peculiaria quibus priventur, cum etiam laicis, in statu præsenti disciplinæ, licitum sit obire munia quæ clericis inferioribus demandantur. Nihil tamen obstat ex parte juris, quominus et ipsi clerici minores censura suspensionis affici possint, cujus effectus esset 1° eos impedire quominus functiones ordinum minorum exerceant tanquam clerici; 2° eos inhabiles efficere ad beneficium obtinendum.

782. — II. Duplex distinguitur suspensio : suspensio *medicinalis* qua afficitur clericus delinquens ut resipiscat, et quæ est censura proprie dicta ; suspensio *pœnalis* qua clericus plectitur in vindictam delicti. Alia est suspensio late et improprie dicta, quæ nec medicinalis est, nec pœnalis, sed ob motivum ordinis publici statuitur.

Suspensio medicinalis et pœnalis in quibusdam concordant, in cæteris differunt.

Concordant præsertim in his tribus : 1° quod utraque supponat culpam ; non enim aliam ob causam infligi potest censura sive consideretur ut medium resipiscentiæ sive ut pœna; 2° quod utraque iisdem juribus, seu attributionum clericalium usu, nempe exercitio ordinis, officii et beneficii privet; 3° Quod alterutrius violatio per usum sacrorum ordinum inducat irregularitatem. Hoc ultimum assertum, quod gravis est momenti, probatur 1° ex cap. *Cum æterni*, I, DE SENTENTIA ET DE RE JUDICATA et cap. *Cum medicinalis*, 1, DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, in VI, ubi declaratur clericum qui violat suspensionem latam ad tempus præfixum, ac proinde ex mox dicendis pœnalem, incidere in irregularitatem secundum canonicas sanctiones. 2° Ex declarationibus S. Congregationis Concilii, quæ sæpius casus propositos ita resolvit, uti videre est in declaratione nuper data die 8 aprilis 1848 super causa parochi diœcesis Lucionensis. 3° Ex

sententia doctorum. Non desunt theologi et juris interpretes, magni quidem nominis, qui existimant irregularitatem non contrahi ex violatione suspensionis, quoties hæc mere pœnalis agnoscitur. Alii cum S. Alph. de Liguori, distinctione habita inter casum quo suspensio lata fuerit per modum statuti aut præcepti ob crimen futurum vel etiam præteritum, sed habens effectum successivum (n° 706), et casum quo lata fuerit per sententiam ab homine ob meram punitionem criminis omnino præteriti, arbitrantur transgredientem suspensionem in hoc ultimo casu non incurrere in irregularitatem. At longe communius cæteri docent, absque ulla distinctione, irregularitatem contrahi ob spretam suspensionem, sive proprie censura sit, sive pœna; quia, inquiunt, suspensio quæ est mera pœna privat sacro ministerio, quamdiu durat, eodem prorsus modo ac altera suspensio quæ est proprie censura, nec minus indecens est ut suspensus in pœnam delicti, divinis se ingerat, quam qui ob contumaciam est censura suspensionis obstrictus [1].

Suspensio medicinalis et pœnalis inter se differunt triplici ratione. 1° Suspensionem medicinalem præit semper monitio, seu juridica seu ab homine, quod jure requiritur quoties agitur de censura irroganda; nulla autem monitio necessaria est ad ferendum suspensionem pœnalem : sufficit ut reus citetur, et sit convictus delicti. 2° Suspensio medicinalis aufertur quando reus resipiscit, quandoquidem in hunc finem lata est; pœnalis fertur ad tempus determinatum, vel indefinite ad beneplacitum superioris. 3° Suspensio medicinalis aufertur absolutione, uti alia quævis censura ; pœnalis cessat tempore elapso ad quod fuit imposita, vel dispensatione a superiore impetrata.

Suspensio late et improprie sumpta differt a suspensione

[1] *Thesaurus resolutionum* S. Congregationis Concilii, tom. CVIII, pag. 159 et 160. — Suarez, disput. xxvi, sect. ii, n° 4. — S. Liguori, n° 314. — Collet, *de Censuris*, part. II, cap. ii, art. 3.

medicinali et pœnali, tum ex parte causæ, tum ex parte effectuum. 1° Non supponit culpam in eo cui interdictum fuit exercitium jurium sui ordinis et officii, sed ferri potest ex aliqua ratione decentiæ et boni publici. Cum jura et attributiones diversæ status clericalis magis directe referantur ad utilitatem communem quam ad bonum privatum clericorum, æquum est ut illorum exercitio priventur clerici, quando requirit communis illa Ecclesiæ fideliumque utilitas. Hinc fit ut hujusmodi suspensio locum habeat quando sacerdos est ita infirmitate gravatus aut senio confectus, ut jam non valeat decenter fungi sacris ordinibus ; item quando est publice infamatus propter vehementem suspicionem, usquedum se canonice purgaverit, aut alio modo cesset suspicio popularis (cap. *Inter sollicitudines*, 10, DE PURGATIONE CANONICA) ; etiam quando in illius ordinatione recessum est, ipso licet ignorante, a regulis jure canonico præfixis, propter quod constitutum fuit ordinatum non debere ordinibus ita susceptis fungi, donec legibus fuerit satisfactum. (Cap. *Cum quidam*, 8, *Vel non est compos*, 14, DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.) 2° Violatio suspensionis late sumptæ non inducit irregularitatem : « Si quis, « ait Collet, exerceat ordines contra prohibitionem Episcopi « qui id vetuerit non ob aliquam culpam ministri, sed ob « inculpabilem ejus defectum, haud incurretur irregularitas, « quia talis suspensio nec censura est, nec pœna delicti. » Ita Suarez, disp. XXVII, sect. IV, et alii canonistæ. Ratio est quod jus non indixit irregularitatem in illo casu.

783. — II° *Qui sint effectus suspensionis ?*

Ex ipsa definitione, quam communiter tradunt canonistæ, perspicuum est suspensionem non auferre jura, seu attributiones quæ clerico competunt ratione sui status et tituli, sed privare tantummodo usu eorumdem jurium. Ut vero discernatur quousque se extendat hæc privatio, distinguere necesse est inter suspensionem totalem et suspensionem partialem.

I. Suspensio censetur totalis quoties statuitur simpliciter,

absque limitatione. Nulla quippe est ratio cur hæc suspensio ad unum potius quam ad alterum limitetur; si superior velit partialiter solum suspendere, necesse est ut suam mentem explicet. Ita communiter. Porro, suspensio totalis privat simul exercitio ordinum sacrorum, officii, et beneficii.

Hinc suspensus non potest sacra mysteria celebrare, sacramenta administrare, præesse divinis officiis, censuras ferre aut ab eis absolvere, concedere dispensationes quæ ipsi competunt ratione tituli sui, percipere fructus beneficii, nec eos sibi retinere.

II. Suspensio est partialis, quando aliquis declaratur suspensus ab ordine, nulla facta mentione de officio; aut vicissim suspenditur ab officio, non ab ordine; vel tandem censura refertur solum ad beneficium.

Suspensio ab *ordine* est quandoque totalis relative ad exercitium cujusvis ordinis sacri, si nempe aliquis universim interdicatur sacris functionibus ordinum. Haud raro suspensiones latæ in jure præfiniunt in specie aliquam e functionibus sacrorum ordinum, v. g. collationem ordinum, usum pontificalium, exercitium ordinis ultimo suscepti, etc. Si quis igitur suspensus sit ab ordine superiori, poterit exercere ordinem inferiorem. Suspensus a pontificalibus ea omnia exercere potest quæ sunt ordinis sacerdotalis, modo non adhibeat insignia episcopalia. Suspensus a presbyteratu potest exercere functiones diaconi.

Suspensio ab *officio* potest etiam protendi ad omnia universim quæ complectitur officium ecclesiasticum, vel ad partem definitam; quapropter sedulo pensanda sunt verba legis, et sententiæ a superiore prolatæ. Notare refert suspensionem illam, quamvis absolute pronuntiatam, non extendi ad beneficium. Licet hæc duo, officium et beneficium, sint aliquatenus connexa, et unum datum sit ob alterum, possunt tamen ab invicem separari, uti concludimus ex cap. *Cum medicinalis*, 1, DE SENT. EXCOMM. in VI, ex Cap. *Inter sollicitudines*, 10, DE

Purgatione canonica, et ex aliis decretalibus. Nihil obstat quominus clericus possit percipere fructus beneficii dum interdicitur officio; ipsi namque incumbit, durante etiam suspensione, onus recitandi horas canonicas, beneficium administrandi, et providendi de aliquo qui suo munere fungatur. Præterea id concedere potuit Ecclesia ne clericus in mendicitatem incidat. Ex quo autem beneficium et officium possunt separari unum ab altero, sequitur suspensionem ab officio non includere suspensionem a beneficio.

Suspensio a *beneficio* privat jure percipiendi fructus beneficii, et jure ipsum beneficium administrandi; unde sequitur œconomum, seu administratorem beneficii esse constituendum, ut supponit cap. *Statuimus*, 1, de Electione in IV°, ubi interdicitur suspenso ne se ingerat in sua beneficia.

784. — Nonnulla exinde oriuntur dubia, utrum scilicet suspensus a beneficio possit partem redituum qui sibi necessarii sunt retinere: utrum efficiatur inhabilis ad nova beneficia acquirenda : utrum effectus hujus suspensionis locum habeat in nostris regionibus.

1° Qui interdictus fuit sacro ministerio, suspensione pœnali, potest, si indigeat, retinere ex fructibus beneficii partem necessariam ad suam sustentationem, ne mendicare cogatur cum detrimento sui ordinis. Non est in illius potestate, cum pœna inflicta fuerit ad tempus præfinitum, ut suspensio illa tollatur; quantumvis enim resipuerit, illam subire tenetur. Potest igitur ex suo beneficio partem fructuum retinere, non tamen proprio arbitrio, sed auctoritate superioris, nisi suspensio sit jure lata et occulta. Qui suspensus est censura proprie dicta, nihil percipere, nec retinere debet ex fructibus beneficii, nisi ex indulgentia superioris. « Sua enim voluntate, ait Suarez, et culpa quasi continue du-« rante, patitur necessitatem qua facile liberari poterit re-« cedendo a contumacia : sic enim absolvetur, et fructibus « sui beneficii frui incipiet. » (Disput xxvii, sect. ii, n° 5.)

Fructus beneficii quos clericus amisit vi suspensionis, non recuperantur sublata suspensione, quia privatio est ita absoluta ut nullum jus in hæc bona relinquat. Si, obtenta absolutione, velit clericus conservare fructus quos forte præter fas recepit, dum censura obstrictus erat, necesse est ut adeat S. Pontificem.

2° Certum est suspensionem non auferre jus acquisitum in beneficia jam obtenta; utrum autem inducat inhabilitatem ad recipiendum nova beneficia, quamdiu durat, non consentiunt canonistæ. Omnes docent illicitam fore collationem beneficii clerico suspenso, quod deducitur ex capite *Cum dilectus*, 8, DE CONSUETUDINE. Innocentius III, quæstione de electione cujusdam clerici in abbatem ad Sanctam Sedem delata, respondit : « Quia nobis constitit electionem ipsam a « suspensis et de suspenso etiam celebratam, eam justitia « exigente cassavimus. » Ratio est quod nemo ad officia eligendus sit a quorum participatione est privatus, uti dicitur in capite *Si celebrat*, supra citato (n° 780): atqui clericus suspensus absolute, vel ab officio, non potest fungi ministeriis, nec jurisdictionem exercere, quæ officio connexa sunt; ergo nec ad ea eligi debet. Hæc cum ita sint, concludendum videretur electionem fore ipso jure irritam : verumtamen ea de re controvertitur apud canonistas, et plurium est sententia collationem non irritari ipso jure, sed irritandam esse sententia judicis, si causa ad forum externum deducatur. Hanc opinionem probabilem habemus, quia nullitas non exprimitur in jure, sed tantummodo concluditur ex principiis generalibus clericum suspensum non esse promovendum ad officia : porro, pœna adeo gravis admitti non debet nisi statuatur in lege verbis expressis, aut ex ipsa lege certo argumento, absque ulla ambiguitate, sequatur. Ita Suarez, disput. XXVI, sect. III, n° 8. S. Alph. de Liguori, n° 316; Collator Andegavensis, *sur les Censures*, XIII^e *conférence*, IV^e *question*.

3° Effectus suspensionis locum habet in statu præsenti Ec-

clesiarum Galliæ, eadem ratione qua in statu rerum præterito, licet aliquatenus diversa sit conditio beneficiorum. Vidimus in sectione *de Beneficiis* hanc diversitatem non impedire quominus pensiones solutæ a gubernio civili titularibus officiorum, ex conventione inita cum Sancta Sede, induant naturam bonorum ecclesiasticorum (n° 594). Clericus igitur qui suspensus est a beneficio, non potest sibi retinere pensionem quam a gubernio recepit; sed gerere se debet eodem modo qui cæteris beneficiatis jure communi præcipitur, quando in hanc censuram incurrerunt. Si suspensio sit ab homine, Episcopus potest clericum privare fructibus beneficii, recurrendo, si opus sit, ad gubernium [1].

785. — III° *Quandonam suspensio ferri possit in communitatem et qui sint effectus hujus suspensionis?*

I. Suspensio ferri potest in communitatem duplicem ob causam : 1° quando communitas ipsa agendo capitulariter, in actionibus scilicet et exercitio jurium quæ ad illam proprie pertinent, graviter transgressa est leges canonicas, adeo ut Episcopus opportunum judicet illam pœna afficere ut removeatur scandalum et ordo publicus restituatur (n° 414); 2° quando plerique privati ex quibus constat communitas delictum grave perpetraverunt unde contaminatur corpus; inordinatio enim majoris partis membrorum non immerito ipsi corpori tribuitur, illudque inhonorat in publica æstima-

[1] Decretum diei 17 nov. an. 1811 ita statuit art. I : « Dans le cas où un « titulaire se trouverait éloigné temporairement de sa paroisse, un ecclé- « siastique sera nommé pour le remplacer provisoirement, et cet ecclésias- « tique recevra, outre le casuel auquel le curé ou le desservant aurait eu « droit, une indemnité. II. Si le titulaire est éloigné pour cause de mauvaise « conduite, l'indemnité du remplaçant provisoire sera prise sur le revenu « du titulaire, soit en argent, soit en biens fonds. » Articuli subsequentes statuunt modum et mensuram indemnitatis quæ articulo 1° attribuitur clerico ab Episcopo designato ut locum titularis suppleat. Decretum anni 1811 ex integro refertur in libro *Code des Fabriques*, tom. I, *Introduction*. LXXIII.

tione. In alterutro casu suspensio potest, vel solam communitatem, vel communitatem simul et privatos æque directe afficere.

II. Effectus suspensionis varius est prout lata fuit absolute aut partialiter, in solam communitatem, aut simul in singula membra.

Si suspensio sit absoluta, scilicet totalis, privat communitatem usu suorum jurium in divinis, in officio, et in bonis temporalibus : capitulum, v. g., eo modo suspensum, non potest celebrare officia publica chori ab eo exerceri solita; nec uti jurisdictione quæ regulariter ipsi competit, adeo ut ipsius actus essent invalidi si præsumeret suis juribus uti, non obstante censura; nec tandem recipere fructus beneficiorum, si quæ forte habeat beneficia sibi unita. Hinc etiam sequitur singulares canonicos, tametsi non forent personaliter ligati, non posse actus jurisdictionis capitularis exercere, nec functiones capitulares; nam « cum suspensum sit totum, « ait Andreucci, consequens fit ut partes non possint opera- « tiones totius tunc efficere[1]. »

Si suspensio afficiat simul membra singula et corpus, quod ex modo quo lata fuerit dignoscetur, singuli privati qui delicto propter quod censura lata fuit participaverunt, obnoxii erunt omnibus effectibus personalibus suspensionis quos in solutione quæstionis præcedentis exposuimus. Cæteri qui delicti participes non fuerint, immunes a censura remanent; « cum peccata suos auctores tenere debeant, nec pœna sit « ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente « repertum, » ut dicitur in cap. *Quæsivit*, DE HIS QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITULI, lib. III Decret.

[1] Andreucci, *de Tuenda Pace inter Episcopum et capitulum*, part. I, § 11, n° 65. — Cf. Suarez, disput. XXVII, sect. III.

§ 4. — *De interdicto.*

786. — I° *Quid et quotuplex sit interdictum?*

I. Interdictum est censura prohibens usum quarumdam rerum ecclesiasticarum, quibus utendi jus competit omnibus fidelibus.

Interdictum convenit cum excommunicatione et suspensione in eo quod delinquentes et contumaces privat participatione quorumdam bonorum spiritualium ut eos ad resipiscentiam adducat; differt vero ab utraque ob rationem sibi propriam. Distinguitur nimirum a suspensione quæ clericos solum afficit et privat usu attributionum sui status, dum interdictum in laicos æque ac in clericos statui potest, quia delinquentes privat usu bonorum quibus omnes participant. Distinguitur insuper ab excommunicatione quæ delinquentes privat usu bonorum spiritualium quatenus illos separat a communione externa Ecclesiæ ex qua hæc bona derivantur. Interdictum privat quidem participatione quorumdam bonorum quæ sunt, si dicere fas est, juris publici inter fideles, sed non aufert communionem externam cum Ecclesia.

II. Interdictum multiplex distinguitur pro diverso respectu. Ratione motivi quo statutum fuit, est *pœnale*, aut *medicinale*. Hæc prima divisio explicatur ex dictis supra ubi de pœnis in genere, et de suspensione in specie.

Ratione subjecti, est *personale*, *locale* aut *mixtum*. Interdictum *personale* afficit immediate personas quæ privantur usu quorumdam bonorum. *Locale* afficit immediate loca, v. g. ecclesiam, parochiam, urbem, sed indicitur ob peccata commissa, alioquin nec censura, nec pœna foret. Si Episcopus prohibuerit quominus officia divina habeantur in Ecclesia cui periculum ruinæ imminet, vel ne usu adhibeantur in divinis officiis paramenta vetustate deformata, non est vere inter-

dictum, sed mera prohibitio cujus violatio non eosdem effectus inducit. Interdictum *mixtum* afficit immediate personas et locum : cadit simul in loca quatenus interdicitur ne ibi sacrum fiat, et in personas quæ prohibentur divinis frui iisdem in locis.

Ratione extensionis, est *totale* aut *partiale*, *generale* aut *speciale*. Interdictum totale omnes effectus mox enumerandos habet : partiale quosdam solum juxta sanctiones canonicas, vel juxta temperamentum sententiæ prolatæ. Interdictum generale afficit omnia indistincte loca quæ sunt intra fines civitatis, aut provinciæ, quæ censuræ subjacet : si personale sit, extenditur ad omnes incolas ejusdem civitatis, aut provinciæ : quando speciale est, afficit certa loca, vel personas determinatas. Interdictum *generale personale* obstringit omnes personas communitatis quamdiu ad communitatem pertinent; interdictum vero *particulare personale* attingit personas individue, easque sequitur quocumque ierint, mutato domicilio. Interdictum *generale locale* attingit loca profana æque ac sacra, adeo ut nullibi fas sit sacra agere, nec in Ecclesiis, nec in domibus profanis, intra fines loci qui subjacet censuræ.

Ex definitione data interdicti generalis, et simul ex praxi Ecclesiæ quæ olim sæpius statuit pœnam hujusmodi, oritur dubium, qua scilicet ratione puniri possint innocentes; perspicuum enim est multos, ex iis qui subjacebant interdicto generali, nullatenus participes extitisse delicti quod censuræ locum dederat.

Ut solvatur objecta difficultas, notandum est interdictum generale non nisi ob culpam gravissimam, et quadamtenus communem, potuisse decerni. Bonifacius VIII animadvertit judices ecclesiasticos sæpius protulisse sententias absque causa sufficiente, quod multorum malorum occasio fuit, quandoquidem interdicti tempore homines « participantes rarius « sacramenta, minus inflammantur et solidantur in fide :

« fidelium tepescit devotio, hæreses pullulant, et multipli-
« cantur pericula animarum. » Quapropter edicto providit
« ut nulla provincia, civitas, villa... auctoritate ordinaria,
« vel delegata, supponatur ecclesiastico interdicto pro pe-
« cuniario debito, vel pro cujusvis pecuniæ quantitate,
« quacumque occasione vel causa, seu quovis quæsito co-
« lore. » (Cap. *Provide*, 2, DE SENTENTIA EXCOMM. Extrav. comm.) Leo X statuit præterea, in concordato cum Francisco I,
« quod nulla civitas, oppidum, castrum, aut locus interdicto
« ecclesiastico supponi possit, nisi ex causa seu culpa ipsorum
« locorum aut domini, seu rectoris vel officialium. » (Tit. XV concordati, *de interdictis non leviter ponendis.*) Id servandum ubivis gentium docent celebriores canonistæ, qui simul explicant delictum esse aliquatenus omnibus loci incolis commune quando patratum fuit a domino loci, vel ab ipsamet communitate qua tali, vel etiam a majori parte personarum quibus constat communitas, tametsi id non egerint nomine communitatis.

His positis legitima datur causa interdicti. Delictum publice perpetratum a duce communitatis censetur commune in morali existimatione hominum. « Sicut talis culpa capitis
« quodammodo redundat in corpus propter conjunctionem,
« ait Suarez, et potestas superioris est quodammodo totius
« communitatis; ita e converso talis pœna totius corporis
« redundat in caput et auget afflictionem illius, quia sub-
« diti aliquid moraliter sunt ipsius domini seu prælati. »
(Disput. XXXVI, sect. III, n° 5.) Si delictum non sit a duce perpetratum, nec ab ipsa communitate processerit, sed a pluribus personis, erit etiam commune si excessum tolerent magistratus et ipsa communitas patienter sufferat, dum obsistere posset. Concludamus igitur hujusmodi pœnam, licet afficiat innocentes, non esse injustam, cum sint partes communitatis cui merito attribuitur delictum; « tum maxime
« quia, cum Ecclesia præcipue ferre soleat hanc censuram

« propter suam auctoritatem et dignitatem tuendam, mirum « non est quod interdum permittat privata incommoda, « propter hoc bonum commune quod majus est. » (Suarez, loc. cit., n° 11.)

Hæc, quamvis non sint in usu hodierna ætate, animadvertenda duximus ne temere judicetur de veteri Ecclesiarum disciplina[1].

787. — II° *Qui sint effectus interdicti totalis?*

Interdictum totale triplicem effectum habet : 1° privat quorumdam sacramentorum participatione; 2° obstat quominus celebrentur officia divina; 3° impedit ne detur sepultura christiana.

1° Privat quorumdam sacramentorum receptione, scilicet: Eucharistiæ, Extremæ Unctionis et Ordinis. Conceditur communio per modum viatici iis qui constituti sunt in proximo periculo mortis. (Cap. *Quod in te*, 11, DE PŒNITENTIIS ET REMISSIONIBUS, lib. V Decret.)

Extrema unctio item conceditur in casu quo moribundus non potest confiteri. Baptismus, Confirmatio, et Pœnitentia administrantur tempore interdicti, ne fideles frustrentur gratia sacramentali qua indigent ad spiritualem regenerationem. (Cap. *Quoniam*, 19, DE SENT. EXCOMM. in VI°.) Confirmatio conceditur veluti complementum Baptismi. Matrimonium non prohibetur tempore interdicti, sed est difficultas de benedictione nuptiali. Dari non debet benedictio solemnis exceptis diebus festis privilegiatis, de quibus modo. Quoad benedictionem non solemnem, non inter se consentiunt doctores. Plures affirmant hanc benedictionem dari posse licite, et hanc opinionem probabilem putamus.

2° Obstat quominus celebrentur divina officia, nimirum : Missa, publica recitatio officii, processiones, et alia hujus-

[1] Cf. *Mémoires du Clergé*, tom. VII, col. 1191 et seq., ubi narrantur quæ acta sunt occasione interdicti quod Card. de Sourdis tulit contra civitatem Burdigalæ ob injurias graves sibi illatas a duce d'Epernon. An. 1653.

modi quæ referuntur ad cultum publicum. Sunt vero casus excepti a lege generali quos nimirum indicat Bonifacius VIII in cap. *Alma*, 24, DE SENT. EXCOMM. in VI°. « Singulis diebus « in Ecclesiis et monasteriis Missæ celebrentur et alia dican- « tur divina officia sicut prius, submissa tamen voce et januis « clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campa- « nis non pulsatis... In festivitatibus vero Natalis Domini, « Paschæ, ac Pentecostes, et Assumptionis gloriosæ Virginis, « campanæ pulsentur, et januis apertis, alta voce divina « officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus « exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reverentiam « dictarum solemnitatum... præfatis diebus participationem « permittimus divinorum, sic tamen quod illi propter quorum « excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari « nullatenus appropinquent. »

Concessio facta quoad singulos dies non suffragatur laicis, sed solummodo clericis et regularibus. (*Licet*, 11, DE PRIVILEGIIS, in VI°.) Hi nimirum possunt quotidie divina officia celebrare submissa voce, non quidem in oratoriis privatis, sed in Ecclesiis, et in monasteriis, uti declarat Bonifacius VIII. A privilegio excluduntur qui suis excessibus locum dederunt interdicto.

Altera concessio, quam eadem constitutione Bonifacius fecit, ad omnes fideles extenditur, excommunicatis solum exclusis. Cæteri omnes possunt, non tantummodo præsentes adesse dum sacra mysteria peraguntur, sed participare sacramentis, nisi causam dederint censuræ; hanc facultatem recipiendi præsertim communionem eucharisticam, includit *participatio divinorum*, de qua agitur in cap. *Alma*.

3° Impedit ne sepultura ecclesiastica detur. Excipiuntur a lege generali clerici qui nec specialiter interdicti sunt, nec causam dederunt interdicto; item laici qui privilegium personale obtinuerunt. Hi omnes possunt in loco sacro sepeliri;

at *sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur*, ait Innocentius III, cap. *Quod in te*, 11, DE PŒNITENTIIS ET REMISS. Non excipiuntur infantes, nec ii quibus susceptio sacramentorum fuit specialiter indulta, quia aliud est aliquem donari sacramentis, aliud eumdem in loco sacro sepeliendum.

Hæc, si servarentur in praxi, necessarium esset tempore interdicti defunctos sepelire in campo aliquo, vel loco non benedicto, ab iis quorum interest deputato; sed, pluribus abhinc sæculis, interdicta generalia locum non habent.

788. — III° *Qui sint effectus interdicti partialis?*

Effectus interdicti partialis definiuntur ex textu juris, vel ex sententia judicis, prout interdictum est personale aut locale.

Interdictum partiale, de quo frequentior mentio habetur in Decretalibus est interdictum ab ingressu Ecclesiæ. In illud incidunt qui celebrant in loco interdicto, donec satisfecerint prælato cujus sententiam violaverunt; — qui admittunt ad divina officia nominatim excommunicatos, vel interdictos, donec satisfactionem præstiterint; — qui præsumunt ferre censuras, non servata solemnitate præscripta, aut excommunicare omissis prævis monitionibus. (Cap. *Episcoporum*, 8, DE PRIVILEGIIS in VI°; *Cum medicinalis*, 1, DE SENT. EXCOMM., in VI°; *Sacro*, 48, eod. tit. in lib. V Decretalium.)

Qui sint effectus hujus interdicti declarat Bonifacius VIII in cap. 20, DE SENT. EXCOMM. : « Is cui est Ecclesiæ ingressus « interdictus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa « divinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si « contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat, in « suo agens officio sicut prius. Talis quoque, si hoc inter- « dicto durante decedat, non debet in Ecclesia vel cœmeterio « ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. » Igitur qui hanc censuram incurrit non potest celebrare mysteria in Ecclesia, nec sepeliri in ea; nihil vero obstare videtur quominus

celebret in oratorio privato, si alio ligamine non innodatur. Ipsi præterea vetitum est ingredi Ecclesiam ut oret etiam privatim, quod e textu allato et sensu verborum obvio deducitur.

Effectus indirectus interdicti partialis localis sicut et interdicti totalis, est irregularitas quam incurrunt clerici qui scienter violant interdictum celebratione divinorum mysteriorum. Ex decretali Bonifacii VIII, *Is qui*, 18, eod. titulo : « Is qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, nisi « super hoc privilegiatus existat, aut a jure sit concessum « eidem, irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium « quam per Rom. Pontificem liberari. »

789. — IV° *Quid sit cessatio a divinis et in quo ab interdicto differat?*

Cessatio a divinis est prohibitio clericis indicta celebrandi divina officia et ecclesiasticam sepulturam, non in pœnam delicti ab eis patrati, sed in signum mœroris, vel in reparationem gravis injuriæ Deo illatæ.

Cessatio a divinis et interdictum eosdem effectus immediate producunt, scilicet privationem sancti sacrificii, et sacramentorum quæ non conferuntur nisi fidelibus in periculo proximo vitæ constitutis; multiplici autem ratione ab invicem differunt. 1° Interdictum est censura : cessatio nec censura est, nec proprie pœna, sed simplex prohibitio divinorum; 2° interdictum etiam locale aliquas personas quæ eidem causam dederunt semper afficit : non item cessatio a divinis quæ nunquam fertur directe et absolute in personas, sed in loca tantum; 3° violatio interdicti exercitio ordinum sacrorum inducit irregularitatem, quod non accidit in violatione cessationis, uti docent communius canonistæ; 4° demum cessatio a divinis est, sub certo respectu, aliquid ipso interdicto rigorosius; ea enim durante, nec officia divina januis clausis, nec solemniter unquam, ne majoribus quidem festis, celebrari possunt, quod concessum diximus tempore

interdicti. « Plus cessatur a divinis tempore cessationis quam « tempore interdicti, ait Suarez : neque moderationes omnes « capitis *Alma* in praxi servantur in cessatione a divinis; si « autem essent licitæ, non fuissent tam facile omissæ, nec « ministri Ecclesiæ tantum favorem contempsissent[1]. »

Concludemus ex dictis nullum privilegium, etiam in jure concessum, circa celebrationem vel auditionem divinorum tempore interdicti, extendi ad cessationem a divinis, nisi specialiter exprimatur. Quoad vero sacramentorum administrationem, communis est doctrina canonistarum, eadem concessa esse tempore cessationis a divinis quæ conceduntur tempore interdicti, quia his homines indigent ad salutem. Cum igitur licitum sit dare sacram Eucharistiam per modum viatici morbo extremo laborantibus, fas consequenter erit sacerdoti identidem sanctum sacrificium offerre, ut renoventur hostiæ consecratæ et in gratiam infirmorum serventur.

§ 4. — *De cessatione censurarum.*

790. — I° *Quotuplici modo cessare possint censuræ, et pœnæ quæ cum censuris analogiam habent?*

Cessant revocatione, irritatione, lapsu temporis, dispensatione, ac demum absolutione. *Revocatione*, quando superior, agnito errore, revocat sententiam quam ipse tulerat. (Cap. *Sacro*, 48, DE SENTENT. EXCOMM.) *Irritatione*, quando, causa per appellationem ad superiorem delata, judex appellationis pronuntiat sententiam vi carere, eamque pro suo officio irritat. *Lapsu temporis*, si sit pœna ad tempus præfinitum, puta ad mensem, ad annum... indicta. Si vero indicta fuerit duratura usquedum reus satisfactionem congruam præstiterit, judicis erit declarare an reipsa fuerit satisfactum. *Dispensatione*, quando pœnis seu in perpetuum, seu ad tempus de-

[1] Disput. XXXIX, sect. II, n^is 7-14.

terminatum, indictis, superior reo indulget ante tempus elapsum. *Absolutione* tandem qua tolluntur omnes censuræ proprie dictæ. Absolutio est actus jurisdictionis quo superior vinculum censuræ, qua reus innodatur, solvit.

Absolutio multiplex distinguitur, ratione scilicet fori in quo datur, conditionum quibus obnoxia est, et effectuum quos operatur.

Ratione *fori*, alia datur in foro interno, alia in foro externo. Absolutio pro foro interno dari solet in tribunali pœnitentiæ, et hunc effectum habet ut reus participare valeat sacramentis, quin tamen illius conditio immutetur quoad regimen externum Ecclesiæ. Judex potest convenire reum, tametsi in foro interno absolutum. Absolutio pro foro externo refertur ad externum regimen, et vinculum censuræ solvit in utroque foro. « Hinc sequitur, ait Fagnan, ut nulla sit collatio bene-« ficii facta excommunicato absoluto in foro conscientiæ tan-« tum, quia actus assecutionis beneficii proprie spectat ad « forum externum. » (In caput *Postulastis*, nº 15, DE CLERICO EXCOMM.) Potiori jure concludendum nobis videtur hujusmodi collationem esse validam, quandoquidem clericus est reipsa absolutus a censura et exinde idoneus ad recipiendum beneficium; sed est, ut ita dicam, rescisioni obnoxia, quatenus si res deferatur ad forum externum, judex potest ferre sententiam qua provisus a possessione beneficii deturbetur, non habita ratione absolutionis, de qua non constat in foro externo. Mens superioris, quando concedit facultatem absolvendi in foro conscientiæ tantum, non est ut absolutio suffragetur in foro contentioso, si ad illud causa deferatur [1].

Ratione *conditionum*, alia est absoluta, alia conditionalis, si nempe detur sub conditione necessario servanda, adeo ut ea non adimpleta reus reincidere debeat in censuram. Hæc absolutio *ad rêincidentiam* nuncupatur. Exemplum hujus-

[1] Cf. Suarez, disput. VII, sect. V, nis 25-28. *Thesaurus de Pœnis*, part. I, cap. XXII.

modi absolutionis suppeditat cap. *Ad reprimendam*, 8, DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII, et cap. *Eos qui*, mox proferendum (n° 792).

Ratione *effectuum*, alia censuram omnino tollit, alia datur *ad effectum*, ut aiunt; id est ad effectum specialem, ut, si forte quis censura innodatus extiterit, effectus ille nihilominus obtineatur. Consuetum est SS. Pontificibus ut quando gratiam alicui impertiuntur, eumdem prius ad cautelam absolvant ab omni censura *ad effectum*.

791. — II° *Quis possit absolvere a censuris?*

I. Omnis sacerdos approbatus ad auditionem confessionum potest absolvere ab omnibus censuris jure constitutis, quando non est reservatio expressa. Prob. 1° cap. *Nuper*, 29, DE SENT. EXC. « Nuper a nobis tua discretio requisivit... utrum qui « nominatim excommunicatis scienter communicant, absolvi « ab excommunicatione possint per confessionem a simplici « sacerdote... Nos credimus distinguendum; an qui nomina- « tim excommunicato communicat, scienter in crimine com- « municet: aut alias in oratione vel osculo, etc. In primo qui- « dem articulo, cum talis communicet crimini... ac per hoc « videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo vel ejus « superiore erit absolutio requirenda, cum facientem et con- « sentientem par pœna constringat. In secundo vero casu, a « suo Episcopo, vel a proprio sacerdote poterit absolutionis « beneficium obtinere. Quamvis enim non judicis, sed juris « sententia, excommunicato communicans sit ligatus, quia « tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter « non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis « relaxandi. » Probatur 2° ex usu generali Ecclesiæ, quæ voluit ut sacerdotes absolutioni peccatorum præmitterent absolutionem a censuris.

Diximus 1° *absolvere*... simpliciter ac sine addito, quia potestas illa ad utrumque forum internum et externum protenditur, dummodo tamen causa non sit delata ad forum

contentiosum. « Decreta Pontificum, ait S. Alph. de Liguori, « præcipue forum externum spectare solent; et cum favores « principis ampliari debeant, non est cur tantum ad forum « internum restringantur. » (Lib. VII, n° 70.)

2° *Ab omnibus censuris...* Textus allatus e Decretali *Nuper* refertur solum ad excommunicationem minorem, sed casum propositum explicat vi principii generalis quod ad omnes alias censuras æque applicatur : « *Conditor canonis eo ipso quod absolutionem sibi specialiter non retinuit, concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.* Ita communiter canonistæ interpretantur disciplinam ecclesiasticam.

3° *Jure constitutis...* quod de jure particulari diœcesis, non secus ac de jure communi intelligendum arbitramur. Si Episcopi velint censuram suis statutis latam reservare, debent suam mentem in iisdem statutis exprimere, alioquin merito censentur concessisse aliis, juxta regulam communem, potestatem absolvendi. Alia est ratio censuræ quam aliquis incurrit per sententiam, seu *ab homine;* siquidem constans jurisprudentia requirit ut reus absolvi non possit nisi a judice qui sententiam tulit, aut ab hujus judicis superiore, in casu appellationis. Cap. *Prudentiam*, 21, DE OFFICIO JUD. DELEGATI, statuit : « Si propter justam causam evidentem ab ordinario « judice vel delegato excommunicatus fuerit, ad excommuni- « catorem debet absolvendus remitti. »

792. — II. In articulo mortis quivis sacerdos, si alter approbatus desit, potest absolvere ab omni excommunicatione et interdicto, tum a jure, tum ab homine, imposito onere comparendi coram superiore, si reus convalescat.

Concilium Tridentinum statuit : « Pie admodum, ne hac « ipsa occasione (reservationis) aliquis pereat, in Ecclesia Dei « custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo « mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœniten- « tes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. » (Sess. XIV, cap. VII, *de casuum Reservatione.*)

Articulus mortis est periculum probabile ac proximum, sive a morbo gravi, sive a causa extrinseca. Porro, concilium Tridentinum statuit *omnes sacerdotes* posse absolvere in articulo mortis. Dubitatur apud canonistas utrum id litteraliter de quibusvis sacerdotibus, etiam excommunicatis, intelligendum sit. Multis videtur magis consonum textui concilii eos solum posse absolvere a reservatis in articulo mortis qui habent facultatem absolvendi a casibus communibus extra articulum mortis, ita ut reservatio sublata sit : porro excommunicati nulla facultate potiuntur in casus et censuras communes, ergo nihil illis suffragatur disciplina Tridentina. Hanc opinionem sequitur Fagnan et fuse de ea disserit in suis commentariis cap. *Non est nobis*, 11, DE SPONSALIBUS, lib. IV Decret. Alii tamen plures sententiam contrariam propugnant, quam deducunt tum ex generalitate verborum concilii *Omnes sacerdotes*, tum ex fine quem concilium intendit, *ne quis occasione reservationis pereat*. Rituale Romanum declarat, absque ulla restrictione, *quemlibet* sacerdotem posse a quibuscumque censuris absolvere, si imminеat periculum mortis, approbatusque desit confessarius. His ponderatis, concludimus licitum fore sacerdoti, etiam præciso a communione ecclesiastica, absolvere in articulo mortis; quia in extremis licet uti jurisdictione dubia [1].

Facultas data omnibus sacerdotibus absolvendi a *quibusvis censuris* extenditur ad censuras, sive a jure, sive ab homine, sive per sententiam generalem aut particularem latas, quæ impedire possunt quominus peccatores reconcilientur Deo et Ecclesiæ, ad excommunicationem nempe et interdicta, non vero ad suspensiones quarum relaxatio nullatenus necessaria est.

Imponitur absolutis conditio ut se sistant coram superiore, si a morbo convaluerint, de quo ita statuit Bonifa-

[1] Cf. Collet, *de Censuris*, part. I, cap. v, art. 1.

cius VIII : « Si cessante periculo vel impedimento, se illi a « quo his cessantibus absolvi debebant, quam cito commode « poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius, su- « per illis pro quibus excommunicati fuerant, humiliter « recepturi et satisfacturi, prout justitia suadebit, decerni- « mus, ne sic censuræ illudant ecclesiasticæ, in eamdem « sententiam recidere ipso jure. » (Cap. *Eos qui*, DE SENTENT. EXCOMM.)

793. — III. Episcopi possunt absolvere a censuris S. Pontifici reservatis in triplici casu, nempe quando casus est occultus, quando reus non potest adire S. Pontificem, et denique quando dubia est reservatio.

1° Quoad priorem casum pensandus est textus concilii Tridentini : « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus « et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exce- « pta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis « deductis ad forum contentiosum dispensare, et in quibus- « cumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, « delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua, per « se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in « foro conscientiæ gratis absolvere. » (Sess. XXIV, cap. VI.)

Nonnulla advertere necesse est ut explicetur decretum concilii.

Liceat Episcopis... Nomine Episcoporum veniunt capitulum Ecclesiæ cathedralis sede vacante, atque idcirco vicarii capitulares; quia potiuntur jurisdictione episcopali (n° 206).

In suspensionibus ex delicto occulto provenientibus... et in quibuscumque casibus occultis... Quid censeatur occultum supra explicatum fuit in articulo *de Delictis in genere* (n° 717). Concilium non dixit : *in suspensionibus*, aut in irregularitatibus *occultis*, sed statuit de censuris *ex delicto occulto* provenientibus, et generatim de casibus occultis, quæ sunt valde diversa; contingere enim potest ut censuræ ignorentur a populo qui nescit censuras delicto annexas esse, quamvis

delictum ipsum cognoscat. Si delictum venerit ad cognitionem certam duorum vel trium, tutum non esset dare absolutionem, quia eo ipso videtur jam non remanere intra limites occulti.

In quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis... Juxta opinionem quam S. Alph. de Liguori reputat valde probabilem, facultas concessa Episcopis complectitur simul casus ante concilium Tridentinum reservatos et casus in futurum reservandos S. Sedi, nisi tamen in constitutionibus quibus novæ reservationes inducuntur, derogetur explicite aut implicite decreto Tridentino. Est sensus obvius decreti; facultas enim concessa indistincte et ob rationem permanentem intelligi debet modo absoluto : atqui concilium statuit absque ulla distinctione, ut liceat Episcopis *in quibuscumque casibus occultis etiam S. Sedi reservatis* absolvere, et ita ordinavit propter rationem quæ semper subsistit, nempe ut facilius providere valeant necessitatibus spiritualibus fidelium; ergo illa facultas refertur ad casus in futurum reservandos, non secus atque ad casus in præteritis temporibus reservatos. Excipimus casum in quo derogaretur eidem decreto, sicut re ipsa derogatum fuisse animadvertunt communius canonistæ Constitutione *In cœna Domini*, in qua declaratur neminem posse absolvi a censuris in Constitutione expressis, per alium quam per S. Pontificem, nisi in articulo mortis, etiam sub prætextu facultatum generalium per Sanctam Sedem, *ac cujusvis concilii decreta*, concessarum. « Hinc « dicimus, concludit S. Alph. de Liguori, quod quælibet bulla, « ubi adsunt clausulæ prædictæ, aufert Episcopis facultatem « absolvendi casus occultos Papæ reservatos. Non vero aliæ « bullæ in quibus nulla adest derogatoria clausula [1]. »

Delinquentes quoscumque sibi subditos... Extranei et pere-

[1] *Theologia mor.*, lib. VI, n° 594. Ita recentiores theologi, Scavini, tract. *de Censuris*, cap. VII, ed. 1855; P. Gury, *de Pœnitentia*, n° 574, ed. 1860.

grini qui actu morantur in diœcesi, censentur subditi Episcopo quoad sacramentum Pœnitentiæ et possunt ab eo absolvi a censuris ex delicto occulto provenientibus, uti communiter tradunt theologi. Ipsemet Episcopus, si forte inciderit in casum reservatum, potest confessarium deputare qui ipsum absolvat, ex vi ejusdem decreti, prout haud semel declaratum fuisse a S. Congregatione testantur doctores; quod idem de dispensatione dicendum existimat Suarez; quia utraque potestas delegabilis est, et non debet Episcopus esse pejoris conditionis quam inferiores clerici. (*De Censuris*, disp. XLI, sect. II, n° 9.)

Per se, aut per vicarium ad id specialiter deputandum... Quamobrem vicarius generalis non potest uti hac facultate ex vi sui tituli vicariatus, nisi Episcopus declaraverit se illum etiam deputare ad absolvendum et dispensandum in casibus de quibus statuit decretum concilii; hæc vero deputatio, facta etiam generaliter pro omnibus casibus, sufficit.

In diœcesi sua... in foro conscientiæ absolvere. Si de dispensatione agitur super suspensionibus quæ sunt improprie censuræ, videtur Episcopum posse dispensare suum clericum extra diœcesim degentem; quia actus hujusmodi exerceri potest in absentem, et quum aliunde sit actus fori interni nullum strepitum judicii requirens, nihil obstat quominus exerceatur in alieno territorio. Hæc sententia dicitur communior et probabilior a S. Alph. de Liguori, lib. VII, n° 81. Si vero agitur de absolutione a casibus papalibus, fertur declaratum fuisse a Gregorio XIII illam dari non posse extra sacramentum Pœnitentiæ, nec consequenter absenti. Videtur insuper Episcopum illa facultate alias uti non debere quam in sua diœcesi, ob limitationem appositam a concilio Tridentino. Plures doctores ita decretum interpretantur ut illa limitatio ad secundam partem decreti concilii solummodo referatur, non item ad primam partem ubi de irregularitatibus et suspensionibus agitur, unde inferunt quod etiamsi uterque,

tam Episcopus quam subditus, sint extra diœcesim, poterit Episcopus absolvere a suspensionibus. (S. Liguori, lib. VI, n° 593; lib. VII, n° 81. Suarez, loco citato, n^is 10-12.)

2° Quoad secundum casum, est principium generale eos omnes qui, sententia canonis vel hominis ligati, nequeunt ob impedimentum legitimum recursum habere ad superiorem pro absolutionis beneficio, posse ab alio absolvi. (Cap. *Eos qui.*)

Qui censendi sint impediti ex morali æstimatione definitur. Textus juris impeditas dicunt mulieres et alias personas quæ sui juris non sunt; personas ita delicatas ut laborem adeundi Sedem Apostolicam sustinere non valeant; cæteras quæ paupertate, infirmitate, vel senectute gravantur; et alias generatim quæ venire non possunt ex quacumque causa gravi. (Cap. *Mulieres,* 6, *Quod de his,* 26, *Quamvis incidens,* 58, DE SENT. EXCOMM.) « Existente impedimento adeundi Papam, ait « S. Alph. de Liguori, restituitur potestas ordinaria, non jam « vi Tridentini, sed vi juris communis. » (Lib. VII, n° 84.) Ex illo autem principio, et ex sententia quam communiter tradit am apud theologos asserit, concludit impeditos adire Romam in persona, non teneri adire per epistolam, aut per procuratorem ad obtinendam absolutionem, « quia, inquit, jus non « obligat reum, nisi ut personaliter adeat Papam; unde « si id præstare nequit, ad aliud non tenetur. Præterea « obtinere absolutionem a Pœnitentiaria est privilegium, sed « privilegia, utpote favorabilia, nullam inducunt obligationem « iis utendi[1]. »

[1] S. Inquisitio, dubio ea de re ab Episcopo in Gallia proposito, an scilicet impediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per epistolam aut procuratorem, respondit : « Consulat probatos auctores, inter quos « S. Alphonsum Mariam de Ligorio. » Die 18 julii 1860. — Scavini ea de re observat nihil in contrarium concludi ex praxi assueta recurrendi ad Pœnitentiariam, quia « hoc est privilegium quo nemo uti tenetur; vel etiam « ad illam fit recursus ob temporarium impedimentum, ut, eo tunc ces- « sante, obligatio minime reviviscat. » (*De Censuris*, cap. VII, quæst. III.)

His omnibus imponitur onus comparendi coram superiore, cum cessaverit impedimentum, si impedimentum non sit perpetuum; si vero prævideatur perpetuum, absolutio datur absolute, nulla adjecta conditione.

Qui impediti sunt adire Episcopum possunt absolvi a sacerdote approbato, eodem modo, iisdemque conditionibus ac supra.

3° De casu dubii sufficienter dictum fuit in articulo de censuris in genere. (N° 768.)

Nota. Suspensiones et interdicta quæ non sunt censuræ proprie dictæ, sed infliguntur in pœnam delicti, in perpetuum, vel ad tempus constitutum, non possunt remitti ab Episcopis vi textuum juris quos supra allegavimus, in quibus conceditur Episcopis facultas absolvendi, v. g. vi decretalis *Nuper*. Episcopi utuntur quoad hujusmodi pœnas regulis alias traditis de dispensationibus super lege communi.

794. — III° *Quid servandum sit in absolutione a censuris?*

Quæstio est utrum absolvi possit absens; an invitus et contumax; an absolvi possit ab una censura altera remanente; quonam ritu concedenda sit absolutio[1].

1° Superior qui habet jurisdictionem ordinariam potest absolvere absentem, non enim eadem est ratio absolutionis a censuris et absolutionis sacramentalis a peccato; qui autem habet solum jurisdictionem delegatam id communiter non potest, quia plerumque illi injungitur ut absolvat in foro pœnitentiæ. Fagnan refert Gregorium XIII declarasse Episcopos posse absolvere a casibus papalibus, quando indultum

[1] Absolutio quæ aliquando datur mortuis ab excommunicatione majori et ab interdicto, non est vera ac propria absolutio, nec exercitium jurisdictionis in vita functos, sed tantum declaratio qua dicitur aliquem promeritum fuisse ante mortem ut restitueretur communioni Ecclesiæ, et facultas consequenter data ejusdem defuncti corpus honestandi sepultura ecclesiastica, et illius animæ applicandi suffragia communia. Potestas id indulgendi ad eum prælatum pertinet qui potuisset viventem absolvere. Hujus absolutionis ritum describit Rituale.

ea de re ipsis concessum est, duntaxat in sacramento pœnitentiæ. (In cap. *Dilectus*, n° 36, DE TEMP. ORDINAT.) Necessarium est ut qui delegantur sedulo considerent tenorem rescripti, sive a S. Pontifice, sive ab alio Ordinario habeant, ut exinde certo noverint intentionem superioris, an in foro conscientiæ audita prius confessione, an in foro simpliciter interno, an in foro externo debeat absolutionem impertiri.

2° Regulariter non absolvitur reus nisi se emendaverit, et absolutionis beneficium humilis imploret, alias præberetur scandalum, et enervaretur vis censurarum, nedum obtineretur finis intentus. Nihilominus tamen potest valide absolvi invitus, imo et contumax, et aliquando expedit ut absolvatur. Quod possit valide absolvi invitus dubium non est; quandoquidem censura non est peccatum sed pœna, quæ sicuti infligi potest, ita auferri auctoritate superioris. Non est in arbitrio hominis ut semetipsum liget vel solvat ab hujusmodi vinculis spiritualibus. Quoad contumacem, si peccatum in quo perseverat habet tractum successivum, v. g. professio hæresis, censura tolli non potest remanente contumacia, nisi lex suspendatur, quia lex perseverans perpetuam censuram operaretur; si e contrario peccatum ipso facto completum fuit, uti percussio clerici, blasphemia, etc., absolvi potest contumax, nam jurisdictio superioris non pendet a voluntate inferioris. Adjicimus aliquando expedire, etsi perraro, ut pœna remittatur ob bonum publicum, vel etiam ob bonum privatum ut reus facilius resipiscat, quod superioris prudentiæ committitur[1].

3° Dari potest absolutio ab una censura, altera remanente, quia non est connexio inter censuras. Qui unam censuram exposuit superiori a qua absolvi postulat, obnoxius remanet cæteris quibus forte innodatur, nisi superior intendat, suamque mentem ea de re exprimat, ab omnibus aliis, si

[1] Cf. Suarez, disput. VII, sect. VII.

quæ sint, absolvere. Confessarius hanc intentionem manifestat quoad omnes censuras quæ sui juris sunt, dum profert formulam consuetam : *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges.*

4° Absolutio datur absolute, vel sub conditione, vel demum cum reincidentia, quod ex dictis supra intelligitur. Nulla est solemnitas jure præscripta ad validitatem absolutionis : id solum adnotare possumus, cum Suarez, « in hujusmodi ab-« solutionis modo maxime servandam esse consuetudinem « receptam et probatam ; nam multæ ex antiquis cæremoniis « in desuetudinem abierunt. » (Disput. VII, sect. X, n° 4.) Hujusmodi sunt quæ Rituale Romanum indicat : *Pœnitentem eorum se utroque genu flexo, in humero, si vir fuerit, usque ad camisiam exclusive denudato, virga aut funiculis sedens leviter percutit, dicendo*, etc... His proinde quæ in desuetudinem abierunt prætermissis, cætera quæ effectum ipsum absolutionis exprimunt et preces consuetas, prout in Rituali describuntur, observet sacerdos cui munus absolvendi impertitum est, præsertim si superior mandato indixerit, ut *in forma Ecclesiæ consueta absolvat.*

5° Absolutio data ex errore vel dolo substantiali circa causam principalem non valet; siquidem superior non intendit absolvere nisi subsistente causa finali sibi proposita. Si vero absolutio vi, aut metu injuste incusso, obtineatur, est jure canonico irrita, ita statuente Decretali *Absolutionis*, quæ est Gregorii X inserta in titulo XX, lib. I sexti Decretalium, hac insuper addita sanctione : « Ne sine vindicta violentiæ « crescat audacia, eos qui absolutionem, seu revocationem « hujusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis « sententiæ decernimus subjacere. »

795. — IV° *Quæ sint excommunicationes reservatæ S. Pontifici?*

Rituales libri nonnullas censuras reservatas recensent, quæ

in nostris regionibus frequentius accidunt, ac simul admonent consulendum esse superiorem, si alii casus præter enumeratos obveniant de quibus dubitatur an sint reservati. Opportunum videtur exhibere indicem paulo explicatiorem censurarum quæ jure communi sunt reservatæ, prætermissis tamen pluribus quarum cognitio minus refert ad praxim[1].

Excommunicationem majorem Sanctæ Sedi reservatam incurrunt jure communi :

1° Omnes et singuli a christiana fide apostatæ, hæretici cujuscumque sectæ existant, hæreticorum fautores, et schismatici, a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia se pertinaciter subtrahentes. (Const. *Pastoralis* Bened. XIV, an. 1741[2].)

2° Scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, libros hæresim continentes, et etiam libros hæreticorum de religione ex professo, non obiter, tractantes, etiamsi nullam hæresim continerent. Ead. Const.

3° Docentes, aut defendentes, etiam disputative, opiniones a Sancta Sede damnatas. Consuetum est SS. Pontificibus, ut quando opiniones damnant, simul prohibeant sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ et suæ Sedi reservatæ, præterquam in articulo mortis, ne quis easdem opiniones, aut conjunctim, aut divisim doceat, defendat, de iis privatim aut publice tractet, nisi forsan impugnando. Videas exempli causa Const. Clementis XI *Unigenitus*, contra librum Quesnelli, Decreta Alexandri VII, ann. 1665 et 1666, contra pro-

[1] Suarez disserit de singulis excommunicationibus quæ in decreto Gratiani, in Decretalibus, in constitutionibus pontificiis, ac præsertim bulla *In cœna Domini* continentur. *De Censuris*, disput. XXI, XXII et XXIII. — S. Alph. de Liguori, lib. VII, cap. II, art. 3 et seq.

[2] Bulla *Pastoralis* quam plures SS. PP. iisdem verbis ac formulis promulgarunt, eadem est quæ vulgo nuncupatur *In cœna Domini*, quia nempe quotannis Romæ promulgabatur feria V[a] Majoris hebdomadæ.

positiones christianis moribus adversas; Bullam Benedicti XIV *Detestabilem*, contra duellum.

4° Appellantes ad futurum concilium universale ab ordinationibus et mandatis Rom. Pontificis, necnon omnes quorum consilio aut favore appellatum est. Item appellantes a gravamine, vel futura exsecutione Litterarum Apostolicarum, et aliorum decretorum a Nuntiis, Commissariis et Delegatis Apostolicis, ad curias sæculares et laicalem potestatem, et qui ab ea hujusmodi appellationes admitti faciunt; quive mandata Apostolica exsecutioni mandari impediunt vel prohibent. (Const. *Pastoralis.*)

5° Falsarii Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, necnon eas falso publicantes, et etiam qui Litteras Apostolicas falsas habentes, eas non destruunt, aut non resignant inter viginti dies. (Ibidem, cap. *Dura*, 4, DE CRIMINE FALSI, lib. V Decret.)

6° Committentes simoniam realem aut confidentialem, circa ordinem, beneficium et ingressum in religionem. (N° 732.)

7° Conspirantes in personam aut statum Pontificis Romani... Invadentes, destruentes, occupantes et detinentes, per se aut per alios, directe aut indirecte, sub quocumque titulo, in totum vel in partem, civitates, terras, loca, vel jura ad Romanam Ecclesiam pertinentia; supremam jurisdictionem in illis Sanctæ Sedi competentem usurpare de facto, perturbare, retinere, vexare præsumentes, necnon fautores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet præstantes. (Const. *Etsi Domini* Pauli II, inter Extrav. comm., cap. 3, tit. DE PŒNITENTIIS. Const. *Pastoralis.*)

8° Interficientes, vulnerantes, capientes, carcerantes, detinentes aut hostiliter insequentes Cardinales, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Nuntios, aut eos a suis diœcesibus, seu dominiis ejicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem. (Ibidem.)

9° Vexantes eos qui censuram in aliquos tulerunt, si n excommunicatione, quam ob hoc delictum ipso facto incurrunt, duorum mensium spatio permanserint. (Cap. *Quicumque*, 11, DE SENT. EXCOMM. in VI°.)

10° Percutientes graviter clericum vel monachum. (N° 735.)

11° Qui ex prætenso eorum officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, collegia Ecclesiarum ad suum tribunal præter juris dispositionem trahunt, vel trahi procurant directe aut indirecte; necnon qui statuta, ordinationes, seu quævis alia decreta, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, fecerint ex quavis causa, etiam prætextu cujusvis consuetudinis, vel ordinatis usi fuerint... Qui Episcopos aliosque superiores et inferiores prælatos, et omnes alios quoscumque judices ecclesiasticos, quomodolibet impediunt quominus sua jurisdictione ecclesiastica utantur, secundum quod canones et decreta conciliorum statuunt; at etiam qui post Ordinariorum, vel ab eis delegatorum sententias, fori ecclesiastici judicium eludentes, ad curias sæculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata Ordinariis et delegatis prædictis, decerni, et contra illos exsequi procurant, seu dant auxilium, consilium et favorem eisdem. (Const. *Pastoralis.*)

12° Omnes magistratus et judices, notarii, exsecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas ecclesiasticas, illas processando, capiendo, seu sententias contra illas proferendo vel exsequendo, sine speciali Sanctæ Sedis licentia. (Ibidem, nis 359-363[1].)

13° Institutum et Constitutiones quorumdam e præcipuis Ordinum religiosorum Mendicantium directe vel indirecte

[1] Licet servari non possit apud nos, in statu præsenti societatis, disciplina de immunitate personali clericorum, eam tamen memorasse refert, ut concludatur saltem quam circumspecte procedendum sit quando agitur de adducendo clerico ante tribunal sæculare.

impugnantes. (N° 736. Const. Gregorii XIII, *Ascendente Domino*, ann. 1584.)

14° Clerici regulares, qui sine licentia parochi sacrum viaticum vel extremam unctionem ministrare, vel matrimonium solemnizare præsumunt. Item regulares, qui prætextu privilegiorum, absolvunt a casibus Episcopo reservatis. (Cap. *Religiosi*, 1, DE PRIVILEGIIS, Clement.)

15° Confessarius qui, extra mortis articulum et deficiente tunc alio sacerdote, ausus fuerit excipere confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi contra sextum Decalogi præceptum. (Const. Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ*.) Dubia circa hanc prohibitionem exorta ipse Benedictus XIV ita resolvit in alia Const. *Apostolici muneris*, ut alter sacerdos deficere censeatur, si ratione habita circumstantiarum, vocari, nec accedere posset ad audiendum confessionem personæ in articulo mortis constitutæ, sine aliqua exoritura infamia, vel scandalo (n° 747).

16° Sacrilegi qui Ecclesias violenter confregerunt, easque spoliaverunt, dummodo juridice ut excommunicati denuntiati sint. Invadentes et usurpantes jurisdictionem, bona, census et jura alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis, vel regularis beneficii, et impedientes ne hæc bona ab eis ad quos pertinent percipiantur. (N° 755. Conc. Trid., sess. XXII, cap. XI.)

17° Violantes clausuram Monialium, aut religiosorum ad malum finem... Mulieres ingredientes monasteria Regularium. (Decreta S. Congregationis jussu Clementis VIII. Const. Pii V *Regularium*.)

18° Duellantes et eorum cooperatores, scelus nempe suadentes aut provocantes, opem, consilium, aut favorem præstantes, patrini, defensores. (Const. Clementis VIII, *Illius vices*, 1592.)

19° Incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati. (Cap. *Tua nos*, 19, DE SENT. EXCOMM.)

20° Surripientes bona christianorum naufragantium, sive in navibus existentia, sive in mari ab eis ejecta, sive in littore inventa. (Const. *Pastoralis.*)

21° Omnes qui adscripti sunt sectis occultis et clandestinis *liberorum muratoriorum*, vulgo *francs-maçons*, aut qui hujusmodi societates inire, propagare aut confovere, receptare et occultare præsumunt. (Constitutio Benedicti XIV, *Providas*, anno 1751, et alia decreta quæ confirmavit de novo ac diligentissime servari mandavit Sanctissimus Noster Pius Papa IX, Litteris encyclicis *Qui pluribus.*)

Præter casus enumeratos qui reservantur Sanctæ Sedi ob excommunicationem annexam, reservatur insuper, nulla censura adjecta, peccatum quod perpetrant malitiose et falso accusantes sacerdotem innoxium de sollicitatione ad actus inhonestos ac turpes. An sint alia insuper peccata reservata S. Sedi absque excommunicatione ignoramus[1]: quoad vero excommunicationes reservatas notandum est, ex principiis generalibus alias memoratis (n° 766), eas non incurri ab ignorantibus. Card. de Lugo olim dicebat : « Casus S. Pon-« tifici reservati, communiter loquendo, sunt raro contin-« gentes, et vix in mille pœnitentibus invenies unum qui in « ejusmodi peccata inciderit. » (*De Pœnitentia*, disp. XXII, sect. III.) Id rarius hodierna die accidit, cum perpauci inter laicos cognoscant disciplinam canonicam, adeo ut plerique ne suspicentur quidem Ecclesiam censuras indixisse; multi præterea impediuntur adire personaliter Sanctam Sedem... Optandum certe ut fideles comminatione censurarum, gravitatem mali pensent, atque efficacius avertantur a delictis quæ tantum nocumentum moribus christianis inferunt.

796. — V° *Quæ sint præcipuæ suspensiones reservatæ S. Pontifici?*

I. Suspensionem reservatam S. Sedi incurrunt Episcopi :

[1] Cf. S. Alph. de Liguori, lib. VI, n° 580. Ferraris, v° *Reservatio*, n^is 13 et 14.

1° qui clericum absque titulo ordinant, sub promissione vel juramento quod clericus ipsum super provisione sua non inquietet (n° 322). Est suspensio partialis, ab ordinum scilicet collatione per triennium. — 2° Qui eodem die vel duobus continuis diebus duos sacros ordines conferre præsumunt (n° 327). Sunt suspensi a collatione ordinum quos ita contulerunt, donec S. Sedes aliter disponat. — 3° Qui ordinant clericum non sibi subditum, absque litteris dimissorialibus (n° 166). Suspensi sunt per annum a collatione ordinum. — 4° Exercentes pontificalia in aliena diœcesi, absque licentia Ordinarii loc. (Conc. Trid., sess. VI, cap. v.) Sunt ipso facto suspensi ab exercitio pontificalium. — 5° Qui alienant bona suæ Ecclesiæ, absque beneplacito apostolico, si per sex menses sub interdicto manserint, factum suum non retractantes. (Cons. *Ambitiosæ*, DE REBUS ECCL. NON ALIENANDIS.) Sunt suspensi a regimine suæ Ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus (n^is^ 620-622).

Clerici incurrunt suspensionem etiam S. Sedi reservatam : 1° qui duos ordines majores eodem die vel duobus continuis susceperunt (n° 327.) — 2° Qui ordines suscipiunt ementito titulo (n° 322). — 3° Qui scienter recipiunt ordines ab Episcopo qui renuntiavit suæ sedi et dignitati. (Cap. *Requisivit*, 1, tit. XIII, lib. I Decret.) — 4° Qui scienter receperunt ordines ab Episcopo hæretico vel schismatico, aut excommunicato denuntiato. (Cap. *Cum clericis*, 2, eod. tit.) — 5° Qui ordinem sacrum susceperunt durante matrimonio, etiam non consummato; nisi aliquam e religionibus approbatis ingrediantur et ibi profiteantur. (Cap. *Antiquæ*, DE VOTO, Extrav. Joan. XXII.) — 6° Qui ordines furtive susceperunt. (Tit. DE EO QUI FURTIVE...) — 7° Qui ordines simoniace susceperunt. (N° 732.) — 8° Qui absque dispensatione apostolica, sive extra tempora, sive ante ætatem legitimam, vel sine litteris dimissoriis, ordines susceperunt. (Const. Pii II, *Cum sacrorum*.)

II. Sunt præterea suspensiones jure communi reservatæ Episcopo, hæ præsertim: 1° Si quis per saltum ordinetur, etiam postquam suppletus fuerit ordo prætermissus. (Conc. Trid., sess. XXIII, cap. XIV *de Reform.*) — 2° Si quis ordinatus fuerit sine litteris dimissoriis sui Episcopi. (N° 166.) — 3° Si quis sede Episcopali vacante, ante completum a die vacationis annum, ordinatus fuerit. (N° 206.) — 4° Si quis extra suam diœcesim ordinatus fuerit absque licentia Ordinarii loci. (Conc. Trid., sess. VI, cap. V.) — 5° Si quis parochus, aliusve sacerdos, sive regularis sive sæcularis, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit. Suspensus est donec absolvatur ab Episcopo parochi a quo benedictio nuptialis suscipienda erat. (Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 1, DE REFORM. MATR.) — 6° Si judex, officialis, archidiaconus, censuras excommunicationis, suspensionis aut interdicti tulerit sine scripto. Suspensus est a divinis officiis et ab ingressu Ecclesiæ per mensem. (N° 764.)

797. — VI° *Quæ sint præcipua interdicta jure communi indicta?*

Capitulum quod, sede vacante, intra annum a die vacationis, litteras dimissorias tradit ut clericus diœcesis a prælato alieno ordinetur, subjacet interdicto. (N° 206.)

Subduntur etiam interdicto capitula et universitates quæ appellare præsumunt a sententiis S. Pontificis ad futurum concilium. (Const. *Pastoralis.*)

Qui scienter celebrant in loco interdicto; item qui scienter admittunt ad officia divina, aut ad sepulturam ecclesiasticam excommunicatos vel interdictos nominatim, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ donec satisfecerint ad arbitrium Prælati cujus in eo sententiam contempserunt. (Cap. *Episcoporum*, 8, DE PRIVILEGIIS, in VI°.)

Interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, ab assistentia divinis

officiis, et sepultura, qui causam dederunt interdicto locali. (Cap. *Si sententia*, 16, DE SENT. EXCOM., in VI°.)

Locus in quo hæreticus denuntiatus fuit sepultus subditur interdicto donec reconciliatus fuerit. (Cap. *Quicumque*, 2, DE HÆRETICIS, in VI°.)

Sunt constitutiones Pontificiæ quibus interdictum locale pronuntiatur in regna, terras, loca illorum qui impediunt quominus Nuntii SS. Pontificum ingrediantur regiones sibi mandato apostolico commissas; item in civitates quæ auxilium præbent insequentibus hostiliter cardinales... Verum hæc in specie non referemus, quia, si adhuc jure subsistant, non adducuntur in praxim nisi intervenerit sententia, a qua proferenda abstinet S. Sedes.

ART. III. DE IRREGULARITATIBUS.

798. — Irregularitas est impedimentum canonicum quo aliquis arcetur a susceptione ordinum et ab illorum exercitio, si jam recepti fuerint. Cum clerus sit pars electa et venerabilior societatis christianæ, non omnes passim ad hunc statum promoveri possunt, sed idonei solum: porro, Ecclesia arcendos statuit, tum illos qui certis dotibus carent quas necessarias reputavit ad implendum convenienter munia clericalia, tum eos qui se delictis, quibus maculati sunt, indignos effecerunt tanta dignitate. Hi omnes dicuntur *irregulares*, quia regulæ canonicæ obstant quominus ordinentur. Irregularitas est igitur, sub diverso respectu, ratio providendi decori status clericalis, et pœna contra quædam delicta graviora constituta; quam ob causam de illa disserendum duximus, more cæterorum canonistarum, in sectione *de Pœnis*[1].

[1] Cf. Suarez, *de Censuris*, disput. XL et seq. — Bonacina, *de Censuris*, disput. VII. — Interpretes Decretalium in commentariis tit. XXXVII, DE PŒNIS. — Collet, Tract. *de Irregularitatibus*.

§ 1. — *De irregularitatibus in genere.*

799. — I° *Quotuplex distinguatur irregularitas?*

Tres generatim distinguuntur species irregularitatum, nempe : Irregularitates ex delicto et ex defectu, irregularitates perpetuæ et temporales, irregularitates totales et partiales.

1° Si consideretur irregularitas ratione causæ ex qua procedit, alia est ex *delicto*, alia ex *defectu*, uti insinuatur in cap. *Accedens*, 14, DE PURGATIONE CANONICA, ubi Innocentius III notam delicti, et notam defectus impedientis ad sacros ordines promovendum, indicat. Dicitur ex *defectu*, quoties causa quæ illi originem dedit nullam culpam supponit in subjecto, v. g. cæcitas, defectus natalium; dicitur ex *delicto*, quoties ortum habuit a crimine, v. g. ab homicidio voluntario et injusto, a violatione censurarum exercitio ordinis sacri. Nemo incidit in irregularitatem ex delicto, nisi perpetraverit peccatum mortale, externum, in sua specie consummatum; siquidem perpetua illa inhabilitas ad statum clericalem est pœna gravissima. Si quid igitur reperiatur in circumstantiis quo reus excusetur a delicto gravi, eo ipso eximitur ab irregularitate. Pœnitentia vero quæ hominem post commissum delictum reconciliat Deo et Ecclesiæ, non aufert irregularitatem; quia, uti mox dicebamus, irregularitas est etiam pœna in perpetuum statuta. Aliunde mens atque voluntas Ecclesiæ fuit, ad consulendum decori status clericalis, et ædificationi fidelium, ut promovendi puros se ab infantia servaverint a quibusdam gravioribus criminibus.

Plures theologi, quorum S. Alph. de Liguori refert opiniones, dixerunt irregularitatem non recurri ob delictum occultum, excepto delicto homicidii; sed illa sententia non consentit disciplinæ concilii Tridentini quæ manifeste supponit irregularitates oriri posse a delictis occultis. (Sess. XXIV, cap. VI.)

2° Ratione temporis quo perstitura est irregularitas, alia est perpetua, alia temporaria. Irregularitas ex delicto est perpetua; cessare non potest aliter quam dispensatione : irregularitas ex defectu est sæpe temporaria, ac veluti transitoria, quando nimirum oritur ex impedimento naturali quod lapsu temporis removeri potest, puta ex defectu ætatis, scientiæ, etc.

3° Ratione effectuum, alia est irregularitas totalis, alia partialis, prout impedit ab omni ordine et officio, vel a quibusdam solum functionibus sacri ministerii; quod fusius explicabitur in solutione quæstionis subsequentis.

800. — II° *Qui sint effectus irregularitatis?*

Effectus irregularitatis considerandi sunt quoad susceptionem ordinum, quoad exercitium ordinum susceptorum, et tandem quoad officia et beneficia ecclesiastica.

I. Primus effectus est obstare ne irregularis ad ordines promoveatur, ita ut ordinatio irregularis sit graviter illicita, non invalida. Omnibus notum est Ecclesiam nihil posse in substantiam sacramentorum : quando simul adsunt materia, forma, et minister ritum essentialem efficiens, producitur infallibiliter sacramentum. Irregularitas proinde, quatenus non jure divino, sed jure canonico constituta, non est impedimentum dirimens, qualia sunt impedimenta matrimonii quæ contractum naturalem immediate afficiunt.

Nomine *Ordinum* intelligitur etiam prima tonsura, tametsi juxta communiorem sententiam non sit ordo, sed veluti præambulum ad ordines. Ita observatur in praxi; tum quia lex prohibens quominus ordines suscipiantur debet simul arcere a ritu sacro quo aliquis ad illorum susceptionem disponitur; tum quia intendit Ecclesia ne irregulares statum clericalem ingrediantur; quapropter cum per tonsuram clericus efficiatur, consequens est ut irregularis non possit statui clericali initiari prima tonsura.

II. Alter effectus est prohibitio exercitii sacrorum ordinum.

Exercitium sacrorum ordinum dicimus functiones solemnes quæ majoribus ordinibus sunt ita attributæ ut laicis nullatenus demandentur. Porro, maxima esset rerum confusio, gravisque disciplinæ contemptus, si quis ordinibus sacris initiatus, violata lege canonica, posset nihilominus in ordinibus contra fas usurpatis ministrare; eo certe magis quod Ecclesia, legem stabiliendo de irregularitatibus, statum clericalem ipsum ac exercitium ordinum intenderit, potius quam meram ordinis susceptionem... Excipe casum extremæ necessitatis; nam sacerdoti irregulari licebit sacramentalem absolutionem in articulo mortis impertiri, si desit alterius sacerdotis copia.

Eadem prohibitio urget, quando post susceptam ordinationem supervenerit irregularitas, eo tamen discrimine admisso, quod irregularitas ex defectu superveniens est quidem absoluta quoad alios ordines superiores suscipiendos, non est vero nisi partialis quoad exercitium ordinum jam legitime susceptorum; illas solummodo functiones impedit quas defectus superveniens reddit impossibiles. Irregularitas ex delicto, sive fuerit antecedens, sive subsequens ordinum receptionem, est plerumque totalis; ab omni ordinis exsecutione arcet, exceptis paucis nonnullis limitationibus jure canonico appositis, quas suo loco notabimus.

III. Est tandem tertius effectus irregularitatum quod irregularis non possit promoveri ad officium proprie dictum, neque ad beneficium. Omnes admittunt illicitam fore susceptionem beneficii, uti deducitur ex pluribus textibus juris, præsertim ex cap. *Cum bonæ*, 8, DE ÆTATE PRÆFICIENDORUM; *Henricus*, 2, DE CLERICIS PUGNANTIBUS; *Ex litteris*, DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE, in quibus SS. Pontifices concedunt ut, causa suadente, Episcopi ad quos rescripta dirigebantur, misericorditer indulgerent clerico irregulari quoad retinenda, vel etiam impetranda beneficia, ne sustentatione privatus, negotiis sæcularibus implicetur cum detrimento sui ordinis,

An vero invalida sit collatio beneficii facta irregulari controvertitur. Nonnulli, quorum opinionem satis probabilem dicit S. Alph. de Liguori, asserunt collationem non esse irritam, sed a judice irritandam. Cæteri, quibus assentimur, communissime propugnant collationem esse nullam; et hæc opinio eidem S. Liguori visa est simul communior et probabilior. (Lib. VII, n° 345.)

Probatur 1° ex concilio Tridentino, quod sess. VII, cap. III, jussit ut « beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus... conferantur. « Aliter autem facta collatio, sive provisio, omnino irritetur. » Idem concilium indixit, ut qui homicidium sua voluntate perpetraverit, etiam si crimen occultum fuerit, « nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit... nec illi aliqua « beneficia conferri liceat; sed omni ordine ac beneficio et « officio ecclesiastico perpetuo careat. » (Sess. XIV, cap. VII.) Tandem de beneficiis capitulorum statuit, sess. XXII, cap. IV : « nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem « et cæteras habilitates integre habere dignoscuntur; aliter « irrita sit provisio. » Hæc postrema verba indubitanter significant irritam esse provisionem beneficiorum in Ecclesia cathedrali vel collegiata factam iis qui habilitates jure requisitas non habent, qui scilicet sunt irregulares. Quod de aliis beneficiis declaratur non est ita apertum; nam verba concilii fas esset interpretari de irritatione a judice pronuntianda : nullatenus tamen probabile est concilium alias regulas statuisse pro beneficiis parochialibus, cæterisve Ecclesiis, alias vero pro collegiatis. 2° Ex decisione data a S. Congregatione Concilii, ann. 1601, quæ proposito dubio : « An... ordinatus « et provisus de simplicibus beneficiis, ante sacramentum « confirmationis, legitime dicta beneficia acquisierit, ita ut « nulla indigeat nova provisione. » Respondit : *Minus legitime acquisivisse, atque egere nova provisione.* (Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. XCI.) 3° Auctoritate

doctorum qui, teste Suarez, ita communiter tradunt, et qui fuerunt in Galliis ea de re unanimes; unde hæc annotat Gibert : « S'il restait quelque difficulté touchant l'interprétation des chapitres du droit, la pratique l'ôterait entièrement, car c'est l'usage depuis plusieurs siècles d'impétrer les bénéfices de ceux qui, par défaut d'âge ou par quelque autre incapacité, n'ont pas pu les obtenir. » (*Usages de l'Église de France*, tit. VII, règle XVI.) Hæc doctrina est omnino rationi consentiens; qui nempe arcetur a statu clericali, impeditus censetur eodem jure a susceptione officiorum quæ statui clericali, atque ordinum exercitio, sunt per se annexa. Notare est insuper quod ordines olim non conferebantur nisi propter officium a clerico occupandum, et consequenter incapacitas ad ordinem erat simul incapacitas ad officium : porro jus subsequentibus temporibus inductum non derogavit huic disciplinæ.

Hinc sequitur irregularem qui durante irregularitate beneficium recepit teneri in conscientia illud dimittere, nec interea posse facere fructus suos, de quo dictum est in Iª parte (nis 290, 291). Sequitur etiam irregularem inhabilem esse ad recipiendam de novo jurisdictionem ordinariam, sive in foro interno, sive in foro externo; jurisdictio enim ordinaria non acquiritur nisi adeptione officii, seu dignitatis. Sæpius tamen validi erunt actus jurisdictionis, ratione tituli colorati et erroris communis. (Nis 284-287.)

Non idem dicendum de jurisdictione delegata; nam jura quæ allegavimus referuntur solum ad jurisdictionem ordinariam, et in pœnalibus severitas legis non debet ab uno casu ad alterum extendi.

Quod vero ad beneficia attinet quæ clericus obtinuerat ante irregularitatem, certum est ea non amitti ipso facto superinductæ irregularitatis.

Beneficium semel legitime acquisitum non amittitur nisi in casibus jure statutis : porro jus canonicum nullibi lege

generali constituit beneficia amitti ipso facto irregularitatis. Debet proinde irregularis abstinere ab omni exercitio ordinis sacri; atque consequenter ab usu jurisdictionis quæ non nisi mediante ordine exerceri potest, ut in dispensatione sacramenti Pœnitentiæ. Nihil vero obstat quominus exerceat jurisdictionem ordinariam, non secus ac delegatam, in actibus qui non requirunt ordinem; siquidem ex jure canonico irregularitas non cadit in jurisdictionem. Hinc Episcopus irregularis potest litteras dimissorias et dispensationes concedere, sacerdotes ad audiendas confessiones deputare. Parochus irregularis potest alium delegare ad ministrandum sacramenta, potest assistere matrimoniis suorum parochianorum uti testis jure communi assignatus, dummodo provideat benedictionem nuptialem ab altero presbytero dari. Si non possit impetrare dispensationem, necesse ipsi erit ut officium dimittat, cum non possit conservare ad tempus indefinitum titulum cujus onera implere impeditur [1].

801. — III° *Quis statuere valeat irregularitates, et quomodo interpretanda sint jura de irregularitatibus constitutis a legislatore?*

I. Irregularitates statui possunt a S. Pontifice, et a concilio generali; non vero ab Episcopis pro sua respective diœcesi, aut provincia. Ita omnes.

Assertio probatur ex consuetudine generali et ipso consensu unanimi canonistarum, potius quam ex ulla Constitutione quæ rem definierit. Notio irregularitatis suadet ut non aliter statuatur quam a summa auctoritate; siquidem irregularitates proxime referuntur ad servandam dignitatem status clericalis, atque ubivis gentium prævalent. Clericus qui irregularitate adstrictus est nullibi potest ad sacrum ministerium promoveri.

Plures e canonistis ulterius progrediuntur, asserendo irre-

[1] Suarez, disput. XL, sect. II, n^is 41-46.

gularitates induci non posse a consuetudine etiam generali, quod deducere conantur ex Decretali *Is qui*, 18, DE SENT. EXCOMM. in VI°, ubi declaratur illum qui in Ecclesia polluta scienter celebrare præsumit, licet in hoc temerarie agat, irregularem non esse, *cum id non sit expressum in jure.* « Cum in dicto capite, ait Suarez, pro regula ponitur, nullam « esse irregularitatem, nisi sit in jure expressa, manifeste « excluditur omnis alius modus inducendi irregularitatem. » (Disp. XL, sect. IV, n° 13.) Hæc tamen, incidenti propositione dicta, nullatenus videntur statuere regulam generalem, nec derogare principio juris communis quo datur consuetudini vis inducendi legem per omnem Ecclesiam. Si vero ad tempora præterita respexerimus, negari vix potest aliquas irregularitates ex diuturna Ecclesiæ consuetudine fuisse introductas. (Reiffenstuel, in tit. XXXVII, n° 67.) ... Quidquid speculative dicatur de illa vi consuetudinum, parum refert ad praxim, cum omnes irregularitates, undecumque ortæ fuerint ab initio, insertæ sint pluribus abhinc sæculis in jure scripto, et haud verisimile videatur alias in futurum superinducendas fore a consuetudine Ecclesiarum.

II. Jura a legislatore constituta de Irregularitatibus interpretantur canonistæ his adhibitis regulis : I^a^ Dicendum statui irregularitatem quoties indicatur in lege effectus proprius et directus irregularitatis, scilicet inhabilitas ad susceptionem ordinum. II^a^ Non est irregularitas, quando impedimentum, seu interdictio ordinis, incurritur tantum per sententiam a judice ferendam : nec etiam quando verba legis sunt æquivoca, adeo ut intelligi possint indifferenter de suspensione, de interdicto et de irregularitate, siquidem *in obscuris minimum est servandum.* Irregularitas censetur pœna gravior suspensione et interdicto, quia removet absolute ab ordine, officio et beneficio, nec obtinetur communiter hac in materia dispensatio nisi a S. Pontifice. III^a^ In dubio, sive juris, sive facti, non præsumitur

adesse irregularitatem, nisi tamen dubium facti sit circa homicidium.

De dubio juris, communis est opinio doctorum, quod plane sufficit ad probationem regulæ datæ; in iis enim quæ sunt legis humanæ, doctrina unanimis indicat quo sensu lex sit interpretata, aut saltem usu temperata in societate. Porro dubium juris subsistit quamdiu dubium permanet inter doctores auctoritate graves, etsi sententia quæ stat pro existentia irregularitatis nobis forte probabilior videatur opinione contraria. « Quando est varietas opinionum pro-« babilium, ait Suarez, in universum censeo non incurri ir-« regularitatem, quoties judicio virorum doctorum opinio « negans in eo casu incurri irregularitatem probabilis est, « etiam si judicetur minus probabilis speculative... Nam « quando res est in se adeo obscura et dubia ut homines « docti de illa judicantes inter se non consentiant, merito « censeri potest non satis expressa in jure. » (Loc. cit., sect. v, n° 6.)

De dubio facti idem dicendum arbitramur, non quidem ob rationes sæpe allegatas, sed propter ipsam communissimam canonistarum opinionem, quæ in causis disciplinaribus multum valet. Sanctus Alph. de Liguori asserit hanc sententiam esse communem apud theologos (lib. VII, n° 347); quod non de theologis probabilistis solum dici potest, sed etiam de cæteris qui systemata severiora circa delectum opinionum sectantur; unde Collet de illa sententia dixit : « C'est « le sentiment de Cabassut, des Conférences d'Angers et de « celles de Condom, et du plus grand nombre des théolo-« giens, et c'est avec raison. » (*Traité des dispenses*, liv. VI, chap. I, n° 127.) Tribunalia ecclesiastica neminem condemnant uti irregularem in dubio facti : porro, id regulariter servari potest in foro interno quod in foro externo observatur, cum lex externa sit regula obligationum.

Non idem sentiunt canonistæ in casu dubii de homicidio,

quia plures sunt decisiones in Decretalibus quæ statuunt sequendam fore in hujusmodi dubio partem tutiorem, ob eam forte causam quod nec suspicio quidem homicidii cadere debeat in clericum. (Cap. *Ad audientiam*, 12, cap. *Significasti*, 18, DE HOMICIDIO.) Ut vero hæc sententia prævaleat in praxi nonnullas conditiones apponunt, scilicet : 1° ut certum sit corpus delicti, id est homicidium, et dubitetur an mors acciderit culpa illius de quo agitur; 2° ut fuerit vere homicidium, non simplex mutilatio; 3° ut irregularitas illa dubia afficiat solum clericos, non laicos; 4° ut vim habeat quoad ordinum susceptionem, non quoad impetrationem beneficiorum in clerico rite ordinato. Ratio harum exceptionum est quod canones allati statuunt de homicidio a clerico patrato : interpretes non innituntur necessitate sequendi in dubio partem tutiorem, sed jure positivo, voluntate nimirum SS. Pontificum qui legem ita edixerunt, ad consulendum efficacius decori status clericalis, et ad removendum a fidelibus periculum scandali[1].

802. — IV° *Qui possint contrahere irregularitatem, et utrum aliquis possit pluribus simul irregularitatibus detineri?*

I. Sequitur ex ipsa notione irregularitatis incapacitatem ad recipiendos ordines statui jure divino, et impedire ne valide suscipiantur, dum irregularitas inducta est ex jure canonico et obstat solum quominus licite conferatur ordo. Hoc autem supposito, dicimus omnem et solum virum baptizatum posse contrahere irregularitatem. Mulieres, v. g., non sunt irregulares, sed incapaces jure divino recipiendi sacros ordines. Item vir non adhuc baptizatus non potest, si proprie loqui velimus, esse irregularis, quandoquidem nec ipse est capax sacramenti Ordinis donec baptizetur. Si forte reperiantur in illo defectus naturales vel morales qui baptizatos efficiunt

[1] Cf. Suarez, loco cit., sect. VI, n[is] 6-13. S. Alph. de Liguori, n° 347.

irregulares, iidem tamen defectus in homine infideli, aut etiam catechumeno, quamdiu in eo statu permanet, non inducunt irregularitatem. Id solum quæri potest, utrum actus pravi perpetrati, vel defectus naturales ante baptismum contracti, ita post baptismum remaneant, ut hominem irregularem efficiant, quod infra expendemus.

Omnes viri baptizati, si unum excipias S. Pontificem, possunt contrahere irregularitatem. Episcopi obnoxii sunt, non secus ac cæteri fideles, legi canonicæ inducenti irregularitates; quamvis enim omnes ordines susceperint, et sub eo respectu irregularitas suum effectum in eos non exserat, possunt interdici exercitio sacrorum ordinum et inhabiles effici ad assecutionem officii et beneficii. Quod asseruimus (n° 757) ex capite *Quia periculosum*, Episcopos non comprehendi in statuto generali inducente suspensionem aut interdictum, nisi de illis specialis mentio facta sit, non habet locum in præsenti materia; siquidem nihil hujusmodi constitutum fuit in gratiam Episcoporum in eo quod ad irregularitates refertur. Cap. *Cum medicinalis*, 1, DE SENT. EXCOMM., in VI°, supponit prælatos Ecclesiarum irregularitatem non effugere, si divina officia exsequi præsumpserint, non obstante suspensione.

S. Pontificem excipiendum diximus : obligari quidem potest moraliter quoad vim directivam jure canonico, non vero quoad vim coactivam; irregularitas autem pertinet ad vim coactivam. (Suarez, loc. cit., sect. VII, n° 7.)

II. Certum est aliquem posse pluribus simul irregularitatibus detineri diversæ speciei ex defectu et ex delicto, de quo omnes consentiunt. An vero idem dicendum sit de irregularitatibus ejusdem speciei, adeo ut quemadmodum ille pluribus successive censuris ejusdem naturæ innodatur, qui pluries idem delictum perpetrat cui ipso facto censura annexa est (n° 767), ita et qui iteratis vicibus peccatum committit cui irregularitas annectitur, non ita constat. Plures negant ob

duplicem rationem : 1° quia non exprimitur in jure irregularitatem multiplicari ex multiplicatis delictis intra eamdem speciem : porro irregularitas non incurritur nisi exprimatur in jure ; 2° quia irregularitas « est quædam inhabilitas per « modum habitus permanentis, ait Garcias, et sic multiplica- « tur multiplicatis actibus ejusdem rationis, seu generis ; « censura autem est quædam pœna per modum transeuntis, « cum sit de se absolubilis, seu vinculum dissolubile[1]. » Alii affirmant : 1° quia toties incurritur irregularitas quoties committitur delictum cui jure ipso facto imponitur irregularitas ; porro qui, v. g., violat censuram exercendo ordinem sacrum, actum facit cui irregularitas annectitur ipso jure ; ergo repetitis vicibus toties innodatur irregularitate, quamvis lex illud consectarium non indicaverit : 2° nihil repugnat quominus aliquis duobus impedimentis ejusdem speciei detineatur, sicuti potest ligari duabus censuris solo numero diversis, ex causis distinctis ; sub eo enim respectu non assignatur verum discrimen inter censuras et irregularitates, et non est cur aliter de illis ratiocinemur. Ita Suarez, *de Censuris*, disp. XLII, sect. I, n° 2. In praxi, quando postulatur dispensatio, « si « irregularitates contractæ sunt ob delictum ejusdem generis « sæpius iteratum, ait Schmalzgrueber, non opus est expri- « mere vices in particulari in quibus irregularitas contracta « est ; necessarium tamen est saltem in genere eas exprimere, « ut pro omnibus dispensatio concedatur. (In titulum DE PŒNIS, lib. V Decret., n° 122. S. Liguori, lib. VII, n° 353.)

803. — V° *Quibus causis aliquis excusari possit ab irregularitate?*

Irregularitates ex defectu incurruntur ipso facto, quæcumque fuerit voluntas aut intentio illius qui in hunc defectum

[1] Garcias, *de Beneficiis*, part. VIII, cap. III, n° 87. — Sanchez, *de Matrimonio*, lib. VIII, disput. XXIV, n° 7. — Collator Andegavensis, II^e^ confér. *sur les Irrégularités*, 1^re^ question. — Collet, *Traité des dispenses*, liv. VI, chap. III, n° 187.

incidit. Quod ad irregularitates ex delicto attinet, cum ex dictis supra supponant delictum grave et consummatum, sequitur causas quaslibet quibus removetur ab actu ratio peccati lethalis, excusare ab irregularitate. Superest vero quæstio difficilis an excuset etiam ignorantia legis irregularitatem statuentis. Tres sunt ea de re opiniones. 1ª tenet sufficere cognitionem legis divinæ qua res aliqua vetita est, v. g. homicidium; 2ª tenet requiri cognitionem legis ecclesiasticæ rem prohibentis, non vero cognitionem irregularitatis huic delicto annexæ; 3ª demum eorum est qui dicunt requiri simul cognitionem legis canonicæ actionem pravam prohibentis, et cognitionem irregularitatis eadem lege constitutæ in transgressores.

Iª Opinio his rationibus nititur: 1° ut irregularitas incurratur non obstante ignorantia legis canonicæ, duo sufficiunt: primum, quod Ecclesia possit statuere irregularitatem pro actu quatenus est contra legem naturalem, etiamsi non sit formaliter contra legem ecclesiasticam; secundum, ut id voluisse æstimanda sit: atqui utrumque constare videtur. Quod possit, ita manifestum nobis est ut probare non aggrediamur; quod autem reipsa voluerit, merito præsumitur. Quoties enim legislator simpliciter decernit irregularitatem ob crimen, nihil aliud explicans, sed solum requirens ut crimen patratum sit, toties, si nihil aliud obstat, qui crimen commisit eo ipso in irregularitatem incidit. Hic nihil certe obstat, eo præsertim quod irregularitas respicit indecentiam quam actus habet ex se, quatenus est contra jus naturale aut divinum, etiamsi præscindatur transgressio præcepti ecclesiastici. 2° Cap. *Cum illorum*, 32, DE SENT. EXCOMM., declarat illos qui, postquam in sententiam excommunicationis propter violentam percussionem clerici incidissent, sacros ordines susceperant, facti memoriam aut juris peritiam non habentes, dispensationem obtinere posse ab abbatibus monasteriorum, post injunctam pœnitentiam regularem, ut in susceptis ordinibus ministrent,

nisi sit ratio gravis præsumendi contra allegatam oblivionem vel ignorantiam. Ergo ignorantia juris non eximit, alioquin in casu allato dispensatio non fuisset necessaria... (Suarez, disput. XL, sect. V, n° 10; Collet, *de Irreg.*, part. I, cap. IV. Plures in eo sensu doctores citat Sanchez, *de Matr.*, lib. IX, disp. XXXII, n° 16.)

II[a] opinio, quam S. Liguori dicit communissimam, et probabiliorem reputat, probatur 1° ex regulis religiosorum et ex canonibus quibus regulares et clerici eximuntur a pœnis contra delicta latis a jure, quando has regulas, hosve canones, bona fide ignoraverant. Sic, in cap. *Proposuisti*, 2, dist. LXXXII, Innocentius II eximit a pœna depositionis quosdam clericos incontinentes qui ex vi constitutionis Syricii deponi debuissent ob violatam legem; illos vero non ob aliam causam excusat, nisi quod legem ignoraverint: unde concluditur prærequiri cognitionem legis canonicæ, ut quis irregularitatem incurrat. 2° Ratione. Irregularitas ex delicto, etsi principaliter statuta sit in favorem status clericalis, et non sit primario pœna, participat aliquatenus tamen naturæ pœnarum; dubitari enim non potest quin Ecclesia voluerit punire reum, eum arcendo a sacris ordinibus et ordinum susceptorum exercitio; unde fit ut canonistæ generatim disserant de irregularitatibus in suis commentariis tituli juris *de Pœnis*. Irregularitas est igitur lata simul ad puniendum delinquentem et ad providendum decentiæ status clericalis. At vero qui legem canonicam aliquod delictum prohibentem bona fide ignorat, pœnam ab ea latam subire non debet; legem enim humanam transgressus non est formaliter, nec incidit, respectu status clericalis, in eam indecentiam quam induxisset contemptus auctoritatis ecclesiasticæ. « Irregularitas, inquit Sanchez, est « pœna contemptus, unde deficiente contemptu minime in- « curritur. » Sanchez, loc. cit., n° 17; Schmalzgr., in tit. *de Pœnis*, n[is] 105-108, qui sic concludit : « Hæc sententia ut

« communis et in praxi recepta, omnino tenenda est; con-
« traria tamen, quæ vult in eo casu non incurri irregularita-
« tem, adhuc probabilis est. » Ita S. Liguori, n° 350.

III[a] demum opinio quam Suarez, Schmalzgrueber, S. Liguori, dicunt probabilem, fundatur præcipue hoc principio quod pœna delicto æqua irroganda sit; quamobrem cum levius sit delictum, minorque contemptus legis, quando quis transgreditur legem gravissimas pœnas continentem, hujusmodi pœnas ignorans, non debet eisdem pœnis subjici. Nec objiciatur reum qui legem humanam novit, ac violat, merito plecti pœnis quas legislator in transgressorem statuit. Ita est, inquiunt, quoad pœnam ordinariam et mediocrem delictique naturæ respondentem, non vero quoad pœnam extraordinariam et exorbitantem, qualis est irregularitas quam reus nullatenus suspicatus est constitutam a lege in pœnam delicti. (Navarrus, *Manuale*, cap. XXIII, et alii citati apud Sanchez, n° 20, loco citato, et apud S. Liguori, n° 351.)

Ex tribus opinionibus, prior nobis videtur multo probabilior speculative, magis utique principiis consentanea. Pleraque argumenta contra eam allata educuntur ex textibus qui non sunt ad rem; quandoquidem non agunt de irregularitatibus, sed de censuris quarum alia prorsus est ratio; vel gratuito supponunt irregularitatem esse pœnam contemptus legis canonicæ.

Ab illa opinione theologi non recesserunt nisi posteaquam irregularitates ex *delicto* cum censuris confusione notionum commiscuerint. Verumtamen quacumque ratione ad id fuerint adducti, certum manet maximam inter doctores, sæculis subsequentibus, ortam fuisse dubitationem an irregularitas inducatur ex delicto in casu ignorantiæ legis canonicæ actum prohibentis et statuentis irregularitatem: porro, illa controversia, in qua opiniones contradictoriæ habentur apud doctores auctoritate graves, uti vere probabiles, sufficiens est ad dubium juris. Proinde, admissis principiis de dubio in mate-

ria irregularitatum, concludendum nobis est neminem teneri, in foro saltem interiori, se irregularem habere, qui bona fide ignoraverit legem et irregularitatem legi annexam.

§ 2. *De irregularitatibus ex defectu.*

804. — Defectus quos Ecclesia judicavit obstare quominus quis assumatur ad statum clericalem sunt defectus quidam animi, corporis, natalium, famæ et indolis. Hujus disciplinæ rationem egregie declarat S. Thomas : « Ordinati, inquit, in « quadam dignitate præ aliis constituuntur. Ideo ex quadam « honestate requiritur in eis claritas quædam, non de neces- « sitate sacramenti, sed de necessitate præcepti; ut scilicet « sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice pœni- « tentes. Et, quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa « origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati a susceptione « ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur, et tanto est « difficilior dispensatio quanto eorum origo est turpior. » (In IV *Sent.*, dist. XXV, quæst. II, art. 2.)

805. — I° *Quæ sint irregularitates ex defectu animi?*

Tres sunt ex parte animi defectus qui excludunt a statu clericali, nimirum : defectus rationis, scientiæ, et fidei sufficienter confirmatæ.

I. Ob defectum rationis excluduntur amentes, energumeni, et epileptici, quod ex subsequentibus textibus juris deducunt canonistæ. Cap. *Maritum*, 2, distinct. XXXIII : « Clericum non « ordinandum... illum qui in furiam aliquando versus insa- « nivit, vel afflictione diaboli vexatus est. » Cap. *Clerici*, 4, ejusd. distinct. : « Clerici qui in adolescentia a dæmonibus « cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum « ascendere non possunt. » Cap. *Maritum* est incerti auctoris, nec proinde habet per se auctoritatem, at communiter allegatur uti indicans disciplinam canonicam. Cap. *Clerici* attribuitur Nicolao Papæ. Eadem statuuntur in cap. *Communiter*, 3, ejusdem distinctionis. — Hæc de amentibus et energumenis :

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

quod ad epilepticos spectat, citabimus cap. *In tuis litteris*, 1, et cap. *Nuper Foropopulensis*, 2, caus. VII, quæst. 2. In priori capite Alexander II respondit dubio proposito circa clericum sacro presbyteratus ordini initiatum qui morbo caduco laborabat... « Consulimus ut si frequenter hoc morbo tangitur, « ab oblatione et Missarum celebratione modis omnibus pro- « hibeatur : indecens enim est, et periculosum, ut in con- « secratione Eucharistiæ morbo victus epileptico cadat. Si « vero Dei misericordia convaluerit... eum sacrificare jam « non interdicimus. »

Hæc notanda ad intelligentiam et applicationem practicam canonum.

1° Ante omnia inquirere necesse est an sit vere amentia, possessio dæmonis, aut epilepsis, quod aliquando non ita facile dignoscitur; sunt enim morbi qui cum istis infirmitatibus aliquam similitudinem habent, nec eadem procreant pericula. Textum quem attulimus de amentibus, de omni amentia interpretandum ducimus, sive quis in iram et furorem provocetur dum eo morbo laborat, sive sit tantum stolidus, ratione carens, quia, uti observat sapienter Suarez, « ad ordinis ineptitudinem perinde est. » (*De Irregul.*, disput. LI, sect. I, n° 3.)

2° Amentia et possessio dæmonis, si ordinationem præcedant, inducunt perpetuam irregularitatem, modo tamen amentia non proveniat ex casu mere accidentali ac transitorio, sed a causa permanente. Ratio est quod textus citati non statuunt solum removendos fore ab ordinibus qui actu sunt amentes, aut energumeni, de quo sane nullum dubium oriri potuit, sed illos omnes qui in furiam aliquando versi insanierunt, vel qui cognoscuntur fuisse in adolescentia a dæmone obsessi. Insuper qui in amentiam lapsi sunt, raro præsumuntur perfecte sanati, et ab omni periculo reincidendi in priorem statum liberi : qui autem fuere olim a dæmonibus vexati, non judicantur idonei ad sacrum ministerium. Hinc

concludit Suarez, ac nos ipsi concludimus cum opinione communiori, non satis esse sanitatem recuperasse, sed sub lege irregularitatis remanere qui hunc defectum aliquando passus fuit.

Idem dicendum de epilepticis existimant communius theologi; « nam hi etiam irregulares sunt, ait Suarez, et si « ordinati non sunt, quamvis morbo integre liberentur, ordi- « nari non possunt. » Nonnulli tamen aliter opinantur, quia non sunt ea de re textus in jure qui rem certo definiant; asserunt præterea praxim in suis partibus habere ut ordinentur qui post certum tempus liberati fuerint ab hac infirmate. Re quidem vera, textus apud auctores citati non statuunt de epilepticis sed de vexatis a dæmonibus; quamobrem non est cur perseveret irregularitas in iis quos, judicio medicorum, et post notabile tempus experimenti, moraliter certum est a morbo convaluisse. Azevedo testatur se consuluisse ea de re viros in jure versatissimos qui plane gnari erant sensus S. Congregationis, et Episcopos doctrina conspicuos, qui arbitrati sunt non esse locum in hoc casu irregularitati, in iis etiam qui ad vigesimum usque octavum annum epilepsi laboraverant, et concludit: « Ad theologos attinet decernere « an aliquid impedimento sit ad ordines suscipiendos; an « vero aliquis sit obnoxius morbo attinet ad medicos : si juxta « illorum judicium non adsit morbus, nullum ex morbo im- « pedimentum consequitur[1].

3° Qui in amentiam, energumenatum, aut epilepsim incidit post ordinationem, fit irregularis quoad exercitium ordinum susceptorum; sed illa irregularitas est temporalis. Tamdiu solummodo durat quamdiu clericus non recuperaverit sanitatem; ex quo removetur periculum morale relapsus, permittitur clerico suis officiis fungi.

[1] Suarez, disput. LI, sect. I, n^is 4–8. — S. Liguori, n^is 398, 399. — Collator Andegav., II^e *conférence*, n^e *question*. — Azevedo, *Exercitationes ecclesiasticæ, exercit* XVIII. *de Ordinibus conferendis.*

Ex decreto *Communiter*, 3, dist. XXXIII, quod S. Pio I tribuitur, energumeni « tamdiu erunt ab officii sui ordine et « loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretio- « nem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonum liberati. » Alexander II (cap. *In tuis litteris*) vetuit quominus permitteretur celebratio Missarum clerico qui *frequenter* morbo caduco cadit; non interdixit, si e morbo convaluerit. Quid vero si nec frequenter cadat, nec convaluerit, sed identidem casus intercidant? Juxta Suarez, non permittendum est ut suo officio fungatur in celebratione Missarum, si ægrotans cadendo voces det confusas atque spumas ore jactet, et hoc videtur concludendum ex cap. *Nuper Foropopulensis*, in quo Gelasius Papa supponit removendum a sacris clericum qui repente collapsus, sive in domo, sive in processione, aut alio quocumque loco, hæc passus sit. Si vero casus rari sint[1], et istius modi circumstantiæ removeantur, non privabitur ministerio, servatis loco et tempore quibus scandalum præcaveatur. (Suarez, loc. cit., n° 6; Collet, *Traité des dispenses*, n° CXXXVI.) Expedit plerumque ut non concedatur presbytero infirmo sacra peragere aliter quam præsente alio sacerdote, qui, si exposcat necessitas, illius vicem exsequatur, uti præcavit conc. Toletanum XI, cap. *Illud divini*, 15, caus. VII, 9, 1. — Hæc cuncta gravem difficultatem sæpius habent in praxi, ob periculum ne gravetur notabiliter status infirmi presbyteri, si nimiam tristitiam experiatur ex interdicto functionum sui ordinis; unde perpendi simul debent quid religio ex una parte, quid caritas ex altera parte, suadeat, et res deferenda est ad Episcopum qui providebit.

806. — II. Ob defectum scientiæ excluduntur illitterati, de

[1] Hæc notat Collet : « L'auteur de la *Morale de Grenoble* et Pontas regar- « dent comme fréquents les accès qui arrivent une fois par mois, et comme « rares, ceux qui n'arrivent qu'une fois, deux fois par an. » *Traité des dispenses*, liv. VI, n° 135. E contra S. Alph. de Liguori reputat raros dicendos esse casus epilepsis si *semel in mense* accidant, n° 599.

quibus S. Gelasius statuit : « Illiteratos, aut aliqua parte « corporis vitiatos, nullus præsumat ad clericatus ordinem « promovere; quia litteris carens sacris non potest esse « aptus officiis... » (Cap. *Illitteratos*, 2, distinct. XXXVI.)

Inde concluditur defectum scientiæ esse veram irregularitatem; nam Gelasius eodem prorsus modo de illitteratis statuit quam de corpore vitiatis, prohibendo ne in alterutro casu ad clericalem statum aliquis admittatur. Cap. *Nullus*, 4, DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM in VI°, interdicit Episcopis, sub pœna suspensionis per annum a collatione tonsuræ clericalis, primam tonsuram conferre illitteratis.

Illitteratos intelligimus, in præsenti quæstione, non solum qui legere nesciunt, sed qui non habent scientiam stricte necessariam. Ideo enim Gelasius Papa illitteratos excludit, *quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis :* porro manifestum est illum qui, etsi linguam vernaculam et etiam Latinam didicerit, non ea scientia mediocri instructus est qua valeat casus communiter occurrentes in exercitio ordinis resolvere ac in difficilioribus consulere viros peritiores, aptum nequaquam esse sacris officiis. Si res ad præscriptum juris naturalis et divini tantummodo expenderetur, satis forsitan esset ad suscipiendum sacros ordines ut quis idoneus foret adipiscendæ scientiæ et animo paratus ad non exercendum ordinem ita susceptum nisi quando scientiam competentem assecutus fuisset; sed rationem insuper habere oportet legum canonicarum quæ actu ignorantes repellunt. « Quapropter, ait Suarez, maxime sunt circa hoc observandi « canones ecclesiastici : nam defectus illius scientiæ quam « ad singulos ordines ipsi canones requirunt, inducet hanc « irregularitatem ad illos suscipiendos. » (Disp. LI, sect. I, n° 8.)

Gradus autem scientiæ necessariæ clericis, ex jure canonico, varius est pro ratione ordinis suscipiendi, et determinatur a Conc. Trid., sess. XXIII, cap. IV, XI, XIII, XIV. Requi-

rit utique concilium, ut initiandi prima tonsura legere et scribere sciant, et cognoscant rudimenta fidei. — Ut ad minores ordines promovendi linguam Latinam intelligant. — Ut ordinandi in subdiaconos sint litteris, et iis quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi. — Tandem ut promovendi ad sacerdotium idonei comprobentur ad docendum populum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad sacramentorum administrationem. Quamvis promovendus ad sacrum presbyteratus ordinem abstinere debeat per aliquod tempus ab illa rerum sacrarum dispensatione, nec adhuc approbandus sit et deputandus ad excipiendum confessiones pœnitentium, aliqua tamen eum peritia donari oportet de conditionibus necessariis ad sacramentum Pœnitentiæ, ne forte casus necessitatis contingat.

Irregularitas ex defectu scientiæ, cum non sit absoluta sed relativa, non impedit clericum ordinatum nisi quoad actus sacri ministerii pro quibus non habet gradum scientiæ omnino necessarium. Excipe tamen si quis suæ ignorantiæ conscius, ordines furtive suscepisset non examinatus; in hoc enim casu abstinere deberet ab omni actu ordinis suscepti; esset quippe suspensione innodatus.

807. — III. Ob defectum fidei sufficienter confirmatæ, irregulares censentur : 1° Recens conversi ab infidelitate vel ab hæresi, juxta sententiam S. Pauli : *Non neophytum, ne in superbiam elatus incidat in judicium diaboli.* (Epist. I ad Timoth. cap. III, 6.) Prudenti arbitrio Episcopi dimittitur ut judicet quando conversi ab infidelitate, sunt sufficienter confirmati in fide. 2° Qui non adhuc susceperunt sacramentum Confirmationis. Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. IV, edixit : « Prima tonsura non initientur qui non sus-« ceperunt sacramentum Confirmationis. » Utrum hoc decreto statuatur irregularitas, ex ipso textu ambiguum et incertum est; eo magis quod in contextu simili modo, iisdemque verbis, declaratur non admittendos ad primam tonsuram

cæteros de quibus probabilis conjectura non sit eos hoc vitæ genus elegisse ut Deo fidelem cultum præstent, non sæcularis judicii fugiendi fraude; quod præceptum significat, non vero irregularitatem proprie dictam. Animadvertendum præterea theologos et canonistas perplures, imo *communissime*, teste S. Alph. de Liguori (lib. VI, n° 183), docere initiatum prima tonsura, non recepto prius sacramento Confirmationis, non peccare mortaliter, nisi ex contemptu illud omittat, et nullam incurrere censuram. Exinde concludendum videretur non adesse irregularitatem, tum quia non est sufficienter expressa in jure, tum quia tot doctores non reputavissent esse culpam solum venialem in eo qui ordines suscipere præsumpserit non obstante irregularitate. Refertur tamen apud Fagnan, et apud Giraldi, S. Congregationem declaravisse illum male promotum fuisse ad ordines qui sacramento Confirmationis perunctus fuit post susceptos ordines minores, minus legitime acquisiisse beneficia simplicia ante confirmationem, et indigere nova provisione; tandem non posse ad sacros ordines ascendere nisi prævia Sedis Apostolicæ dispensatione. (N° 800. Fagnan, in cap. *Cum contingat*, n° 96, DE ÆTATE... PRÆFICIENDORUM, lib. I Decret.; Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. XCI.)

808. — II° *Quæ sint irregularitates ex defectu corporis*[1]?

Olim non alii defectus corporis reputabantur impedimenta ad ordines quam infirmitates quæ hominem imparem efficiunt sacro ministerio; unde dicitur in *Canonibus apostolorum :* « Si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, et « dignus sit, Episcopus efficitor : non enim mutilatio corpo- « ris ipsum polluit, sed inquinatio animæ. Qui vero mutus, « surdusve et cæcus est, Episcopus non efficitor, non quia

[1] Distinct. LV, in decreto Gratiani, tit. XV, lib. I Decret. DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS VEL NON. Tit. VI, lib. III; DE CLERICO ÆGROTANTE VEL DEBILITATO.

« corpore oblæso est, sed ne ecclesiastica munia impedian-« tur. » § 76, 77. Sæculis subsecutis disciplina paulisper immutata fuit, ne fidelibus fide infirmioribus scandalo essent quidam defectus corporales in clerico, et invaluit principium istud generale : Adest irregularitas quoties aliquis, vel non secure propter debilitatem, vel non sine scandalo propter deformitatem, posset munia ecclesiastica obire. Colligitur ex cap. *Presbyterum*, 2, et *Tua nos*, 4, DE CLERICO ÆGROTANTE.

Hinc 1° qui habent infirmitates corporales quæ juxta definitiones canonicas speciatim recensentur inter impedimenta ad ordines, qui scilicet cæcitate laborant, utroque oculo orbati... qui manu altera mutilati sunt... qui oculum effossum habent... qui naso vel labiis privantur... qui ita claudi sunt ut ambulare absque baculo non possint vel pede ligneo utuntur... qui lepram patiuntur... sunt irregulares.

Hinc 2° qui versantur in alterutro casu quem principium generale complectitur, sunt etiam irregulares, quamvis nulla fiat in jure specialis mentio de infirmitate qua afficiuntur, siquidem exempla allata in canonibus non sunt limitativa juris sed tantum indicativa : v.g., surdi utraque aure, muti, qui pollice aut indice carent, aut manum tremulam habent adeo ut non possint elevare sacram Eucharistiam aut eam dispensare fidelibus, reputantur irregulares; unius autem digiti ablatio, imo duorum digitorum qui necessarii non sunt ad sacras functiones, non parit irregularitatem.

Hinc 3° si talis sit defectus qui nec exprimatur in jure, nec manifeste obstet quominus clericus tuto atque decenter fungatur ordinibus, dimittitur Episcopo ut pro suo prudenti arbitrio judicet an adsit irregularitas vel non. « Communis « resolutio est, ait Suarez, id pertinere ad Episcopos. » (Disp. LI, sect. II, n° 16.)

Canonistæ communissime dicunt irregularem esse qui

sinistro oculo captus est, quia non potest, celebrando sacra mysteria, legere canonem absque indecenti conversione : eam ob causam oculus sinister vocatur apud ipsos *oculus canonis*. Verumtamen, si facultate videndi oculo sinistro privatus, possit nihilominus legere canonem sine deformi conversione faciei, non censendus est irregularis. Item nec irregularis habebitur cui erutus fuit oculus, si difformitas illa reparetur per oculum vitreum, uti notat S. Alph. de Liguori, n° 410.

Qui nimia brevitate staturæ risum concitarent, aut non possent ad altare convenienter sacrum agere, recensendi sunt inter irregulares.

Hæc exempli causa attulimus; quæ enim disseruntur apud canonistas de lingua impeditis, de surdastris, de macula deformi in facie notatis, de quibusdam morbis affectis, cæterisve istius modi difformitatibus, supervacaneum est perpendere, cum solutio dubiorum in praxi pendeat quoad singulos casus a gradu infirmitatis, et ratio simul habenda sit dotum personalium promovendi, utilitatis quam afferre potest Ecclesiæ, morum denique regionis.

809. — III° *Qui irregulares sint ex defectu natalium*[1] ?

I. Nulla fit mentio hujus irregularitatis per decem priora sæcula; quinimo plures inveniuntur textus Patrum collecti in decreto Gratiano, ex quibus concludere datur veteres nullatenus respexisse ad natalitia promovendorum, nec alios a statu clericali removendos duxisse quam personaliter indignos. Prima constitutio canonica excludens ab ordinibus filios illegitimos edita est in synodo Pictaviensi cui præfuit Legatus Sedis Apostolicæ, anno 1078. Sic se habet : « Ut filii « presbyterorum, et cæteri ex fornicatione nati, ad sacros

[1] Tit. XVII, DE FILIIS PRESBYTERORUM, lib. I Decret. — Tit. XVII, QUI FILII SINT LEGITIMI, lib. IV. — Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. XXIV, n^is^ 11-14. Breve *Redditæ nobis*, ann. 1744, in quo fuse disseritur an filii ex adulterio procreati legitimentur subsequenti matrimonio.

« ordines non promoveantur; nisi aut monachi fiant, vel in « congregatione canonica regulariter viventes : prælationem « vero nullatenus obtineant. » (Cap. I tit. DE FILIIS PRESBYTERORUM.)

Probabile est, uti conjicit Benedictus XIV, hanc disciplinam initium duxisse ab exclusione prolis illegitimæ sacerdotum, quam Ecclesia a sacro ministerio repulit ut cohiberetur incontinentia clericorum : inde vero extensa fuit ad filios illegitimos laicorum; ac demum ex una provincia in alias propagata, vim auctoritatemque juris communis obtinuit, præsertim post promulgationem decretalium Gregorii IX.

Nihil refert an illegitimitas sit occulta aut publica; siquidem irregularitates ex defectu, si excipias infamiam, nullatenus pendent a notorietate, sed ab ipso facto.

II. Vi disciplinæ constabilitæ irregulares sunt : 1° qui nati sunt extra matrimonium; 2° qui nati sunt ex matrimonio contracto coram Ecclesia servatis solemnitatibus jure requisitis, sed invalido ob aliquod impedimentum dirimens. 3° Qui nati sunt ex matre legitimo matrimonio juncta, præsumuntur legitimi, et dicitur generatim filium non teneri credere suis parentibus asserentibus illum esse spurium, quia turpitudinem suam revelanti fides non adhibetur. Si tamen certa ipsi daretur probatio illegitimitatis, teneretur se irregularem habere, et consequenter abstinere ab usu ordinum quos bona fide recepisset.

Alexander III censuit filios non reputandos fore illegitimos, quorum parentes bona fide, publice et sine contradictione Ecclesiæ, contraxerunt; quod etiam tenendum declaravit alius S. Pontifex, si bona fides ex una parte parentum adfuerit. (Cap. *Cum inter*, 2, *Ex tenore*, 14, QUI FILII SINT LEGITIMI.) Non item dicendum si uterque parens egerit mala fide, cum utique cognitione impedimenti, nec si matrimonium contraxerunt clandestine, dum aliquo impedimento tenebantur. Ecclesia non intendit favere malæ fidei parentum; nec igno-

rantiæ culpabili in qua versarentur circa illud impedimentum, ob neglectas formalitates jure præscriptas. (Cap. *Cum inhibitio*, 3, DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.)

Hinc concludimus illos irregulares esse qui orti sunt ex matrimonio mere civili, in locis ubi viget disciplina Tridentina de clandestinitate; nam pontifices qui ob bonam fidem parentum voluerunt favorem dari filiis, id statuerunt in gratiam matrimoniorum publice, sine contradictione Ecclesiæ, celebratorum : præterea, a tempore concilii matrimonia aliter celebrata quam præsente parocho, vel alio sacerdote ex licentia Ordinarii, et coram duobus vel tribus testibus, in locis ubi lex promulgata fuit, non reputantur nec sunt vera matrimonia, sed illicitæ conjunctiones.

Quod vero ad illos attinet qui in infantia expositi sunt a parentibus ignotis, res est valde dubia. Doctores adeo dissentiunt, ut plures ex utraque parte suam quisque opinionem asseverent esse communiter receptam. Alii nimirum dicunt filios expositos non reputari communius irregulares, dum alii e contrario non minus confidenter contendunt communiorem esse opinionem eosdem expositos haberi illegitimos et irregulares. Suarez, expositis opinionibus et auctoritatibus oppositis, concludit utramque opinionem esse probabilem, et licitum esse alterutram in praxi amplecti. Ipse tamen suadet partem securiorem sequi cum hoc moderamine : 1° ut recursus habeatur ad Episcopum ad obtinendum, sin dispensationem proprie dictam, saltem approbationem, quia ordinationes puerorum expositorum obnoxiæ sunt multis incommodis; 2° ut semel ordinati, etiam sine dispensatione, seu approbatione speciali, valeant ordines sacros exercere; quia per ordinationem jus acquisierunt ad usum ordinum, quo jure privandi non sunt ob solum dubium de illegitimitate natalium. Re quidem vera, nihil fieri debet in hac materia inconsulto Episcopo, in quo omnes facile consentient; rationi autem et principiis communiter admissis maxime consentiens

videtur clericum absque ulla fraude ordinatum admittendum esse ad exercitium sacrorum ordinum. Supra dictum est neminem reputandum esse irregularem in dubio juris et facti, nisi specialis lex constituta sit quoad casus particulares, uti in materia irregularitatis ex homicidio : atqui expositi de quibus agimus non repelluntur jure communi a sacris ordinibus, et dubium est an orti sint ex conjunctione illicita, an ex legitimo matrimonio [1].

810. — III. Defectus natalium reparatur legitimatione prolis, quæ fit per matrimonium subsequens, et per concessionem S. Pontificis.

1° Certum est prolem legitimari per matrimonium parentum, modo tamen habiles fuerint ad contrahendum tempore quo prolem susceperunt.

Ita statuitur in utroque jure, canonico et civili. « Tanta « est vis matrimonii, ait Alexander III, ut qui antea sunt ge- « niti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. « Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex « ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem « duxerit, nihilominus spurius erit filius... » (Cap. *Tanta*, 6, Qui filii sint legitimi.) Communis est doctorum sententia ex hac Decretali, et simul ex aliis pluribus sanctionibus canonicis, legitimum fieri filium ortum ex parentibus liberis, nequaquam vero legitimari per matrimonium subsequens prolem ex adulterio progenitam.

Difficultas vero est utrum ad hunc effectum legitimationis attendi duntaxat debeat tempus nativitatis, an etiam tempus conceptus, de quo multum dissentiunt canonistæ, « cum in- « veniantur textus textibus contrarii, ait Benedictus XIV, « cumque doctores doctoribus, tribunalia tribunalibus adver- « sentur. » (Breve *Redditæ nobis*, § 3.) In hac canonistarum

[1] Card. Petra, *Comment.* in Const. XXII Sixti IV, n° 10, tom. V. — Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. XCVI. — Suarez, disput. I, sect. IV, n^is 2-5. — Collet, *de Irregular.*, part. II, cap. I, q. 3.

controversia inclinamur in partem magis faventem proli, tum quia judex in dubio debet esse propensus in bonum et commoda prolis, uti ibidem animadvertit Benedictus XIV (§ 4); tum quia adest dubium juris, quo stante pronuntiare licet in praxi non esse irregularitatem.

2° Legitimatio auctoritate suprema facta reponit prolem in statu filii legitimi, eosdemque effectus operatur ac matrimonium subsequens parentum. Romano Pontifici duntaxat competit jus prolem legitimandi quoad ordinem spiritualem; cum vero hæc legitimatio ab illo facta non habeat in nostris regionibus effectus civiles, raro admodum ad Sanctam Sedem e Gallia recurritur ad eam obtinendam, eo magis quod dispensatio idem operari valeat quoad ordinum et beneficiorum susceptionem.

Est quidem, a parte rei, discrimen inter legitimationem et dispensationem, quod legitimatio sit illimitata et sensu latiori sumitur, exceptis solummodo quæ fuerunt specialiter excepta a jure, dum dispensatio sumitur sensu strictiori juxta tenorem rescripti. Si quis dispensetur tantum ad suscipiendum ordines minores, remanet irregularis quoad ordines majores; si dispensatus sit pro majoribus ordinibus, nihil addito de officiis et beneficiis, indigebit nova dispensatione, si deinceps promoveatur ad aliquod beneficium. Verum, si quis ab initio caute providit ut obtineret dispensationem ad omnes ordines simul et ad beneficia, nihil amplius ipsi opus erit.

Notare est legitimationem, et a fortiori simplicem dispensationem non sufficere 1° ut quis recipiat certas dignitates et nonnulla beneficia, quæ ex præscripto juris, vel ex conditionibus fundationis, concedi debent solis legitimis; legitimati enim non sunt stricte legitimi, sed ex fictione juris; 2° ut filius illegitimus clerici consequatur beneficium in Ecclesia in qua parens ipse obtinuerit beneficium, licet dissimile, nec ut in eadem Ecclesia ministrare possit. Concilium Tridenti-

num statuit sess. XXV, cap. XV : « Ut paternæ incontinentiæ « memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas « sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis « clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in « Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasti- « cum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile « beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquomodo « ministrare... » Hæc disciplina videtur, ex sensu obvio verborum, attingere ipsos filios naturales quos clericus habuit antequam ordinibus initiatus sit. Textum concilii : *nec in iisdem Ecclesiis quoquomodo ministrare*, S. Congregatio interpretata est de quocumque munere ecclesiastico, absque officio et beneficio; nam ad dubia proposita respondit filium illegitimum parochi jam defuncti non posse audire confessiones in Ecclesia in qua pater fuit parochus. (Bened. XIV, *de Synod.*, lib. XIII, cap. XXIV, n° 14.)

811. — IV° *Qui irregulares sint ex defectu ætatis*[1] ?

Prima tonsura initiari possunt qui præditi sunt usu rationis, modo legere et scribere sciant, et fidei rudimenta edocti fuerint. Non est ætas canonibus præfinita pro minoribus ordinibus : conferri solent, ait Benedictus XIV, a septimo ad decimum quartum annum, concurrentibus tamen in ordinando qualitatibus requisitis a concilio Tridentino. (Breve *Eo quamvis tempore*, an 1745, § 19.) Gravis momenti erat olim hæc quæstio qua ætate initiari possent pueri prima tonsura et ordinibus minoribus, quia clerici juniores poterant obtinere beneficia simplicia : nunc vero, cum nulla supersint in nostris partibus hujusmodi beneficia, consuetum est ut expectetur donec maturiorem ætatem assecuti sint, et judicari possit an spes fundata affulgeat eos Ecclesiis utiles futuros esse. Quoad vero majores ordines, requiritur ætas vigesimi secundi anni ad suscipiendum subdiaconatum, vigesimi

[1] Tit. XIV, lib. I Decret. DE ÆTATE ET QUALITATE PRÆFICIENDORUM.

tertii ad diaconatum, vigesimi quinti ad presbyteratum, et trigesimi ad episcopatum; eo tantum admisso discrimine inter sacros ordines et episcopatum, quod pro sacris ordinibus satis sit unius, vel alterius respective anni, inchoatio, pro episcopatu vero complementum trigesimi anni requiratur. (Cap. *Cum in cunctis*, 7, DE ELECTIONE.)

Annus computatur a die et hora nativitatis : ex quo sequitur illum qui natus est v. g. hora septima vespertina non posse subdiaconatum suscipere eodem die recurrente quo 22^um^ annum complet, dum e contrario potuisset eodem die ordinari, si natus fuisset hora septima matutina. Dici non debet diem incœptam pro completa haberi, siquidem, in priori quam fingimus hypothesi, nec ipsa dies incœpit. Non incipit dies anni 22^i^ antequam finitus fuerit annus 21^us^ ; ergo posita lege neminem promovendum fore nisi qui inchoaverit 22^um^ annum, neutiquam ordinari debet mane, qui vespere solum exegit 21^um^ annum [1].

Si quis ordinem susceperit mala fide ante ætatem præscriptam, est suspensus ab exercitio hujus ordinis ex Constitutione Pii II *Cum ex sacrorum* an. 1460; quamobrem si ordinem susceptum exercuerit, incidit in novam irregularitatem : ætate adepta necesse erit ut absolvatur a censura et dispensetur super irregularitate. Qui vero bona fide egit, ignorans defectum ætatis, nulla censura innodatur; tenetur solummodo, statim ac noverit defectum, abstinere ab omni functione sacra hujus ordinis, donec adeptus sit ætatem jure præfinitam.

812. — V° *Qui irregulares sint ex defectu libertatis* [2] ?

Defectu libertatis irregulares sunt generatim hi omnes qui sua conditione officiis alienis ita occupantur, ut non possint

[1] Cf. Fagnan in cap. *Ad nostram*, DE REGULARIBUS, lib. III Decret. — Collet, *Traité des Dispenses*, liv. VI, n° 144.

[2] Distinct. LIV decr. Gratiani. — Tit. XVIII, DE SERVIS NON ORDINANDIS, lib I Decretalium.

se ministerio clericali devovere : præsertim servi proprie dicti, conjugati, et ratiociniis reddendis obligati.

I. A primæva ætate vetitum fuit ne servi promoverentur ad ordines, nisi consultis ac consentientibus dominis, quia « debet esse ab aliis immunis, dixit S. Leo Papa, qui divinæ « militiæ est agregandus, ut a castris dominicis, quibus no- « men ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstraha- « tur. » Cap. *Nullus*, cap. 1, dist. LIV. Ut vero provideret simul dignitati status clericalis et juribus legitimis dominorum, hæc statuit Ecclesia : 1° Nunquam promovendos servos ad ordines, nisi prius certo constiterit de consensu domini; 2° omnes qui, hac cautione prætermissa, furtive fuerint ordinati, e suo statu dejiciendos fore ac in servitutem iterum redigendos, cum eo tamen discrimine quod diaconi possint aliquem in sui locum substituere et quod presbyteri non redderentur suis dominis, sed mulctarentur amissione sui peculii in compensationem damni illati domino; 3° rationem habendam esse conditionum quas dominus indixerit, consentiendo ordinationi servi. Si plenam libertatem directa manumissione dabat dominus, integrum erat servo ad quam voluisset Ecclesiam se transferre; si vero dominus ea conditione consensum dederat ordinationi, ut servus spiritualia obsequia sibi præstaret, servus ea lege adstrictus manebat famulatum impendendi in obsequiis divinorum, ut dicitur in cap. *Eo libentius*, 6, DE SERVIS NON ORDINANDIS. Hæc ad memoriam veteris disciplinæ, et ad mentem Ecclesiæ explicandam, dicta sint.

II. Conjugati remanentes in conjugio irregulares sunt etiam pro prima tonsura, juxta præsentem disciplinam.

Bonifacius VIII prohibuit ne conferatur tonsura conjugato, « nisi volenti intrare in religionem, aut ad sacros ordines « promoveri : » porro jure stabili constitutum est nullum conjugatorum promovendum esse ad sacros ordines « nisi « ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. » (Cap. *Nullus*, 4, DE TEMP. ORDINATIONUM, in VI°; *Conjugatus*, 5,

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM, lib. III Decret.) Ergo irregularitas ex conjugio orta obstat ne quis ordines minores, ipsamque primam tonsuram clericalem, legitime recipiat.

Minime sufficit conjugatis mutua ex condicto separatio ut vir habeat libertatem suscipiendi ordines; necesse est præterea ut uxor monasterium ingrediatur, aut si maturiore ætate sit, nulli obnoxia suspicioni, votum perpetuum continentiæ emittat coram Episcopo. Quin etiam canones supponunt virum ab uxore separatum, initiari sacris ordinibus in congregatione regulari, nisi sit ipse ætate grandævus, et ab omni suspicione incontinentiæ remotus. Si abnuat, velitque ad sacros ordines ascendere in sæculo, maxime dubium est an id ipsi concedi possit ab Episcopo. Refert Benedictus XIV casum propositum fuisse, an. 1728, S. Congregationi, quæ post iteratum examen nullam resolutionem dedit; propterea quod existimatum non fuerit virum, qui, a florente ætate quam agit, ad voluptatem allicitur, per susceptos in sæculo sacros ordines dici posse ab incontinentiæ periculo procul abesse; neque adeo opportunis cautionibus præsidiisque munitum censeri, qualis esset si se in monasterium abderet, ibique religionem profiteretur. Est proinde regulis canonicis omnino consonum, ut adeat Sanctam Sedem, dispensationem expostulaturus, qui, uxore sanctimonialium vitam amplectente, velit, adhuc licet junior, ad sacros ordines conscendere, remanendo in sæculo [1].

III. Irregulares adhuc reputantur, ex defectu libertatis, qui officiis sæcularibus ordinis sive militaris, sive judicialis, sive civilis, obligati manent juramento et stipendio; et alii qui ratiociniis reddendis implicantur.

Concilium Carthaginiense decretum tulit quo removentur ab ordinibus procuratores, actores, exsecutores, seu curatores pupillorum, antequam liberati sint a negotiis. Hoc decre-

[1] *De Synodo*, lib. XIII, cap. XII, n° 14.

tum, quod in librum Decretalium jussu Gregorii IX translatum est, constituit jus commune. (Cap. *Magnus*, DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA.)

Dubitatur 1° utrum lex statuat solum de procuratoribus denariorum publicorum, an etiam de iis qui res privatas aliorum gerunt, uti sunt, v. g. tutores pupillorum; 2° utrum necesse sit ut procuratores debita exsolverint, an sufficiat ratiocinia reddidisse, hæcque acceptata fuisse ab iis quorum interest.

Caput juris *Magnus* omnes ratiociniis obligatos, et in specie curatores pupillorum, excludit; quapropter non videtur distinguendum, et reipsa canonistæ hos omnes æque comprehendunt in lege generali. (S. Alp. de Liguori, lib. III, n° 838. Schmalzgrueber, n° 2, Reiffenstuel, n° 3, in titul. XIX, lib. I. Decret.) Excipiuntur tamen procuratores locorum piorum, pupilli indigentis, et parentis. Episcopi judicio dimitti debet definire quoad casus speciales, an ea sit administratio rerum alienarum quam Ecclesia interdici voluit clericis; an gestio negotiorum pupilli censeatur gravis momenti ut defectum libertatis inducat.

Jura non requirunt debitorum solutionem peractam antequam procurator ordinibus initietur, sed solummodo ut ratiocinia reddiderit.

Prudentia suadet tamen ut non ordinetur procurator rei alienæ nisi sit omnino liber, quoties timetur ne forte sit æri alieno reddendo impar, et exinde infametur status clericalis.

Nota. Obligatio ad ratiocinia, superveniens ordinibus susceptis, non inducit irregularitatem; quia leges canonicæ, tametsi clerico interdixerint ne se immisceat sæcularibus negotiis, illum tamen non eo ipso a sacris ministeriis removendum pronuntiant, si gestionem rerum præter fas assumpserit.

813. — VI° *Qui irregulares sint ex defectu famæ?*

Regula juris 87ª in vi° fert : *Infamibus portæ non pateant dignitatum.*

I. Triplex distinguitur infamia : juridica, legalis, et popularis.

1° Infamia *juridica* inducitur actu judiciali quo aliquis notatur uti reus criminis infamantis, aut plectitur pœna quam leges declarant infamantem. Actum judicialem non intelligimus tantummodo sententiam a judice prolatam, sed quemvis alium actum qui dat præsumptionem gravem criminis, v. g. citationem juridicam donec suspicione purgetur, confessionem rei coram tribunali. — Crimina infamantia ex juris communis definitione, sunt : Sodomia, sacrilegium, maleficium, incestus, perjurium factum in judicio, homicidium, lenocinium, adulterium, hæresis, duellum, crimen læsæ majestatis, Cardinalium injuriosa ac violenta percussio, exercitium usurarum, raptus mulierum. (Cap. *Constituimus*, 9, caus. III, quæst. v. Cap. *Infames*, 17, caus. VI, quæst. I. Conc. Trid., sess. XXIV, cap. VI; sess. XXV, cap. XIX.)

Pœnæ infamantes sunt : Excommunicatio, depositio, et degradatio. Jure civili ita statuitur quoad pœnas in Codice pœnali, art. 6 et 7 : « Les peines afflictives et infamantes « sont : la mort, les travaux forcés à perpétuité, la déporta- « tion, les travaux forcés à temps, la détention, la réclusion. « Les peines infamantes sont : le bannissement, la dégrada- « tion civique. »

Harum dispositionum legis civilis ratio habenda est, quandoquidem Ecclesia sapienter statuit hos omnes in suo foro reputandos fore infames, qui infamia notantur in societate civili. Idem probabiliter dicendum de iis qui privati sunt juribus civilibus, ad sensum art. 42 codicis pœnalis ; nam ipsi quoque aliqua infamia civili notantur ; nec decet ad statum et officia ordinis clericalis admittere, quos auctoritas civilis reputat indignos sæcularibus officiis. Quoties igitur intercessit actus judicialis qualem definimus, adest infamia

juridica etiamsi notitia facti sparsa adhuc non fuerit per communitatem.

Actus judicialis efficit publicitatem delicti, quatenus judex, a quo actus ille procedit, agit ministerium publicum, et aufert a reo dominium famæ quam antea possidebat, dato unicuique jure divulgandi delictum. Famam proinde judex tollit eo ipso instanti, quamvis infamia deinceps augeatur quando delictum ad cognitionem communitatis pervenerit.

2° Infamia *legalis* alicui inuritur vi legis, ante sententiam, aliumve actum judicialem, quando admisit crimen quod infamans declaratur a jure, modo tamen crimen cognitum sit in communitate.

Duo proinde concurrunt ad infamiam legalem. 1° Necesse est ut lex statuerit delictum reputandum fore infamans; nam, seclusa institutione juris, opinio vulgaris de gravitate delicti famam nocentis obscurabit, atque idcirco obstabit, quantum postulaverit natura rei, quominus superior illi demandet officium; id vero efficiet ex sola ratione naturali, juxta regulas prudentiæ, non per modum pœnæ et impedimenti legalis. 2° Necesse est insuper ut crimen sit cognitum in communitate eo modo qui mox explicabitur. Potest quidem legislator statuere ut infamia incurratur vi juris, ipso facto patrati criminis, eadem prorsus ratione qua incurritur vi sententiæ judicis, ante criminis et sententiæ divulgationem, et extunc reus inhabilis esset ad hos effectus ad quos infames inhabiles declarantur secundum jura. Id ita fieri existimat Suarez quoties in lege inserta sunt verba quæ expresse significant sententiam latam, v. g. *ipso jure*, *ipso facto* infamis sit qui hoc scelus admiserit. « Lex, inquit, potest per se ipsam « infamiam inurere, tollendo jus ad famam, et reum subji- « ciendo effectibus quos inducit infamia, et verba ejus signifi- « cant etiam velle; ergo id operatur. » Verum eam non esse communiter mentem legislatoris, et irregularitatem non contrahi plene et perfecte nisi per delictum publicum, vulgo

docent canonistæ, qui exinde concludunt reum quamdiu delictum est occultum non esse inhabilem, v. g., ad assequendum beneficium, ad ferendum testimonium, inhabilem vero fieri vi legum ex quo delictum devenit publicum. Suam sententiam potissimum probant ex sensu communiori, et ex præsumpta voluntate legislatoris. Enimvero, infamia in suamet definitione includit ideam notitiæ publicæ, cum nullus infametur in societate nisi amissione famæ, seu bonæ existimationis apud concives. Ratio eo magis urget quod irregularitas de qua agimus removet a statu clericali, non tam ob gravitatem delicti in se considerati quam ob defectum famæ quem experitur reus; porro nullum detrimentum famæ patitur quamdiu crimen manet occultum. Huic præterea sententiæ favent plures decisiones juris, maxime declarationes datæ ab Alexandro III, et a Gregorio IX, non esse impediendos a susceptis, nec a suscipiendis ordinibus, clericos qui gravia delicta commiserant, quæ juxta canonicas sanctiones inducunt infamiam juris, si *hæc crimina non fuerint ordine judiciario comprobata, vel alias notoria.* (Cap. *Ex tenore*, 4, et *Quæsitum*, 17, DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM [1].)

Qualis vero publicitas sufficiat ad infamiam legalem, non ita facile definitur, quia non suppetunt regulæ certæ in hac materia. Plures arbitrantur sufficere ut delictum sit famosum, nempe ut sit de eo publica opinio in communitate, orta ex indiciis probabilibus. « Ad infamiam juris, ait Suarez, suffi-
« cit delictum famosum; nam bona fama non semper funda-
« tur in evidentia rei, sed in bona opinione; pari autem
« modo, mala ad infamiam sufficit... Confirmatur ex eo quod
« jura sæpe supponunt vel admittunt purgationem infamiæ :
« ergo supponunt esse posse infamiam non evidentem, sed
« in rumore fundatam. » (Disput. XLVIII, sect. I, n° 21.) Ita

[1] Cf. Suarez, disput. XLVIII, sect. I. — Garcias, *de Beneficiis*, part. VII, cap. VII. — Collet, part. II, cap. VI.

communius, ut nobis videtur, canonistæ qui tenent infamiam legalem, quæ scilicet suam habet radicem in jure, non contrahi actu quamdiu delictum manet occultum, publicato autem et evulgato delicto statim completam esse, ut effectus suos absque sententia declaratoria criminis inducat; nam reipsa evulgatur delictum, non solum quando est notorium vel manifestum, sed etiam quando est famosum, ut iidem doctores supponunt. (Fagnan, in cap. *Vestra*, DE COHABITATIONE CLERICORUM, n° 110, lib. III Decret. Schmalzgrueber, Reiffenstuel, Wiestner, etc. in titulum DE PŒNIS.) Alii e contra supponunt, vel etiam expresse docent, requiri notorietatem facti, nec proinde sufficere famam publicam. Sic S. Liguori, cum asseruerit requiri ad incurrendam irregularitatem infamiæ ut crimen cui annexa est sit notorium notorietate juris, *vel facti per publicam famam;* statim addit : « requi- « ritur tamen, prout dicunt Viva, etc... ut factum non solum « sit publicum sed etiam notorium ; seu ita evidens majori « parti viciniæ, seu collegii ut nulla possit tergiversatione « celari. » (Lib. VII, n° 363.) Ita non pauci canonistæ, præsertim e Gallia, quorum etiam nonnulli eo usque devenerunt ut putarent semper requiri notorietatem juris, et pro axiomate habuerunt non admitti in Galliis notorietatem facti, quod tamen cæteri non existamabant in sensu absoluto sumendum, ubi de infamia juris agitur. (Collet, *Traité des Dispenses*, liv. III, n° 150, règle III^e^. — Collator Andegav., IV^e^ conf. *sur les Irrégularités*, II^e^ question. — Gohard, *Traité des Bénéfices*, tom. II, pag. 260.) Solutio dubii deducenda est ex circumstantiis, a numero scilicet et qualitate personarum quæ factum norunt, et a modo quo factum istud divulgatum est in communitate. Canones voluerunt illos removere a sacris ministeriis qui infames sunt in communitate ob præsumptum crimen ; porro etiamsi delictum non sit prorsus notorium evidentia facti, potest ita divulgari per communitatem, ut reus vere sit infamis ; ergo delictum etiam

famosum potest aliquando sufficere ad infamiam. Horum judex est, saltem in prima instantia, Episcopus.

3° Infamia *popularis*, quæ etiam dicitur infamia facti, oritur, non ex legis institutione, nec a judicis sententia, sed solummodo ex hominum existimatione, propter peccata quæ aliquis commisit, vel propter vilem artem quam exercuit in societate. Quodvis crimen publicum constituit reum indignum sacris ministeriis, quamdiu in statu peccati perseverat, et hæc indignitas est species aliqua irregularitatis, si quidem S. Paulus præcepit ut promovendi *habeant testimonium bonum ab his qui foris sunt*. Ubi tamen lex nihil statuerit, illa infamia popularis est potius impedimentum naturale, quam vera et proprie dicta irregularitas canonica effectus legales producens. — Quod vero ad irregularitatem ortam ab exercitio vilis artis attinet, canonistæ passim invocant cap. *Maritum* ex decreto Gratiani in quo dicitur excludi a sacris ordinibus eum « qui in scena lusisse dignoscitur. » Asserunt propterea infames esse qui mimos et histriones egerunt in theatro publico.

814. — II. Infamia juridica inducit irregularitatem perpetuam, quæ scilicet non tollitur emendatione rei, et eum sequitur quocumque se transtulerit. Istius modi infamia tolli aliter non potest quam sententiæ judicialis revocatione reum in integrum restituente ob agnitam illius innocentiam. Difficillime obtinetur illa restitutio.

Princeps aliquando condonat pœnas; sed nihil prodest hæc condonatio ad effectum quem intendimus, *indulgentia* enim *quos liberat notat, nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit*, uti dicitur in jure Romano. Cæterum, S. Pontifex potest, infamia juridica manente, dispensare irregularem ut valeat ad ordines conscendere.

Infamia legalis est etiam perpetua juxta plures canonistas, qui exinde concludunt irregularitatem ex illa ortam non auferri emendatione rei. Hæc irregularitas, inquiunt, 1° est

pœna legibus statuta, quæ ipso facto, quando crimen publicum fuit, incurritur absque ulla præfinitione temporis; 2° est vera irregularitas; ergo præsumi debet perpetuo duratura; ea est enim conditio irregularitatum ut perpetuæ sint, nisi natura rerum cessent, uti vidimus de defectu ætatis et scientiæ. Ita Suarez Disput. XLVIII, sect. II, nis 7, 8; — Schmalzgrueber, in tit. DE PŒNIS, n° 175; — Wiestner, n° 62, eodem titulo; — Ferraris, v° *Infamia*, n° 21; et cæteri communiter canonistæ qui dicunt infamiam juris perpetuo durare, nec aliter tolli quam per dispensationem a S. Pontifice. Hæc sententia est *communis et certa* juxta Suarez. Fatendum tamen nonnullos canonistas et præsertim theologos obscure ea de re loqui, non constituto certo discrimine inter infamiam legalem et infamiam facti. Fatendum præterea sententiam judicis declaratoriam plerumque requiri ut in foro externo obtineantur effectus quos jura infamiæ adscribunt, ac præ cæteris privatio beneficii; nam raro admodum evenit ut de delicto sufficienter constet nisi intercesserit sententia. Insuper gravia dubia sæpius oriuntur de sanctionibus canonicis, an tale vel aliud crimen illud sit cui ipso jure annexa sit infamia; an vetus disciplina fuerit nec ne usu contrario temperata, sicut reipsa temperatam esse circa nonnulla delicta, quæ in veteri jure infamantia declarantur.

Quod demum ad infamiam *popularem* attinet, « quamvis « aliquem repellat a dignitatibus habendis, non tamen re« pellit a dignitatibus quæsitis, » ait Garcias, cui cæteri communissime assentiuntur. (*De Beneficiis*, part. VII, cap. VIII, n° 35. — Barbosa, *de Potestate Episcopi*, part. II, allegat. XLIII, n° 19.) Non potest quidem superior tuta conscientia officium conferre indigno, nec etiam clerico innocenti qui falsa vulgi opinione diffamatus est, quia id vergeret in detrimentum status clericalis et religionis; cum vero hæc infamiæ species non inducat veram irregularitatem, valida esset collatio.

815. — VII° *Qui irregulares sint ob bigamiam, seu ex defectu sacramenti*[1]?

I. Bigami irregulares sunt ex *defectu sacramenti*. Bigamia autem duplex distinguitur: alia *realis*, quando quis cum duabus uxoribus matrimonium contraxit et consummavit; altera *interpretativa*, quando quis eam duxit ac cognovit quæ fuit ab alio cognita.

Matrimonium habetur apud christianos uti symbolum unionis Christi cum Ecclesia, quod etiam sacramentum vocatur : quamobrem, cum Christus virginem et unicam sponsam Ecclesiam assumpserit, non repræsentat mysterium Christi qui duas successive uxores habuit, aut mulierem non virginem duxit, et idcirco dicitur esse in eo *defectum sacramenti*.

Bigamiam impedimentum fuisse ad susceptionem ordinum, ab ipsis initiis Ecclesiæ, compertum habemus ex Epistolis sancti Pauli. Cum pauci reperirentur, tunc temporis, qui virginitatem servaverant in sæculo, Apostoli ipsos etiam conjugatos assumere ad sacros ordines non cunctabantur, dummodo spontaneo consensu ab uxore discederent : sed peropportunum existimaverunt eos solum eligere qui fuissent unius uxoris viri, quam disciplinam in posterum sancte servandam suis successoribus tradiderunt, propterea quod viri qui plures uxores successive habuerunt, veniunt in suspicionem, sin incontinentiæ, saltem imperfectæ virtutis. Minus idonei censentur suadendo fidelibus praxim consiliorum evangelicorum, qui de iisdem parum semetipsos sollicitos exhibuerunt, ut pluries nuberent, aut non virginem in sponsam ducerent.

II. Hæc est igitur lex canonica ut irregulares censeantur ex defectu sacramenti : 1° qui plures uxores habuerunt, sive

[1] Distinct. XXIV et XXV, apud Gratianum. Titulus XXI, DE BIGAMIS NON ORDINANDIS, lib. I Decret.

ante, sive post baptismum; 2° qui duxerunt viduam, aut non virginem ab altero cognitam; 3° qui suam propriam uxorem cognoverunt postquam adulterium commiserit; 4° qui duplex matrimonium contraxerunt, aliud validum, alterum invalidum. (Cap. *Deinde*, 3, dist. XXVI; *Si cujus*, 11, et *Si laici*, 12, distinct. XXXIV; *de Bigamis*, 3, et *Nuper*, 4, DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.)

Notandum venit ad legitimam interpretationem canonum : 1° bigamiam, seu realem, seu interpretativam, locum non habere extra matrimonium; quapropter qui cum duabus vel pluribus peccavit extra matrimonium, non est irregularis; 2° nihil referre ad bigamiam interpretativam utrum ille qui viduam aut corruptam duxit, cognoverit seu ignoraverit mulierem fuisse ab alio cognitam, quia irregularitas illa non est ex delicto sed ex defectu. Unum quidem ex motivis legis in eo casu non reperitur, sed alterum remanet, nempe ipse *defectus sacramenti;* 3° requiri in utraque bigamia, reali et interpretativa, consummationem matrimonii, ut quis sit irregularis. Si non cognoverit alterutram ex duabus uxoribus quas duxit, non est bigamia realis; item nec erit bigamia interpretativa si duxerit viduam a priori marito intactam. « Profecto, ait Innocentius III, ubi deficit inter conjuges « commixtio corporum, non deest hujusmodi signaculum « sacramenti. Unde, is qui mulierem ab alio viro ductam sed « minime cognitam, duxit uxorem, quia nec illa, nec ipse « carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non « debet quin possit ad sacerdotium promoveri. » (Cap. *Debitum pastoralis*, 5, DE BIGAMIS.)

III. Nonnulli asserunt irregularitatem præterea induci a tertia specie bigamiæ quam *similitudinariam* vocant, quando nempe aliquis, post emissum votum solemne, vel susceptum ordinem sacrum, matrimonium contrahere attentat et consummat.

Adducunt in suæ assertionis probationem canonem con-

cilii Ancyrani a quo statuitur : « Quotquot post virginita-
« tem pollicitam prævaricatæ sunt, professione contempta,
« inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt,
« haberi debebunt[1]. » (Cap. XXIV, caus. XXVII, quæst. I.) Verum hæc lex, quatenus a concilio privato statuta, non potest constituere jus commune ; in libro autem Decretalium refertur solummodo Epistola Alexandri III definientis sacerdotes, qui nuptias sacrilege contrahere attentaverunt, posse post longam pœnitentiam et vitam laudabilem, *ex indulgentia sui Episcopi officio suo restitui, et ejus exsecutionem habere*, quod de indicta pœnitentia, et de suspensione interpretandum putamus, potius quam de irregularitate proprie dicta. (Cap. *Sane*, 4, DE CLERICIS CONJUGATIS.)

816. — VIII° *Qui irregulares sint ex defectu lenitatis*[2] ?

I. Irregularitas ob defectum lenitatis oritur ex homicidio et mutilatione, patratis post baptismum.

Hujusmodi irregularitatem statuit Ecclesia ne admittantur in statu clericali homines qui, ob patrata homicidia, præsumuntur minus idonei sacro ministerio quod spirat mansuetudinem Christi ; et quos ideo fideles non sine offensione viderent in sacris ministrare, postquam fratrum suorum sanguinem fuderunt. Eam ob causam, canones prioribus temporibus removendos edixerunt ab ordinibus quotquot post baptismum voluntarie et proxime, licet juste, ad alicujus necem, seu mutilationem concurrerant. Dicitur in cap. *Si quis viduam*, 8, dist. L : « Si quis homicidii, aut facto, aut
« præcepto, aut consilio, aut defensione, post baptismum
« conscius fuerit, et per aliquam subreptionem ad clericatum
« venerit, dejiciatur, et in fine vitæ suæ laicam communio-

[1] Eruditi animadvertunt decretum concilii sumendum esse, ex textu genuino, et relationibus scriptorum Græcorum, non solum de fœminis, sed etiam de viris. Berardi, *Gratiani canones*, tom. I, cap. III.

[2] Distinct. L et LI. — Tit. XII, DE HOMICIDIO VOLUNTARIO VEL CASUALI, lib. V Decret.

« nem tantummodo recipiat. » Videtur tamen ex responsione data a Stephano cuidam Episcopo Corsicæ exceptum fuisse a lege generali casum justæ defensionis, quando nempe aliquis vim vi repulisset. (Cap. *Quia te*, 38, dist. L.) Idem haud obscure, sæculo XIII, indicavit Innocentius III de casu quo aliquis alterum occiderit se defendendo *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, *non ad sumendam vindictam*, *sed ad injuriam propulsandam*. (Cap. *Significasti*, 18, DE HOMICIDIO.) Demum, concilium Viennense disciplinam ea de re servandam verbis expressis edixit, ut videre est in cap. *Si furiosus* mox citando. Hinc evasit opinio communis apud canonistas, immunes esse, exceptis casibus in jure expressis, eos omnes qui non sponte sua, sed aliqua urgente ratione necessitatis, cooperati sunt ad mortem cujuspiam; quia nullam ex tali homicidio notam sævæ indolis seu crudelitatis ducebant.

Hinc immunes censentur ab irregularitate :

1° Qui casu mere fortuito, vel in casu legitimæ defensionis, aliquem occiderunt. « Si furiosus, aut infans, seu dormiens, « hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularita- « tem incurrit. Et idem de illo censemus qui mortem aliter « vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. » (Concil. Viennense, cap. *Si furiosus*, DE HOMICIDIO, in Clementinis.) Quamvis textus allatus statuerit solummodo de casu quo injuste aggressus in vitæ discrimen venit, probabile admodum est eamdem dispositionem ad alios casus legitimæ defensionis extendi, quoties nimirum aliquis ad propulsandam gravem injuriam, libertatem, pudicitiam, bona temporalia defendendo, aliquem præter voluntatem occiderit, servato moderamine inculpatæ tutelæ. Ad hujusmodi casus accommodatur regula data in cap. *Quia te* supra citato : *Quoniam non tua sponte id fecisse cognosceris*, *inde canonice nullo modo judicaris* [1].

[1] Suarez, disput. XLVI, sect. II, S. Liguori, lib. VII, n° 389.

2° Qui in bello defensivo, se, suamve patriam tuendo contra hostes, aliquem occiderunt, immunes sunt etiam ab irregularitate. Ratio suadet non minorem favorem tribuendum esse defensioni patriæ, quam tuitioni vitæ privatæ; quamobrem textus supra allati hoc alterum corollarium e principio generali deducendum indicant. « Cum bellum ju-« stum ad defendendum patriam, Ecclesiamque, suscipitur, « ait Benedictus XIV, laicus qui pugnando hostes interficit « nulla irregularitate devincitur. Idem prorsus de clerico « statuendum, si jussus bellum ineat, nec laici sufficiant pro « Ecclesia tuenda, vel patria. » (*Institutione* 101, n° 9. Cap. *Pervenit*, 2, DE IMMUNITATE ECCLESIARUM. Reiffenstuel, in tit. DE HOMICIDIO, n^is 123-126.) Quod de defensione sui et patriæ dicitur, dici etiam potest de defensione proximi. Licet indubitanter innocentem defendere a morte, etiam aggressorem occidendo, si aliter fieri non possit. Qui eo in casu occidit hostem non perpetrat homicidium ex intento, sponte sua, sed potius præter intentionem, atque aliqua ratione virtutis coactus ad subveniendum proximo qui opprimitur : ergo præsumendum est non incidere in irregularitatem. (Suarez, loc. cit., sect. III.)

3° Qui denuntiat malefactorem, ut sibi, suis, aut patriæ, provideat, non est irregularis, tametsi ex hac denuntiatione sequatur capitale judicium. (Cap. *Prælatis*, 2, DE HOMICIDIO, in VI°.) Ita decisum fuit quia, ait Bonifacius VIII, « si « prælati aut clerici propter metum hujusmodi... de suis « malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur ple-« risque materia trucidandi eosdem et ipsorum bona libere « deprædandi. » Hinc concludimus testes, qui ad parendum judici, vel sponte sua ad providendum bono publico, testimonium ferunt contra malefactorem, non incidere in irregularitatem. « Canones, inquit Schmalzgrueber, non imponunt « irregularitatis notam propter opus ad quod aliquis ex lege « naturali, vel præcepto divino charitatis, vel alterius virtu-

« tis, obligatur : cujusmodi opus charitatis est accusare, « vel denuntiare malefactorem, si ita necessarium sit ad de- « fendendam rempublicam, vel alium innocentem, vel ad aver- « tendum grave istorum damnum. » (In tit. DE HOMICIDIO, n° 116.)

An idem dicendum sit de civibus juratis quibus, ex præscripto legum, delegatum est munus de delicto pronuntiandi coram tribunali, aliis judicium sit : probabilius tamen nobis videntur opinari qui dicunt juratos non esse irregulares, quiam etsi efficaciter influant in sententiam, eam tamen non proferunt, et coacti sunt lege civili munus juratorum suscipere atque exsequi.

Nota. Concilium Tridentinum præcepit : « Si homicidium « non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo ut quis « se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam « ob causam, etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministe- « rium... jure quodammodo dispensatio debeatur, commit- « tatur Ordinario loci... qui nonnisi causa cognita et pro- « batis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit. » (Sess. XIV, cap. VII.) Juxta doctiores canonistas, et declarationes datas a S. Congregatione, sensus hujus decreti est causam deferendam esse ad Episcopum, si quis, casu, vel in defensione, ita occiderit invasorem, ut merito timeat ne excesserit limites innocuæ defensionis, adeo ut indigeat aliqua dispensatione [1].

817. — II. Ex animadversionibus expositis, et ratione habita textuum juris quo moderatus fuit rigor veterum canonum, superest ut non alios dicamus irregulares ob defectum lenitatis quam milites hostem occidentes in bello offensivo, et illos qui, servato ordine judiciali, proxime concurrunt ad sententiam et exsecutionem pœnæ capitis.

[1] Suarez, loc. cit., sect. I, n° 7. — Gallemart, in conc. Trid. — Collator Andegavensis, VII^e *Conférence*, I^re *Question*.

1° Milites in bello offensivo. Status ipse militaris non inducit irregularitatem, sed occisio seu mutilatio hominis, quod canonistæ ita interpretantur ut ipsi duces militum, etsi signum prælii committendi dederint, ac suos milites ad fortiter dimicandum exhortati sint, non fiant tamen irregulares si neminem ipsi interfecerint. (Suarez, disput. XLVII, sect. VI, nis 8, 9.)

2° Quoad illos qui concurrunt ad prolationem et exsecutionem sententiæ judicialis in causa mortis, hæc olim asserebat collator Andegavensis: « On tient pour constant en « France que, pour encourir l'irrégularité dans l'exercice de « la juridiction criminelle, il faut influer comme cause pro- « chaine à la peine du sang; que pour cela il faut, ou requé- « rir la peine du sang, ou y condamner, ou l'exécuter. Ainsi, « cette irrégularité ne s'encourt que par les gens du roi qui « requièrent la peine du sang, par les juges qui y con- « damnent, par l'exécuteur de la justice, et par les archers « qui conduisent le criminel au supplice. » *Conférence* IVe, *quest.* IVe. Ita Gohart, *Traité des Bénéfices*, tom. II, pag. 375; Collet, *Traité des Dispenses*, liv. VI, n° 164; Gibert, *Usages de l'Église de France*, pag. 742. Ab illa sententia parum recedit S. Alph. de Liguori, n° 468.

Irregulares igitur sunt : 1° accusator prosequens ex officio sententiam mortis; 2° judex illam proferens; 3° carnifices qui exsequuntur; 4° satellites qui reum ducunt ad supplicium. Hi omnes proxime cooperantur ad mortem. Judex *instructionis* in causa criminali non est irregularis, quia non fert sententiam, sed solum pronuntiat an sit ratio causam prosequendi, et rem dimittit iis ad quos attinet. Nec irregulares censentur magistratus curiæ supremæ cui jus competit aliarum curiarum judicia expendendi et, si locus sit, dissolvendi; siquidem hi magistratus id unum pronuntiant, an judicium latum sit ad præscriptum legis. De testibus et de juratis modo dictum est.

Animadvertendum denique irregularitatem locum non habere in casibus supra relatis, si, quacumque ex causa, mors seu mutilatio non sequatur.

§ 3. — *De Irregularitatibus ex delicto.*

Irregulares ratione delicti jura pronuntiant : homicidas, illegitime suscipientes ordines, exercentes ordines sacros non obstante censura qua innodantur, hæreticos, apostatas, denique iterantes sacrilege baptismum.

818. — I° *Quæ conditiones requirantur ut quis sit irregularis ob delictum homicidii?*

I. Concilium Tridentinum statuit sess. XIV, cap. VII : « Qui « sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id « nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publi- « cum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines « promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, « etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed « omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo « careat. » Hoc decreto Concilium innovavit ac confirmavit disciplinam cunctis retro sæculis observatam, quæ insuper pari jure eos removet a sacris ordinibus qui aliquem injuriose mutilaverunt, aut suæ ipsius mutilationi consenserunt, uti declaratur in decretali Bonifacii VIII *Is qui*, 3, DE HOMICIDIO, in VI° et in alia decretali Clementis III *Ex parte*, 3, DE CORPORE VITIATIS.

Quid sit mutilatio in genere, omnes consentiunt. Illam utique communiter definiunt : membri truncationem, seu amputationem. Sed non ita concordant in declarando quid intelligatur nomine *membri*; et tamen eo magis refert ut certa notio habeatur sensus quem canones præfinierunt, quod mutilatio eosdem effectus operatur ac homicidium quoad irregularitatem, sive ex defectu lenitatis, sive ex delicto homicidii. Communior et probabilior opinio canonistarum est

membra dici, ad sensum canonum, illas partes corporis quæ proprium officium habent ab aliis distinctum, ut manus ad palpandum, pedes ad ambulandum, oculi ad videndum, nares ad odorandum, lingua ad loquendum, etc... Aliæ partes quæ non pertinent nisi ad decorem et ornatum corporis, uti capilli et barba, vel etiam ad integritatem, sed quæ non habent operationem ab aliis distinctam, uti digiti, dentes, cartilago aurium, et aliæ similes non sunt membra proprie dicta corporis. Ratio hujus opinionis est quod in odiosis non est extendenda verborum definitio, sed stricte accipienda, quantum patitur usus communis et stylus canonum; atqui usu communiori loquendi ea est notio membri humani, nec aliam definitionem canones suppeditant. Igitur qui alterius auriculam amputavit, aut pollicem abscidit, vel dentes evellit, non est irregularis[1].

Homicidium est voluntarium, casuale, aut mixtum, quod etiam de mutilatione interpreteris. *Voluntarium* est, quando in se directe intenditur, vel in causa adeo cum effectu conjuncta ut agens non possit causam velle quin effectum ab eo inseparabilem voluisse censeatur. *Casuale* dicitur, quando sequitur ex actione præter intentionem, ita ut nec agens præviderit, nec debuerit moraliter prævidere secuturum. *Casuale-mixtum* erit, si agens illud non intendit, nec prævidit, sed debuit prævidere, et impedire majorem diligentiam adhibendo, sive abstinendo ab actione periculosa.

II. Canonistæ multas quæstiones movent de homicidio voluntario, casuali et mixto, quæ unico principio resolvi possunt : Ille contrahit irregularitatem ex delicto homicidii qui fuit causa efficax et culpabilis homicidii. Igitur expendendum erit in praxi : 1° an homicidium fuerit vere patratum, nam voluntas sola, etiam exterius manifestata, imo eo usque protensa ut grave vulnus inflixerit, non sufficit nisi

[1] Collet, part. II, cap. VIII, art. 1. — Suarez, XLIV, sect. II.

mors aut mutilatio sequatur[1]; 2° an homicidium secutum sit ex actione positiva, vel omissione actus quem ex officio aliquis ponere tenebatur (causæ negativæ tum solummodo æquiparantur causis positivis quando est stricta obligatio ex justitia malum effectum impediendi); 3° denique, utrum agens præviderit, aut saltem prævidere debuerit homicidium ex sua actione subsecuturum, et abstinere debuerit ab eodem actu, ne pravus ille effectus sequeretur.

Ex illis principiis sequitur 1° omnes qui communi consilio hominem aggrediuntur, esse irregulares, quamvis homo fuerit ab uno percussus et occisus seu mutilatus. Sequitur 2° omnes qui consilio, mandato, aliove modo efficaci in occisionem seu mutilationem influxerunt, subjacere irregularitati. Sequitur 3° duces belli certo injusti esse irregulares, quamvis neminem ipsi immediate occiderint; quod canonistæ de militibus etiam interpretantur qui per turmas hostem aggressi, censentur operam præbuisse illis qui necem intulerunt; quod de vicinioribus et circumdantibus intelligitur, non vero de illis qui in remota parte exercitus consistunt. (Bened. XIV, instit. CI, n° 8.)

Multis visum est eum præterea irregularitate devinciri qui causam dedit morti alterius, vacando rei illicitæ et periculosæ, licet prævidere non potuerit mortem ex illa re secuturam, quod probare contendunt ex cap. *Is qui*, 3, DE HOMICIDIO, in VI°, et cap. *Tua nos*, 19, eod. tit. in lib. V Decret. Verum notare est in utroque textu statui de re periculosa quæ interdicta est, seu jure naturali omnibus, seu jure canonico clericis speciatim, ne morti detur occasio : at vero, juxta regulas modo memoratas, clericus vacans rei illicitæ simul ac periculosæ quæ ipsi interdicta est ratione periculi, incurrit irregularitatem, si reipsa homicidium, etiam præter intentionem,

[1] De Abortu, quandonam censeatur homicidium et irregularitatem induci, dictum est in sect. *de Delictis* contra virtutem justitiæ (n° 740).

perpetraverit : debuit utique prævidere, et abstinere. In priori quidem textu supponitur mandantem qui jusserat aliquem verberari debuisse prævidere eum cui id mandaverat exponendum esse, ob suam sævam indolem, periculo excedendi; quapropter homicidium fuerat indirecte voluntarium. In altero textu agitur de monacho qui, officium chirurgi præter fas exercendo, causam dederat morti cujusdam mulieris. Declaratur monachum incidisse in irregularitatem si reus fuerit gravis negligentiæ; sin autem omnem diligentiam adhibuerit, cum in eo solum deliquit quod officium alienum usurpaverit, suspensum fore per quoddam tempus ab exercitio ordinis, usquedum condignam satisfactionem præstiterit.

819. — II° *Qui irregulares sint ob malam susceptionem ordinum?*

Irregulares sunt, causa illegitimæ susceptionis ordinum, qui ordines furtive susceperunt; qui illos susceperunt durante matrimonio, non servatis regulis jure requisitis; qui ordinati sunt ab Episcopo excommunicato, aut qui suæ dignitati renuntiavit.

I. Furtive ordinati dicuntur qui nec probati, nec admissi se ordinandis, inscio Episcopo, dolo immiscent. Porro, omnes qui ita ordinibus initiati sunt, non possunt ad gradum superiorem ascendere, nisi forte Episcopus non præmonuerit neminem accedere posse qui non sit admissus, aut vitam regularem in monasterio profiteantur. Cap. *Veniens*, 1, DE EO QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT.

Qui vero fraude utuntur ad dissimulandum defectus personales, vel etiam qui, compositis ex industria litteris dimissoriis, Episcopum decipiunt, non censentur ordines *furtive* accipere, tametsi graviter peccent.

II. De iis qui, durante conjugio, ordines susceperunt, supra dictum est (n° 812). Omnes qui innodati vinculo matrimonii, etiam non consummati, aliquem e sacris ordinibus suscipere præsumpserint, non servatis regulis canonicis, non

possunt, etiam matrimonio postea soluto, in ordinibus sic susceptis ministrare, nec ad superiores ordines ascendere, nec ad aliquod beneficium aut officium ecclesiasticum promoveri. (Cap. *Antiquæ*, DE VOTO ET VOTI REDEMPT., Extrav. Joann. XXII.)

III. Qui ordines recepit ab Episcopo qui suæ dignitati, id est, jurisdictioni simul et exsecutioni ordinis renuntiavit, reputatur communiter irregularis.

Episcopus loco solum, scilicet suæ sedi, vel insuper dignitati, renuntiare potest. Si loco renuntiaverit, poterit rogatus ab Ordinario ordines conferre : si autem munus episcopale ex integro resignaverit, renuntiando exsecutioni sui ordinis uti aliquando nonnulli fecerunt, alii intuitu vitæ religiosæ, alii ut vitarent depositionem canonicam, non possunt ordines majores conferre, etiam rogante Ordinario loci. « Si ab eodem « sacros ordines scienter quis receperit... exsecutionem offi- « cii non habebit; ubi autem non scienter, poterit, nisi « crassa et supina fuerit ignorantia, discretus pontifex dis- « pensare. » (Cap. *Requisivit*, 1, DE ORDINATIS AB EPISCOPO QUI RENUNTIAVIT EPISCOPATUI.)

IV. Qui ordines susceperunt ab Episcopo excommunicato denuntiato possunt, peracta pœnitentia, obtinere ab Episcopo ut in ordinibus susceptis inserviant; sed ad ordines superiores conscendere prohibentur, nisi necessitas vel utilitas maxime postulaverit. Dispensatio concedi potest ab Episcopo, si clerici ignoranter ita fuerint ordinati. (Cap. *Ab excommunicatis*, 4, caus. IX, quæst. 1; cap. *Cum clericis*, 2, DE ORDINATIS AB EPISCOPO QUI RENUNTIAVIT, etc.)

820. — III° *Qui irregulares sint ob exercitium illicitum ordinum?*

Irregulares efficiuntur clerici : 1° qui temere et solemniter exercent ordinem sacrum quem non habent; 2° qui violant censuram, exercendo ordinem sacrum.

I. Regula est generalis, jure communi a primis sæculis

constituta, ut « si quis baptizaverit, aut aliquod divinum « officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem « abjiciatur de Ecclesia, et nunquam ordinetur. » (Cap. *Si quis*, 1, DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE, lib. V Decret.) Ut vero regula legitime apponatur ad casus speciales, nonnullæ requiruntur conditiones.

1° Lex afficit solum clericos. Quæstio est quidem valde controversa apud canonistas. Pirhing asserit doctores *communiter* affirmare laicum incurrere irregularitatem si exerceat actum alicujus ordinis. S. Liguori e contrario asserit *communius* negari laicum eo in casu contrahere irregularitatem. Schmalzgrueber dicit plures *valde probabiliter* affirmare, et alios *non minus probabiliter* negare[1]. Ex illa vero opinionum contrarietate sequitur clericos solum, non laicos, habendos esse in praxi uti irregulares, si ordinem sacrum non susceptum exercuerint; est quippe dubium juris. Hæc insuper opinio speculative probabilior est; siquidem lex allata *Si quis* inserta fuit in Decretalibus Gregorii IX sub titulo DE CLERICO NON ORDINATO; unde merito arguitur ad clericum spectare, non ad laicum, argumentando, ut aiunt canonistæ, *a Rubro ad Nigrum*. Ratio autem cur irregularitas potius jure decreta sit in clericos ministrantes in ordine quem non habent, quam in laicos, est quod talis usurpatio frequentior contigit in clericis quorum ambitionem cohibere studuit Ecclesia.

2° Lex attingit clericos qui *temere* exercent ordinem non susceptum ; quapropter si quis bona fide, et non ex ignorantia affectata, ministraverit in ordine quem non habet, putans se eum habere, aut ministerium quod exercet esse sui ordinis, non contrahit irregularitatem.

3° Lex statuit de exercitio ordinis sacri : igitur ut quis

[1] Suarez, disput. XLII, sect. IV. — S. Liguori, lib. VI, n° 116, dubit. 3. — Canonistæ in suis commentariis tit. XXVIII, DE CLERICO NON ORD. MINISTRANTE. Ferraris, v° *Irregularis*, art. 1, n° 11.

contrahat irregularitatem, necesse est ut exerceat actum proprium ordinis sacri, et eo modo quo vi ordinis et juxta disciplinam canonicam, nonnisi ab ordinatis licite exerceri potest. Hinc irregularis est sacerdos qui pontificalia exercere præsumit, sacras nimirum functiones et benedictiones exclusive reservatas Episcopo, et quas solus S. Pontifex potest delegare simplici presbytero, v. g. consecrationes Ecclesiarum, consecrationes calicum, etc.; quia licet, spectato solum jure divino, hujusmodi benedictiones convenire possint ordini sacerdotali, exclusive tamen attribuuntur Episcopis jure canonico, uti actus proprii ordinis episcopalis. — Diaconus qui confessiones sacramentales audire præsumit; qui benedicit aquam lustralem; qui præsidet choro stola pendente, more sacerdotum; qui populo solemniter benedicit; item, juxta communiorem opinionem, qui baptismum solemnem, etiam in casu necessitatis, confert sine delegatione Episcopi, aut presbyteri; quia baptizare solemniter ex officio competit solum Episcopo et presbytero, et ex delegatione diacono. Nihil refert quod urgeat necessitas, cum liceat urgente necessitate baptizare absque solemnitate[1]. — Subdiaconus qui solemniter defert pyxidem continentem sacram Eucharistiam, aut qui Evangelium cantat, intra Missarum solemnia, more diaconorum. — Acolythus qui intra Missam aquam in calicem fundit, aut qui Epistolam cantat cum manipulo, more subdiaconorum.

Licet, ex praxi generali ab ipsa S. Congregatione Rituum approbata, substituere clericum in minoribus constitutum qui, deficiente subdiacono, cantet Epistolam, paratus absque manipulo. Id vero in casu tantum necessitatis licitum esse declaravit S. Congregatio, juxta quam alia consuetudo contraria rejicienda est. (Decisio data die 3 julii 1698, n° 3477, et die 18 dec. 1784, n° 4418.) Eadem Congregatio declaravit

[1] S. Liguori, lib. VI, n° 116, dub. 11.

nunquam tolerandum esse ut laicus munere diaconi fungatur, vestibus sacris indutus, tametsi nullam functionem ordinis sacri obeat. (Die 11 sept. 1847, n° 5103.)

Nota. Hæc irregularitas orta ab exercitio ordinis non suscepti, non est absoluta sed relativa ad ordinem illicite exercitum. Qui delictum perpetravit non potest ad ordinem superiorem conscendere, et est præterea suspensus, per tempus arbitrio Episcopi determinandum, ab ordine ultimo suscepto. Argum. ex capite *Ex litteris*, 2, eod. titulo.

Clericus cujus ordinationi aliquid essentiale defuit, erit irregularis si ordinem exerceat antequam ordinatio compleatur. Sacerdos, exempli causa, cui Episcopus omiserit conferre specialiter, uti in Pontificali indicatur, potestatem sacrificium offerendi, aut peccata remittendi: quamvis enim opinari liceat sacerdotium cum his attributionibus conferri sola manuum impositione juncta formæ sacramentali, potestas tamen his juribus utendi non censetur data quousque consecrator illam ritibus consuetis significaverit. Aliter dicendum est si quid mere accidentale prætermissum fuerit, v. g. unctio manuum. Sacerdos non debet quidem suo ordine uti antequam reparetur defectus: non erit tamen irregularis si celebraverit; quia dici non potest eum usurpasse functiones ordinis non suscepti. (Suarez, disp. XLII, sect. IV, n° 12.)

821. — II. Irregularitatem contrahit qui ligatus excommunicatione majori, suspensione, aut interdicto, exercet solemniter, seu ex officio, citra casum necessitatis, ordinem sacrum; item qui celebrat in loco interdicto[1].

Probatur quoad Excommunicationem majorem ex cap. *Si quis*, 7, caus. XI, quæst. III, attributo concilio Martini Papæ et quod jus commune induxit : « Si quis... post excommuni-« cationem præsumpserit, sive Episcopus, sive presbyter, sive

[1] Tit. XXVII, DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO VEL INTERDICTO, CELEBRANTE, lib. V Decret.

« diaconus, facere oblationem, vel matutinum aut vesperti-
« num sacrificium, quasi in officio suo agere sicut prius, non
« liceat ei, nec in alio concilio spem reconciliationis habere,
« nec ultra recolligi. »

Probatur quoad Suspensionem ex cap. *Cum æterni*, 1, DE SENTENTIA ET RE JUDICATA, in VI°, in quo Bonifacius VIII admonet judicem ordinarium et delegatum, ne durante suspensione se ingerat in divinis, alioquin « irregularitatis laqueo « se involvet, secundum canonicas sanctiones. »

Ex dictis supra, irregularitatem pariter incurrit qui violat suspensionem pœnalem, ex informata conscientia vel alio modo latam. (N° 782.) Ita expresse definitum a S. Congregatione concilii, die 21 junii 1625, refert Benedictus XIV : *Episcopus Sagonensis, ex facultate sibi attributa decreto concilii cap.* I, *sess.* XIV, *ex causis sibi notis suspendit parochum ab exercitio curæ : sed ille appellavit, et præcepto Episcopi contempto, celebravit, et curam exercuit. Quæritur, an a dicta suspensione detur appellatio; ita ut parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium curæ effectus fuerit irregularis. Sacra Congregatio concilii censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, et parochum, qui sacramenta ut supra ministravit, irregularitatem contraxisse.* (*De Synodo*, lib. XII, cap. VIII, n° 5.)

Probatur quoad Interdictum ex cap. *Is cui*, 20, DE SENT. EXCOMM., in VI°, ubi declaratur eum cui interdicitur ingressus Ecclesiæ, irregularem effici, si contra censuram se ingerat in divinis, sicut prius. Idem de celebrante in loco interdicto statuunt jura alias citata. (Cap. *Is qui*, 18, in eod. tit.)

Dixi *citra casum necessitatis*. Docent communiter canonistæ non incidere in irregularitatem qui celebrat, seu exercet ordinem sacrum causa vitandi scandalum, vel ne ipse diffametur. (N° 768.)

Qui exercet suum ordinem eo modo vel loco quem interdixit superior sub pœna suspensionis latæ sententiæ non

eo ipso fit irregularis, non enim contrahit irregularitatem nisi censuram violaverit exercendo sacra... Nec etiam irregularitatem contrahit qui censura innodatus ordinem superiorem recipit, nisi intra ritus ordinationis ordinem susceptum exerceat[1].

Nota. Qui censuras violant aliter quam sacrorum ordinum exercitio, v. g. usu jurisdictionis, non incurrunt irregularitatem.

822. — IV° *Qui irregulares sint ob susceptionem illicitam, vel iterationem baptismi?*

Ecclesia debuit a clericali ordine removere quos novit, aut jure præsumit partibus hæreticorum adhæsisse, et consequenter qui baptismum ab hæreticis receperunt; hæc enim baptismi susceptio est participatio, aut saltem gravis præsumptio hæresis. Cum præterea Donatistæ (sæculo v°) baptizatos a catholicis rebaptizare solerent, quod decursu temporum plures Græci facere veriti non sunt, Ecclesia, ut tantum facinus, quantum in se erat, cohiberet, irregulares pronuntiavit rebaptizantes et rebaptizatos. (Cap. *Ex litterarum*, 2, DE APOSTATIS ET REITERANTIBUS BAPTISMA.) Nihil vero statuit in iterantes sacramentum Confirmationis, seu Ordinis, quamvis gravissimum scelus perpetrent; quia nulla necessitas hac de re urgere visa est.

Itaque irregulares sunt ex delicto circa baptismum : 1° qui citra casum necessitatis baptismum susceperunt ab hæreticis; 2° qui passi sunt se iterum baptizari; 3° qui rebaptizaverunt, aut ministraverunt iteranti baptismum.

I. Testantur vetera monumenta legem Ecclesiæ fuisse « venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, « per manus impositionem laicam tantum tribuere com- « munionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel « exiguum subrogare. » (Cap. *Ventum est*, 18, caus. I, quæst. I.)

[1] Cf. Suarez, disput. XXXI, sect. I, n^is 70-78. S. Liguori, lib. VI, n° 799, dub. III.

Probabilissimum videtur hanc legem constitutam fuisse, non tam in odium ministri hæretici baptizantis, quam in pœnam baptizati, qui baptismum ab hæreticis suscipiendo se fautorem hæresis ac de fide suspectum ostendit. Exinde concludimus eamdem legem intelligendam esse de baptismo ætate adulta suscepto, et consequenter non afficere parvulos quos arcere non debemus ob baptismum ipsis collatum, antequam usum liberi arbitrii haberent. (Cap. *Placuit*, 3, caus. I, quæst. IV.)

823. — II. Qui sinunt se rebaptizari, item qui ipsi rebaptizant, aut ministrant presbytero rebaptizanti, lege vetustissima removentur a sacris ordinibus.

Canonistæ non consentiunt an illa irregularitas restringatur ad casum in quo delictum fuerit publicum. Sunt ea de re opiniones contrariæ; sententia tamen affirmans est conformior textui cap. *Ex litterarum* in quo dicitur quod clericus « si « publicum est quod proponitur, ad superiores ordines pro- « moveri non valebit; nisi ad religionem transire voluerit... « Si vero occultum est, promoveri poterit, et excessum suum « dignis pœnitentiæ fructibus expiare. »

Dubium aliud ortum est, an irregularitatem contrahat qui ob dubium leve ac prope nullum, vel etiam nullo instituto examine circa validitatem baptismi in domo collati, rebaptizat sub conditione consueta : *Si non es baptizatus, ego te baptizo*. Ut certa ab incertis secernamus, hæc notanda sunt : 1° Rebaptizari debent sub conditione omnes de quorum baptismo non certo constat. « Non intelligitur iteratum, quod « ambigitur esse factum, » ait Innocentius III, cap. *Veniens*, 3, DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO. Sic baptizantur pueri expositi, quamvis reperta sit schedula baptismum attestans, quia schedula cujus auctor penitus ignoratur, quæ forte ab ignaro rei fuit exarata, fidem non facit. Baptizantur parvuli qui ab hæreticis baptizati dicuntur, quoties apertum non est baptismum fuisse rite ab eis collatum : non iteratur baptis-

mus hac solum ratione quod hæreticus minister forte non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, atque ideo non habuerit intentionem illud sacramentum conficiendi prout fuit a Christo institutum, sed quia notum est ministros sectarum protestantium hodierna ætate, in Gallia, Anglia, Americæ septentrionalibus regionibus, et alibi, parum curare de materia et forma sacramenti. 2° Omnes consentiunt non iterandum esse baptisma quando constat de prioris baptismi validitate testimonio duorum testium fide dignorum, qui affirmant *de visu* cuncta essentialia ad baptismum fuisse rite impleta, aut etiam unius omni exceptione majoris[1]. 3° Qui negligit inquirere de validitate baptismi, et, nullo serio peracto examine, baptizat sub conditione, peccat graviter; « etenim ea baptismi forma, ait Catechismus Romanus, in il- « lis tantum permittitur de quibus, re diligenter perquisita, « dubium relinquitur an baptismum rite susceperint, aliter « vero nunquam fas est, etiam cum adjunctione conditionis, « baptismum alicui iterum administrare. » At non ita constat, an qui sic rebaptizat efficiatur irregularis.

Plures judicant hanc pœnam irregularitatis in eos decerni, quia cum ita temere baptizant, non vere ac serio dubitant de valore baptismi prius collati, et proinde secundum baptismum reipsa conferunt: interposita conditio non immutat deliberatum baptizandi animum. Ita Catechismus Romanus, part. II, *de Baptismo*, n° 56, cui adhæsit Benedictus XIV in *Institutione* LXXXIV, n° 13 : « Nos quidem, ait, exposita supe- « rius Catechismi Romani auctoritate, illorum opinionem « probavimus qui putant irregularitatem contrahi ab illis « qui sub conditione baptismum administrant, cum nulla est « suspicandi causa, an primus baptismus rite peractus fue- « rit. » Ita etiam sanctus Carolus Borromæus in tertia synodo Mediolanensi. Hæc opinio videtur fuisse communius accepta apud theologos Italos.

[1] Cf. Collatorem Andegavensem, III^a *Confér. sur le baptême, Quest.* 1^re.

Alii plures numero, et auctoritate etiam graves, quos citat Benedictus XIV, aliter opinantur : ita Suarez, Navarrus, Bonacina, Layman, Pirhing, S. Alph. de Liguori, Billuart, Collet, et cæteri communissime in Galliis. « Quando quis, « ait Pirhing, alterum non rebaptizat absolute sed sub con- « ditione... quamvis temere et sine præmissa inquisitione « an baptizatus fuerit... non contrahitur irregularitas, quia « apposita conditio de præsenti vel de præterito, si subsit, « impedit actum rebaptizandi, eumque cessare facit, neque « talis habuit intentionem iterandi baptismum, si jam sit « baptizatus; actus autem agentium non operantur ultra in- « tentionem illorum et leges pœnales intelligi debent cum « effectu; quod si non fuit baptizatus, non iteratur baptis- « mus, sed primo confertur. » (In tit. DE APOSTATIS, n° 13[1].)

Hæc secunda sententia valde probabilis nobis videtur, siquidem : 1° canones qui statuunt rebaptizantem laqueo irregularitatis involvi supponunt illum scienter rebaptizare : porro in casu de quo agimus baptizans non scienter rebaptizat, cum dubius sit, licet temere, nulla prævia inquisitione de collatione seu de validitate baptismi. 2° Lex in hunc finem constituta est ut arcerentur hæretici rebaptizantes : at vero qui in dubio levi rebaptizat nullatenus se suspectum præbet de hæresi rebaptizantium, quinimo illam detestari profitetur et condemnat adhibendo formam conditionalem. 3° Denique, est saltem dubium juris circa hujusmodi irregularitatem; quamobrem licet in praxi, juxta regulas supra positas, non reputare irregularem qui hocce modo baptismum contulerit.

824. — V° *Qui irregulares sint ob apostasiam et hæresim?*

I. Apostasia triplex distinguitur : alia a fide christiana, alia a statu religioso, altera a statu clericali.

[1] Suarez, disput. XLII, sect. I, n° 1. Collet, *Traité des Dispenses*, liv. VI, chap. III, n° 177.

Cum apostasia a fide hæresim includat, apostatis applicantur quæ mox dicenda sunt de hæreticis. Alio titulo apostatæ olim excludebantur a statu clericali; scilicet ob pœnitentiam publicam quæ notam infamiæ illis inurebat. De clericis vero, qui metu suppliciorum concussi, falsis numinibus immolaverant, et deinde facti pœnitentes iterum certamen inierant, concilium Ancyranum statuit presbyteros honorem sedis retinere, ita tamen ut nec sacrificium offerre, nec aliis functionibus sacerdotalibus fungi ipsis liceret. De diaconis item voluit eos gradum servare, ea conditione ut ab omni sacro ministerio cessarent, nisi Episcopis visum fuerit eis aliquid tribuere. Cap. *Presbyteros*, 32, dist. L.

Apostatæ ab ordine religioso prohibentur admitti ad clericatus officium. Honorius III ea de re ad Archiepiscopum Lugdunensem rescripsit : « Consultationi tuæ breviter re« spondemus quod monachus aliquem sacrum ordinem reci« piens in apostasia, quantumlibet suo abbati reconciliatus « fuerit et receperit pœnitentiam, absque dispensatione Rom. « Pontificis ministrare non poterit in ordine sic suscepto. » (Cap. *Consultationi*, 6, DE APOSTATIS.) Canonistæ ex illo textu concludunt irregularitatem quæ religiosum afficit ratione apostasiæ, non esse absolutam sed partialem. Monachus prohibetur ne, pœnitentia etiam acta, ministret in ordine suscepto in apostasia, nihil vero statuitur de ordinibus antea susceptis.

Clerici a suo statu apostatæ non declarantur irregulares. Quid autem leges statuerint in eos qui matrimonium sacrilege contrahere attentaverunt, supra notatum est. (N° 815.)

825. — II. Hæretici sunt jure communi irregulares, etiam post suam conversionem ad fidem catholicam.

Hæc erat olim disciplina generalis, fundata simul regulis juris circa pœnitentiam publicam, tum specialibus constitutionibus contra crimen hæresis latis. Concilium Eliberitanum statuit fideles qui venerint ex hæresi, minime ad clericalem

dignitatem promovendos esse. Innocentius I eamdem praxim religiose apud Ecclesiam Romanam servatam scripsit in capite *Ventum est* supra citato (822), quod ex epistola XXII ad Episcopos Macedoniæ sumptum fuit. Solos excipit Novatianos quibus Concilium Nicænum concesserat suo ordine fungi postquam ad unitatem Ecclesiæ redissent, et declarat hujusmodi licentiam non protendi ad alios hæreticos. Postea, cæteris etiam hæreticis datum est, ut manerent in suo ordine, adempta spe promotionis ad gradum superiorem. (Cap. *Saluberrimum*, 21, caus. I, quæst. VII.)

Hucusque eadem permansit jure communi disciplina excludens a sacris ordinibus illos qui lapsi sunt in hæresim notoriam, adeo ut nullatenus promoveri valeant sine dispensatione obtenta a S. Pontifice. Huic nihilominus juri derogatum videtur in nonnullis regionibus. « In Germania et « aliis provinciis septentrionalibus, ait Schmalzgrueber, Epi- « scopi ex hæresi ad fidem catholicam conversos et ab ea ab- « solutos, si cæterum digni sint, ordinare solent absque alia « dispensatione. » (In titulum DE HÆRETICIS, n° 108.)

Ratio hujus immutationis deducitur ab ipsa immutatione circumstantiarum. Irregularitas ratione hæresis suam veluti radicem habet in infamia juris : porro, moribus hodiernis in regionibus ubi hæretici vivunt mixti catholicis, iisdemque juribus civilibus et politicis potiuntur, hæresis non eamdem, in morali hominum existimatione, infamiam inurit quam olim; hæc saltem infamia non censetur permanere post conversionem, signis indubiis manifestatam. Fideles multum consolantur ex promotione conversi a secta hæretica ad statum clericalem, nedum hæc promotio scandalum generet; et hoc modo ordinati utilissime plerumque suum ministerium obeunt, quando, hæresi publice abjurata, diuturno tempore vitam duxerunt virtutibus christianis exercitam.

Idem dicendum de filiis hæreticorum. Sunt utique, jure communi, irregulares ad usque secundum gradum in linea

paterna, in primo tantum gradu in linea materna, si tamen parentes mortui sint in hæresi. (Cap. *Quicumque*, 2, *Statutum*, 15, DE HÆRETICIS, in VI.) Sed valde dubium est an illa disciplina adhuc vigeat in locis de quibus modo. « In iis re-« gionibus, ait Pirhing, in quibus nulla, ob crimen paternum « hæresis, infamia contrahitur, liberi hæreticorum non sunt « irregulares, sed ad ordines promoveri possunt, ut notat « Layman. » (In tit. DE HÆRETICIS, n° 101.) Hunc esse morem servatum in suis respective regionibus asserunt Schmalzgrueber, Wiestner et plerique doctores Germaniæ, Bonacina, Collet, Collator Andegavensis. Alii dubium ea de re movent. Reiffenstuel non abnuit quin severitas veteris disciplinæ temperari potuerit consuetudine : « Cum enim, ait, pœna irregu-« laritatis et inhabilitatis ad beneficia a sola lege humana « proveniat, ei per consuetudinem legitime præscriptam de-« rogatur in loco ubi existit. » (In tit. DE HÆRETICIS, n° 280.) Sed contendit non sufficienter probari consuetudinem reipsa inductam fuisse universaliter in Germania, et animadvertit curiam Romanam habere filios hæreticorum irregulares; quandoquidem eos ad ordines et ad beneficia, in iisdem regionibus, non admittit, nisi concessa prius dispensatione. In Gallia erant etiam olim dissentientes opiniones, quamvis communissime reputaretur non vigere irregularitatem, et reipsa Episcopi ordines conferrent filiis hæreticorum, juxta vetustam suarum Ecclesiarum consuetudinem, quæ ad hodiernam ætatem perseveravit [1].

§ 4. *De cessatione irregularitatum.*

826. — I° *Quomodo tollantur irregularitates?*

Irregularitates triplici modo cessare possunt, pro ratione

[1] Cf. Reiffenstuel, loco cit., n^is 260-290; Schmalzgrueber, n^is 119-121; Collet, *Traité des Dispenses*, chap. III, § 5; Collator Andegavensis, *Conférence* VII^e *sur les Irrégularités*, *Question* IV^e.

diversa singularum specierum; scilicet, cessatione causæ, professione religiosa, et dispensatione.

I. Cessatione causæ tolluntur nonnullæ irregularitates ex defectu : v. g. irregularitates ex defectu *ætatis* et *scientiæ;* irregularitas ex defectu *bonæ famæ,* si adfuerit solummodo infamia facti, aut si infamia juridica retractetur rehabilitatione injuste condemnati; ex defectu *natalium,* si proles legitimetur per subsequens matrimonium.

II. Professione religiosa tollitur irregularitas ex defectu natalium, uti declaratur in decreto concilii Pictaviensis quod in jus commune translatum est : « Filii presbyterorum et « cæteri ex fornicatione nati, ad sacros ordines non promo- « veantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione « canonica regulariter viventes; prælationem vero nullatenus « habeant. » (Cap. *Ut filii,* 1, DE FILIIS PRESBYTERORUM, lib. I Decret.)

Hunc effectum habet sola professio solemnis votorum religiosorum, non vero admissio ad novitiatum, nec professio in congregatione cujus vota sunt simplicia [1]. Ipsa professio solemnis non prodest quoad hunc effectum iis qui e religione egrediuntur, obtenta dispensatione super votis, antequam ordines susceperint. Qua ratione illegitimus valeret, dimissa

[1] Protulimus in sectione de regularibus (n° 466) decretum S. Congregationis, quo statutum fuit ut novitii expleto novitiatus anno, non alia vota nisi simplicia emittere valeant, dilata emissione solemnium post triennium, utque superiores regulares hujusmodi professis votorum simplicium concedere possint litteras dimissorias duntaxat ad primam tonsuram et ordines minores. Hac de causa Archiepiscopus Mexicanus quædam dubia exposuit S. Sedi, hæc duo præsertim : I^um^ An possint novitii post emissa vota simplicia, ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis. II^um^ An possint Provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus, ante emissionem votorum solemnium; ad hoc ut his ordines conferantur. Die autem 20 januarii, an. 1860, responsum fuit a S. Congreg. ex Audientia Sanctissimi, ad I^um^ : *Negative quoad ordines sacros.* Ad II^um^ : *Affirmative quoad primam tonsuram et ordines minores, quatenus Provinciales ex apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit.*

vita religiosa, frui privilegio quod jus canonicum concessit in gratiam religionis. Si tamen ordines susceperit, dum adhuc in religione erat, non reincidit in irregularitatem, quia irregularitas absque ulla conditione sublata est.

Notandum est, ex capite *Ut filii*, irregularitatem tolli tantum quoad ordinum susceptionem : quamobrem religiosus non potest promoveri ad prælaturam; et si religionem dimiserit, non poterit obtinere beneficia, præsertim curam animarum habentia, sine dispensatione.

III. Dispensatione tolli possunt omnes irregularitates juris canonici.

827. — II° *Qui dispensare valeant super irregularitatibus?*

S. Pontifex dispensare potest super omnibus irregularitatibus juris canonici.

Episcopi non possunt dispensare nisi in casibus præfinitis, quia irregularitates statuuntur jure communi : nec excipiendæ sunt quæ oriuntur a violatione censuræ quam ipse Episcopus indixerit; licet enim censura cujus occasione incurritur irregularitas lata sit ab Episcopo, ipsa tamen irregularitas jure communi constituitur. Perpendere igitur necesse est quid disciplina canonica concesserit Episcopis : 1° quoad irregularitates ex defectu; 2° quoad irregularitates ex delicto; 3° quoad casum necessitatis et dubii.

828. — I. Episcopi possunt dispensare super irregularitate ex defectu natalium, ad effectum suscipiendi tonsuram, ordines minores, et beneficium simplex. (Cap. *Is qui*, DE FILIIS PRESBYTERORUM in VI°.) Nonnulli canonistæ hanc facultatem ad alias irregularitates extendunt. « Regulariter, ait Piascecius, « circa dispensationum materiam tenendum est in omnibus « irregularitatibus Episcopum dispensare posse quoad mi- « nores ordines et simplex beneficium, præterquam in bi- « gamia, ex homicidio voluntario, et ex impedimento hære- « sis. » Ab ea sententia cæteri doctores communiter recedunt,

et merito quidem; nam potestas dispensandi quoad minores ordines nullibi legitur in jure concessa, nec consuetudine nititur. Id unum controversum fuit apud canonistas, an Episcopus valeat dispensare bigamos, sicuti dispensat illegitimos, et eo etiam respectu communior fuit opinio negans; quapropter tenendum est Episcoporum potestatem, in materia irregularitatum ex defectu, extendi solummodo ad defectum natalium[1].

829. — II. Quoad irregularitates ex delicto occulto, concilium Tridentinum Episcopis tribuit facultatem generalem dispensandi, excepta ea quæ oritur ab homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum. (N° 793.)

1° Facultas tribuitur *Episcopis*, quo nomine venire capitulum Ecclesiæ cathedralis, sede vacante, notavimus supra, ubi de absolutione a censuris. Si Episcopus ipse inciderit in irregularitatem, potest hanc facultatem delegare suo confessario, a quo dispensationem assequetur.

2° Facultas concessa est pro irregularitatibus *ex delicto occulto*. Quid censeatur occultum, alibi dictum est (n^is^ 717-793). Admissa autem doctrina communi quam loco citato exposuimus de *manifesto*, *notorio* et *famoso*, supersunt aliquando difficultates practicæ quando devenitur ad applicationem regularum. Id multum pendere videtur a circumstantiis, a conditione nimirum testium qui rem secreto actam noverint; si enim sint prudentes et factum divulgare nolint, delictum occultum manebit. Animadvertendum est præterea delictum publicum alicubi, esse occultum in altero loco, si non intercesserit notorietas juris, et cognitio delicti non propaletur.

[1] Barbosa, de Off. Episcopi, alleg. XLIX, n^is^ 22-26. — Piascecius, *Praxis episcopalis*, ed IV^a^, part. I, cap. I, art. 10, n° 16. — Fagnan, in cap. *Super eo*, DE BIGAMIS, n^is^ 19-46. — Collet, *de Irregularitatibus*, part. III, cap. ultimo, regula VI^a^.

[2] Barbosa, in Concil. Trident., sess. XXIV, cap. VI, n° 4.

3° Excipitur irregularitas *ex homicidio voluntario*, quæ verba Concilii Tridentini ita ponderant et interpretantur canonistæ, ut exceptio referatur solum ad casum homicidii directe voluntarii : unde concludunt Episcopum dispensare posse in casu homicidii casualis mixti, et etiam indirecte voluntarii ; v. g., si medicus ex gravi negligentia causa fuerit mortis alterius ; si quis excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, occiderit injustum invasorem, præter intentionem, « quia, ait S. Alph. de Liguori, cum tale homicidium non fiat « ex voluntate absoluta occidendi, non potest dici absolute « voluntarium. » (Lib. VII, n^is^ 393-395.) Idem dicendum putamus de mutilatione occulta ; licet enim mutilatio quandoque æquiparetur homicidio, non est homicidium, et verba concilii, utpote favorabilia, lato sensu interpretari licet.

4° Excipiuntur quoque casus *deducti ad forum contentiosum*. Hæc exceptio videtur non cohærere cum ipsa regula : cum facultas dispensandi concedatur solum in casibus occultis, ut quid necesse fuit excipere casus deductos ad forum contentiosum, qui non sunt occulti? Sed notare est casum vere occultum, qui scilicet ab uno aut paucis scitur, posse, jure vel injuria, deduci ad forum contentiosum ; concilium siquidem non loquitur tantum de casibus omnino occultis, qui a nemine cognoscuntur, sed de occultis prout a publicis distinguuntur. Porro statuitur Episcopum dispensare non posse, si casus deducatur ad forum contentiosum, per denuntiationem aut per accusationem. Si vero, causa delata ad forum contentiosum, reus juridice absolvatur eo quod delictum probatum non fuerit, « videtur profecto, ait Suarez, « revocari delictum ad statum in quo erat antea et æque « manere occultum, ideoque esse per Episcopum dispensa- « bile ; maxime quando nec plene, nec semiplene probari « potuit ; nam quando aliqua probatio intercedit, res videtur « magis dubia, quia ex semiplena probatione in foro conten- « tioso facta, oritur generaliter publica infamia et publica

« notitia, imperfecta quidem, tamen qualis sufficiens videtur, « ut res non maneat occulta sicut antea erat : quod secus est « quando delictum nullo modo probatum est. » (Disput. XLI, sect. II, n° 6.)

5° Episcopus facultate prædicta utitur in gratiam suorum subditorum; quod ut melius intelligatur, distinguendum videtur inter dispensationem concedendam ad susceptionem ordinum, et dispensationem ad exercitium ordinis suscepti. In priori casu, existimamus dispensationem non ab alio dari posse quam ab Episcopo proprio, qui solus Ordinarius est relative ad clerici ordinationem. Hæc sunt correlativa : illius est judicare an expediat aliquem super irregularitate dispensare, cujus est eumdem suo clero adscribere. In secundo casu, Episcopus dispensare potest clericos qui sacrum ministerium sub illius auctoritate in sua diœcesi obeunt, quales sunt, v. g. vicarii, et multi alii sacerdotes qui licet ad diœcesim aliam pertinentes, illic tamen, ex licentia sui respective Episcopi, indefinite commorantur. Hi omnes sunt revera subditi Ordinario loci quoad exercitium functionum sacrarum, quamdiu ministerio sibi commisso funguntur; atque idcirco possunt ab eo impetrare dispensationem super irregularitatibus, ex tenore decreti Tridentini.

Idem probabiliter dicendum est de clericis qui, licet nullo ministerio publico addicti sint diœcesi, in ea tamen domicilium habent, vel etiam quasi-domicilium. Quoad vero cæteros qui accidentaliter illic degunt, animo ad propria revertendi, res est difficilior. Sub uno quidem respectu, æquitati consonum videretur ut alienigena, qui non in fraudem sed bona fide accessit, posset recurrere ad Ordinarium loci, si forte ex delicto occulto inciderit in irregularitatem, ne privetur consolatione sacra mysteria celebrandi. Sub alio autem respectu ordo disciplinæ suadet ut sacerdos aliqua irregularitate detentus adeat suum proprium Episcopum sub cujus auctoritate atque vigilantia sacris ordinibus communiter fungitur,

ut ipse Episcopus judicet quatenus opportunum sit eum relevare, ut in suo ministerio permaneat. Præterea, quod hic præsertim animadvertere est, alienigenæ qui per locum transeunt, animo ad sua redeundi quando sibi placuerit, non veniunt nomine *subditorum*, nec reipsa subditi sunt Ordinarii loci, tametsi possint ibi sacramenta necessaria recipere; quamobrem, cum facultas Episcopis concessa sit a concilio in gratiam suorum subditorum, tutius est ut in eo casu abstineant, et clericus ad suum proprium Episcopum remittatur. Hæc conclusio confirmatur ex decisionibus S. Congreg., apud graves auctores relatis, quibus dicitur extraneos posse a suis criminibus absolvi, vi decreti Tridentini, non tamen dispensari[1].

6° Iis notaminibus alterum subjiciemus ad intelligentiam decreti Tridentini, nempe Episcopum posse dispensare suum subditum, tum intra, tum extra diœcesim. Episcopus non posset absolvere a casibus S. Pontifici reservatis suum diœcesanum absentem, vi decreti concilii Tridentini (n° 793); sed canonistæ communiter admittunt illum posse dispensare super irregularitate, adeo ut restrictio *in sua diœcesi* quam concilium in suo decreto cap. VI, sess. XXIV inseruit, referatur ad secundam partem de casibus reservatis, non ad priorem de irregularitatibus. « Hujus differentiæ ratio, ait « Suarez, hinc videtur oriri quod potestas dispensandi sim- « pliciter conceditur et dispensatio ipsa ex se non pertinet « ad forum pœnitentiæ, et ideo æque circa absentem et « præsentem exerceri potest. » Ita fuisse definitum a S. Congreg. Concilii, absentiam scilicet non obstare quominus Episcopus suum subditum dispenset, refert Pignatelli. (Tom. I *Consultationum canonicarum*, XX, n° 9.)

830. — III. Irregularitates S. Pontifici reservatæ relaxari

[1] Cf. Suarez, disput. XLI, sect. II, n° 12. — Garcias, *de Beneficiis*, part. XI, cap. X, n° 159. — Collet, *Traité des dispenses*, liv. VI, chap. IV, n° 195. — Collat. Andeg, VII^e *Conférence sur les irrégularités*, IV^e *Question*.

possunt ab Episcopo in duplici casu, necessitatis nimirum et dubii.

1° Si gravissima causa urgeat et non pateat aditus ad S. Pontificem, Episcopus dispensare potest, ea tamen conditione, ut quam primum fieri poterit clericus adeat Sanctam Sedem. Ita communiter theologi ex principiis generalibus circa dispensationem a lege[1].

Hujusmodi necessitas vix contingere potest quoad ordinum susceptionem. Si enim sit irregularitas *ex defectu*, non pertimescetur scandalum; nihil urget, et expectari potest usquedum Sancta Sedes dispensationem concesserit; item si intercesserit irregularitas *ex delicto publico;* si vero promovendus impediatur irregularitate *ex delicto occulto*, Episcopus potest dispensare, excepto casu homicidii voluntarii, super quo aliunde non decet ut detur dispensatio. Fortassis tamen accidet ut promovendus noverit, paucis ante ordinationem diebus, irregularitatem ex defectu quæ sine dedecore ac quadam veluti infamia manifestari non possit, puta illegitimitatem natalium, et aliunde, ratione habita circumstantiarum, inopinata dilatio ordinationis ad aliud tempus locum datura sit gravi scandalo, injuriosæ scilicet suspicioni in clericum.

Necessitas sæpius continget post susceptos ordines, ne aut diffametur clericus, aut per tempus diuturnum teneatur supersedere sui ordinis exercitio, vel etiam suam Ecclesiam auxilio destitutam deserere.

2° In casu dubii, asserunt communiter canonistæ Episcopum posse dispensare; quia, inquiunt, stante dubio an res indigeat dispensatione, Episcopus valet dispensare, aut consideratis considerandis declarare dispensationem non requiri, aut illam dare ad cautelam. Præterea, « reservatio dispensa-
« tionis, ait Ferraris, est odiosa, utpote coarctans potestatem
« ordinariam Episcopi; ideoque est restringenda ad certos

[1] S. Alph. de Liguori, lib. VII, n° 391.

« casus. » (Ferraris, v° *Dispensatio*, n° 29. Reiffenstuel, in tit. DE CONSTITUTIONIBUS, n° 474. S. Alph. de Liguori, n° 400.) Id a fortiori dicendum in materia irregularitatum, cum generaliter admittatur licitum esse in dubio juris, et etiam in dubio facti, se gerere veluti si nulla esset irregularitas. (N° 801.)

Difficultas tamen superest in casu quo dubium versatur circa ipsam potestatem Episcopi, an irregularitas sit reservata, an delictum sit occultum vel publicum, an ordinandus sit sub jurisdictione Episcopi, an indultum apostolicum talem casum complectatur, etc., etc. Dubium solvetur ex præsumptione generali, si aliqua præsumptio invocari possit. Scilicet : 1° Si agatur de irregularitatibus ex defectu, cum Episcopus nulla facultate potiatur, excepto uno aut altero casu, abstinere debet a concedenda dispensatione : judicare tamen potest utrum in quæstione proposita, sit irregularitas, an non. 2° Si agatur de irregularitatibus ex delicto occulto, pronuntiare poterit in gratiam suæ jurisdictionis, quia generalem habet facultatem, et in materia favorabili dubia interpretantur lato sensu. 3° Si dubitetur de existentia, de sensu, de extensione indulti apostolici, abstinere necesse est, quia nulla suppetit ratio præsumendi in favorem Episcopi, cum facultas dispensandi super jure communi reservata sit Sanctæ Sedi.

831. — III° *Quomodo postulanda sit dispensatio, et quid servandum in exsecutione dispensationis?*

I. Qui aliqua irregularitate tenetur a qua dispensari exoptat, debet recurrere ad auctoritatem competentem; nimirum ad S. Pontificem, vel ad Episcopum, pro ratione irregularitatis, ex dictis in quæstione præcedenti. Si Sanctam Sedem adeat, libellum supplicem porriget ad Pœnitentiariam aut ad Datariam, prout irregularitas est occulta vel publica. S. Pœnitentiaria dispensat in occultis irregularitatibus, et inhabilitatibus, etiam ex homicidio voluntario, item ab inhabilitatibus propter hæresim, modo fuerint penitus occulta. Dispensat etiam cum male promotis, ut omissos ordines pos-

sint secrete suscipere, non servatis interstitiis et extra tempora, et absque dimissoriis; non tamen ut plures sacros ordines eodem die recipiant. Item cum promotis ad sacros ordines, qui simoniam cum Episcopis promoventibus commiserint. Potest convalidare titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum et partem pretii simoniaci condonare. (Const. Benedicti XIV, *Pastor bonus*, § 15-20.) Alias dispensationes super irregularitatibus ex defectu, vel ex delicto publico, largitur sive Dataria, sive Secretaria Brevium, juxta sua respective jura. Sic, v. g., Secretaria Brevium privative concedit dispensationes super defectu ætatis tredecim mensium, vel alterius temporis; aliæ absolutiones, et dispensationes super irregularitate proveniente ex defectu corporis vel ex delicto, æque obtinentur, tum a Secretaria, tum a Dataria. Sed necesse non est discernere quæ sint in hac materia attributiones respectivæ utriusque officii, uti alias observatum fuit (n° 117); nam supplicatio ab officialibus curiæ romanæ ad alterutrum dirigitur, pro subjecta materia.

II. Necessarium est ut in supplicatione exponatur a quanam irregularitate et ad quem effectum postuletur dispensatio, simul cum rationibus quæ ad postulandam gratiam movent; superior enim nisi aliter suam mentem exprimat, gratiam impertitur juxta petitionem sibi factam, et si errore inducatur ad concedendum dispensationem, gratia concessa irritatur. Si quis igitur pluribus irregularitatibus diversæ speciei adstrictus sit, et unam solummodo, seu errore, seu mala fide, exprimat, ab illa tantum solvetur, cæteris remanentibus, quia hanc solam intendit superior. Si plures irregularitates contractæ sunt ob delictum ejusdem generis sæpius iteratum, probabiliter requiritur ut saltem dicatur in genere violatam fuisse multoties legem irregularitatem inducentem, ne superior ignoret quantitatem gratiæ quam impertitur, et ut dispensatio pro omnibus irregularitatibus concedatur (n° 790).

Explicetur præterea oportet effectus dispensationis : potest

enim irregularitas tolli vel in totum, vel ex parte; quoad ordines minores non quoad majores; quoad usum ordinis suscepti, non quoad ordinem suscipiendum; quoad ordinum susceptionem, non beneficiorum. Quoties dispensatio irregularitatis conceditur absolute, sine addito, signum est dispensationem esse totalem; tum quia verba significant totam dispensationem, tum quia nulla est ratio determinandi dispensationem ad unum ordinem, potius quam ad alterum; tum denique quia in statu præsenti omnes et singuli promoti se promovendos sperant ultimo ad sacrum presbyteratum. Hæc tamen concessio, quantumvis absolute facta, non censetur comprehendere prælaturam majorem, neque etiam officium et beneficium, præsertim cum cura animarum, siquidem in concessione generali ea non veniunt quæ superior forte non esset in specie concessurus, et aliunde *quæ exorbitant a jure communi*, uti sunt dispensationes, *ad consequentiam non sunt trahenda* (n° 38).

III. Dataria Breve dispensationis dirigit ad Episcopum, vel ad Episcopi officialem a quo exsecutioni mandetur : Pœnitentiaria rem demandat communiter confessario ab oratore ex approbatis eligendo, qui dispensationem applicet in foro conscientiæ. Delegatis, tum a Dataria, tum a Pœnitentiaria, convenit consilium quod Benedictus XIV dedit quoad rescripta dispensationum in causis matrimonialibus : « Statim « ac litteræ seu diplomata ipsis reddentur, sæpius illa per- « currant, ut iis omnibus fideliter satisfaciant quæ præscri- « buntur. » (*Institutione* LXXXVII, n. 81.)

Non est specialis solemnitas requisita ad validitatem dispensationis : sufficit ut delegatus eam formam adhibeat quæ dispensationem significet. Sed conditiones præscriptas penitus servare omnino necessarium est, præsertim quæ verbo ablativo enuntiantur; nam « certissimum est inter jurisperitos, « ait Benedictus XIV (loco citato, n° 68), quod vera conditio « ex ablativo absoluto consequitur; qua de re prætermitti

« nullo modo potest, licet gravissima incommoda interpo-
« nantur [1]. »

Sedulo attendere oportet ex tenore rescripti : 1° utrum exsecutor teneatur inquirere de causis allegatis, antequam dispensationem expediat; 2° utrum Pœnitentiaria dispensationem concesserit pro delicto simpliciter occulto, an sub ea conditione quod delictum sit *omnino occultum*, quæ duo sunt valde distincta; 3° utrum dispensatio concedatur in foro externo, an in foro simpliciter interno, an in foro pœnitentiali, audita scilicet confessione sacramentali.

Quando injungitur delegato ut non aliter dispenset, nisi quatenus invenerit per diligens examen veritatem causarum, nova informatione opus erit, etiam si ante petitionem facta fuerit inquisitio de causis allegatis. Si dispensatio detur dummodo delictum sit *omnino* occultum, exsecutor supersedere debet negotio, quando delictum cognoscitur vel ab uno qui illud probare posset in foro externo; extunc enim res non censetur omnino occulta.

Dispensatio concessa pro foro interno non prodest per se in foro exteriori, eo quidem sensu quod ea non obstante, judex valeat persequi clericum irregularem, eumque ab ordinis exercitio impedire. S. Pœnitentiaria sæpe injungit ut exsecutor dispensationem impertiatur *Nullis super his adhibitis testibus aut litteris datis;* addito etiam : *præsentibus post earum exsecutionem, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, per te combustis aut laniatis.* Verumtamen, si Episcopus postea inquireret in clericum causa irregularitatis cujus rumor ad ipsum pervenerit, exsecutor posset Episcopum secreto monere de data dispensatione; et Episcopi officium erit judicare, ex adjunctis, si debeat delegati testimonio

[1] Cf. quæ dicta sunt in *Prolegomenis* (nis 56 et 57) de rescriptis, et quæ passim tradunt theologi in tract. *de Matrimonio;* licet enim in alia materia versemur, magna tamen est analogia in iis quæ ad dispensationum assecutionem et exsecutionem attinent.

acquiescere, et abstinere ab alia inquisitione, an potius recurrendum sit denuo ad Sanctam Sedem ut clericus dispensetur in foro externo[1]. De obligatione indicta litteras comburendi aut laniandi, animadvertit Schmalzgrueber exsecutorem posse eas describere et exemplar, pro sua vel aliorum instructione, retinere; quia prohibetur solum retinere copiam authenticam, in debita juris forma factam, quæ ad probandum pro foro externo serviat. (In tit. DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ, n° 252.)

ART. IV. — DE PRIVATIONE OFFICII; DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE CLERICI.

832. — Pœnæ canonicæ de quibus hactenus egimus ad eum finem constitutæ sunt ut reus emendetur, vel ut dignitati status clericalis consultum sit. Aliæ peccatorem ad cor reversum juvant ut delicta efficacius expiet; aliæ contumacem ut ad meliorem frugem reducatur coercent; aliæ demum a clericatu removent quos peccata commissa minus idoneos efficiunt sacro ministerio; cæterum, non privant clericum privilegiis sui ordinis, nec etiam officiis seu beneficiis quæ antea legitimo jure acquisiverat. Superest ut de pœnis mere vindicativis, seu quæ ad vindictam delicti atque violati ordinis, potius quam ad emendationem rei, edictæ sunt, tractemus. Hujusmodi sunt, quod ad statum clericalem attinet, privationes, inhabilitates, depositio et degradatio.

833. — I° *Quandonam clerici priventur suis officiis et beneficiis, et quid jure servandum, quando superior intendit ad illam privationem procedere*[2]*?*

I. Sunt privationes tituli beneficialis quæ nullum delictum supponunt in clerico, et de quibus non agitur in præsenti : nonnullas exempli causa indicare satis erit. Præter casum

[1] Cf. Benedictum XIV *Institutione* citata, n° 51.

[2] Cf. Leurenium, *Forum beneficiale*, part. III. sect. I, cap. III.

renuntiationis spontaneæ et acceptatæ a superiore (n° 194), clerici ipso facto privantur suis beneficiis : 1° quando ordinem religiosum ingressi, peractoque novitiatu, professionem emittunt (n° 463); 2° quando promoventur ad beneficium incompatibile cum beneficiis præhabitis; nisi tamen obtinuerint dispensationem, ut plura simul beneficia incompatibilia possidere valeant. Promotus, v. g., ad episcopatum, privatur beneficio parochiali quod ante habebat; quæ privatio suum effectum sortitur a die quo sedis episcopalis possessionem cepit. (N° 607. Concil. Trid., sess. VII, cap. v.)

834. — II. Privantur ipso jure suo officio et beneficio in pœnam delicti : 1° qui simoniam commiserunt realem aut confidentialem in adeptione aut permutatione beneficii (n°732); 2° qui ad beneficia consistorialia promoti, se eorumdem beneficiorum administrationi immiscere attentant, ante obtentam confirmationem apostolicam (n° 148); 3° qui vi et propria auctoritate occupare præsumunt quæcumque beneficia ecclesiastica. Amittunt eo ipso jus omne, si quod habebant in eadem beneficia (cap. *Eum qui*, 18, DE PRÆBENDIS, in VI); 4° qui res aut bona sui beneficii alienaverunt contra præscriptum Bullæ *Ambitiosæ*, si per sex menses perseveraverint obdurato animo in interdicto cui subjacent; hæc sanctio non attingit Episcopos, sed inferiores prælatos et Ecclesiarum rectores; effectum non habet in regionibus ubi constitutio *Ambitiosæ* contraria consuetudine moderata est (n^is^ 620, 622); 5° qui usurpaverunt jurisdictionem, jura, bona, reditus Ecclesiarum, aut qui hujus usurpationis consentientes fuerunt (n° 735); 6° falsificantes litteras apostolicas, aliquid in illis delendo, aut introducendo, vel immutando (n° 742); 7° qui horrendum sodomiæ crimen exercent; id est qui non semel aut iterum, sed pluries illud perpetraverint (n° 746); 8° qui homicidium qualificatum, nempe patris, matris, Episcopi, vel clerici; item qui homicidium extructis insidiis, seu ut vocant, assassinium, commiserunt (n° 740); 9° qui cardinales,

aut quod multo immanius foret, S. Pontificem, hostiliter insecuti sunt, vel percusserunt, aut factum ratum habuerunt; 10° qui hæresim externam et manifestam pertinaciter profitentur (n° 722. Cf. Leurenium, loco cit. quæst, 228 et 229).

In citatis casibus privatio inducitur ipso jure; quod tamen non excludit necessitatem sententiæ declaratoriæ, præsertim si crimen non sit notorium, ut superior valeat ad exsecutionem pœnæ procedere. Reum proinde citare necesse est, ut respondeat si quid habeat contra factum quod ipsi objicitur. Ea autem est vis sanctionis canonicæ privationem inducentis pleno jure, ut si superior disposuerit de beneficio, illud alteri conferendo, valida esset collatio. Si e contra reus, patrato delicto, et ante sententiam, beneficium resignaverit aut permutaverit, non subsisteret hujusmodi dispositio; quia nemo transferre in alterum potest plus juris quam sibi competere *dignoscatur*, ut fert regula juris. Insuper sententia declaratoria habebit effectum retroactivum, per fictionem juris, ad diem commissi sceleris; quamobrem, reus tenebitur restituere fructus quos ex titulo beneficii percepit.

Canonistæ non consentiunt in solvendo dubio gravis momenti, utrum clericus qui sibi conscius est delicti cui jure annectitur pœna privationis, teneatur beneficium dimittere ante sententiam declaratoriam judicis [1]. Ad illud teneri arbitramur in duplici casu : 1° quando crimen patratum ante obtentum beneficium, aut in ipsius beneficii assecutione, obstitit, jure ita disponente, ne valide acquireretur. Ratio est quod in illo casu, clericus nunquam jus in beneficio habuit; et si recte loqui velimus, non est privatus beneficio quod non acquisivit. Ita statutum fuit de simoniace privato, quod ipsi « jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat fructus suos, sed « ad illorum omnium quæ percepit restitutionem, sub animæ

[1] Cf. Garcias, *de Beneficiis*, part. XI, cap. x. — Leurenium, *Forum beneficiale*, loco cit., quæst. 167. — Reiffenstuel, in tit. DE CONSTITUTIONIBUS, n[is] 227-238.

« suæ periculo, sit adstrictus. » (Cap. *Cum detestabile*, 2, DE SIMONIA, Extrav. Comm.) 2° Quando lex ipsa edixit ut clericus suum officium dimittat, *alia etiam declaratione non secuta*, uti dictum est in certis casibus de privatione fructuum beneficii (n° 542). Sed paucæ sunt hujusmodi leges, si excipiamus canones quibus inductæ fuerunt inhabilitates, de quibus modo. Extra duplicem illum casum videtur clericum expectare posse sententiam judicis et interea suo munere fungi, et consequenter fructus percipere, dummodo tamen, quod ad functiones attinet ordinis sacri, absolutus fuerit in foro interno ab omnibus censuris. Ratio est quod in pœnalibus non tenemur admittere obligationem de qua grave est dubium juris apud doctores, et quæ moraliter impossibilis esset respectu plerorumque. Sane semetipsum, sponte propria ac solius conscientiæ ductu, privare bonis legitime acquisitis, cum etiam propriæ diffamationis periculo, est aliquid humanæ naturæ difficillimum, quod vires virtutis communis superat, nec requiritur necessitate ordinis publici.

835. — III. Clerici privari possunt suo beneficio in pœnam delicti, per sententiam condemnatoriam : 1° Qui schismatis convicti sunt (n° 726); 2° qui magiam, sortilegium, aliasve istius modi superstitiones exercent, aut se illis intromittunt (n° 738); 3° qui homicidium, adulterium, aliudve delictum grave ac scandalosum contra castitatem commiserunt (n^is 739, 746); 4° qui violaverunt sigillum confessionis sacramentalis; aut qui sacrilege abusi fuerunt confessione, in casu prævisо a pluribus constitutionibus pontificiis, et præsertim Const. Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ;* 5° qui mulierem de concubinatu suspectam in sua propria domo retinent, aut cum illa alibi conversantur, spretis monitionibus canonicis de quibus statuit Conc. Tridentinum (n° 344); 6° non residentes in loco sui beneficii residentiam personalem exigentis. Si sint canonici, privari non debent suo titulo, nisi post absentiam per tempus jure prævisum protractam,

et prævіis monitionibus requisitis (n° 403) : si de aliis beneficiatis, et præsertim de parochis agitur, Episcopo liberum est sententiam privationis proferre, si intra tempus a se constitutum, legi obtemperare renuerint (n° 252)[1]; 7° qui censura innodati negligunt obdurato animo recurrere ad beneficium absolutionis. Conc. Tridentinum statuit ut procedi possit contra excommunicatum, tanquam de hæresi suspectum, qui per annum in censuris insorduerit (sess. xxv, cap. III). Probabile est eamdem regulam applicari posse clericis suspensis aut interdictis; 8° qui non gestant habitum clericalem, si ante moniti per suspensionem et privationem fructibus sui beneficii, denuo in hoc deliquerint (n° 340).

Superior qui intendit, in altero ex casibus allatis, procedere contra reum, observare debet formas ordinarias judiciorum; agitur enim de pœna graviori quam non licet indicere per sententiam *ex informata conscientia* (n° 691). Necesse est insuper ut ratio habeatur moderaminis jure communi præscripti in pœnarum gradu, antequam procedatur ad clerici e suo titulo deturbationem. Sententia non habebit effectum retroactivum ad diem delicti perpetrati, sed a die solummodo quo judicium prolatum est; et liberum relinquitur reo suam causam promovere ad aliud tribunal per appellationem canonicam. Lite pendente nihil innovatur in præjudicium appellantis; appellatio enim habet in illo casu effectum simul devolutivum et suspensivum. Potest nihilominus superior, clerico a suis functionibus interdicto, providere officii exsecutioni quantum postulat necessitas spiritualis fidelium, curam ejusdem officii alteri demandando usquedum causa terminata sit.

836. — IV. Episcopus potest ab illo judiciorum ordine recedere, quando clericum ab actuali ad alterum beneficium ejusdem fere valoris seu dignitatis transferre intendit, ob ra-

[1] Cf. Gallemart in sess. XXIII, cap. I concilii Tridentini, ubi referuntur declarationes S. Congregationis.

tiones graves quæ permutationem uti necessariam aut maxime utilem requirunt. Hujusmodi rationum ponderatio non est objectum judicii canonici, sed dimittitur prudentiæ Episcopi (n° 693); ita tamen ut semper pateat aditus ad recursum extrajudicialem ad superiorem, si clericus se injuste læsum queratur (n° 711).

An clericus irregularis ex delicto privari possit extrajudicialiter suo beneficio quæstio est. Canonistæ communiter docent irregularitatem non inducere privationem beneficii, nisi clericus in illam inciderit ob delictum cui hæc privatio sit annexa jure canonico. Sed simul hæc duo notant : 1° irregularitatem ex delicto esse perpetuam, adeo ut clericus non valeat aliter obtinere dispensationem quam ex benignitate superioris : 2° clericum qui non potest dispensationem assequi, teneri in conscientia dimittere beneficium quod requirit exercitium ordinis sacri, v. g., beneficium parochiale. Ratio est quod cum non possit suum munus licite implere, nequit illud licite retinere ; quæ ratio magis adhuc urget, si beneficiarius irregularis incurrerit præterea suspensionem totalem (Suarez, disput. XL, sect. II, nis 15-20 ; S. Liguori, lib. VII, n° 342). Communiter suum titulum servat usque dum ipsi renuntiaverit, vel judicio canonico sit amotus ; et interea provideri potest officio per assumptum administratorem. Ea ratione superest reo spes recuperandi, cum venia delicti, exercitium sui muneris. Verum contingere potest ut quamvis non perpetraverit graviora delicta pro quibus deponi juridice possit, ita tamen egerit ut scandalo esset fidelibus si illum rursus conspicerent sacris functionibus sui officii incumbentem; ut spes nulla affulgeat in posterum quod possit officium decenter reassumere; denique ut beneficium non possit, absque gravi incommodo et detrimento fidelium, remanere per diuturnum tempus proprio rectore destitutum, precario titulo alterius curæ demandatum. In illo autem casu existimamus clericum, juridice convictum de suspensione et de

irregularitate, qui non vult beneficium dimittere, posse eodem beneficio privari, non adhibita alia forma judiciali, si S. Pontifex, cujus solius est dispensare super irregularitatibus ex delicto publico ortis, et cui rerum status declaratus fuit, causam commiserit prudenti arbitrio Episcopi, cum facultatibus ad id opportunis; judicium enim practicum de illa morali necessitate amovendi beneficiarium irregularem, ad Prælati administrationem, potius quam ad forum contentiosum pertinet.

837. II° *Quid sit depositio clerici et quotuplex distinguatur?*

I. Depositio clerici, simpliciter et absolute sumpta, est pœna qua aliquis in perpetuum privatur ordine et munere clericali quoad exercitium, retento privilegio canonis et fori. Depositio in multis convenit cum suspensione, privatione, et inhabilitate, sed ab illis sub certo respectu substantialiter differt; quod ex comparatione adducta perspicuum erit.

Depositio convenit in quibusdam cum suspensione, sed ab illa essentialiter distinguitur. Suspensio et depositio conveniunt in eo quod 1° utraque solis clericis et religiosis imminent; 2° qui depositionem contemnit et ea exercet a quibus depositus est, irregularitatem contrahat ac si suspensionem violasset. In his autem differunt : 1° suspensio, utpote pœna medicinalis, fertur, ad tempus, et depositio in perpetuum ; 2° suspensio infligi potest extrajudicialiter *ex informata conscientia*, dum depositio requirit monitionem, citationem, aliasque conditiones ordinis judiciarii ; 3° depositio infligenda est ob causas graviores, imo gravissimas, si quidem in perpetuum fertur et notam infamiæ inurit; 4° suspensus a beneficio non privatur suo titulo quem, obtenta absolutione, retinere poterit; depositione autem ab officio tollitur beneficium officio annexum, nec recuperari poterit nisi per novam concessionem ; 5° demum, ut cætera omittamus, suspensio incurri potest ipso facto, depositio requirit sententiam judicis.

Privatio officii et beneficii majorem habet similitudinem

cum depositione, siquidem utraque est perpetua; quin etiam privatio dici potest, et reipsa sæpe dicta est depositio, est quippe depositio partialis. Differunt tamen in eo quod 1° privatio non est semper in pœnam delicti (n° 198), depositio e contra nunquam infligitur nisi reis et convictis delicti; 2° privatio, quando etiam est pœnalis, non inducit inhabilitatem ad acquirenda nova beneficia, sed a beneficiis actu obtentis tantummodo removet; depositio simplex et absoluta inhabilem efficit in futurum.

Inhabilitas est pœna gravior suspensione et privatione, et propius adhuc accedit ad depositionem; qui enim declaratur inhabilis, suspenditur ipso jure ab exercitio officii ecclesiastici, et incapax efficitur in perpetuum obtinendi dignitates, officia ecclesiastica, et beneficia. Qui afficitur inhabilitate in pœnam delicti, privatur suis officiis a die perpetrati criminis cui jure annexa fuit inhabilitas, non facit suos fructus beneficii sed restituere tenetur; sua beneficia non valet resignare nec permutare. In iis omnibus conveniunt inhabilitates cum depositione; in eo autem differunt quod : 1° Inhabilitates referuntur solummodo ad officia et beneficia, depositio autem afficere potest ipsum ordinem et statum clericalem; 2° inhabilitates sæpius inducuntur ipso jure, quamvis necesse sit ut intercedat sententia declaratoria qua factum authentice declaretur, quemadmodum de privatione constitutum est; depositio aliter non potest quam sententia condemnatoria a judice prolata, servatis regulis præstitutis.

Est igitur proprium ac essentiale depositioni, si absolute feratur, ut reum privet in perpetuum munere et officio clericali, retento tamen privilegio sui status, nimirum privilegio *canonis* et *fori*, adeo ut non possit ad tribunal civile addici, ubi subsistunt immunitates personales clericorum, et qui eum injuriose percuteret incideret in excommunicationem majorem, latam canone concilii Lateranensis. Remanet simul ob-

strictus obligationibus sui status, nempe recitandi officium divinum et servandi castitatem, si sit clericus in sacris constitutus.

II. Multiplex distinguitur depositio : alia est *totalis* seu absoluta, et alia *partialis;* alia dicitur *verbalis*, et alia *realis*.

1° In prioribus sæculis duplex fuit species depositionis, totalis scilicet et partialis, eadem fere ratione ac juxta præsentem disciplinam observari potest. Interdum clerici privabantur omnibus juribus et privilegiis sui status, adeo ut inter laicos haberentur; interdum vero ex parte tantum. Quidam sui ordinis honorem et dignitatem retinebant, licet ejus munera exercere prohiberentur. Alii ex gradu quem habebant, ad inferiorem dejiciebantur. Diaconus, v. g. ad gradum subdiaconi, vel ostiarii, descendere cogebatur, quoad nempe muneris officia. Haud semel clericis quædam sui ordinis adempta sunt, cætera autem servata. Aliquando demum statuebatur ut ab officii honore depositi, laicam tantum communionem reciperent, quamdiu vixissent. Erat autem laica communio genus pœnæ qua plectebantur clerici qui e suo statu degradati in conditionem laicorum redigebantur[1]. Eumdem hodierna ætate gradum depositionis, totalis et partialis, observare potest superior; verum communiter sufficit ad rei correctionem pœna suspensionis, aut privationis officii; et si graviora delicta acerbiorem pœnam exposcerent, procederetur ad depositionem totalem qua clericus privatur omnibus juribus sui status, quoad exercitium ordinum, officium, jurisdictionem, et beneficia.

2° Depositio *verbalis* fit sententia judicis, forma consueta judiciorum solemnium; depositio *realis*, quæ vocatur degradatio, fit ritu solemni in Pontificali Romano descripto, de quo dicetur in quæstione sequenti,

Depositionis pœna non infligitur nisi ob graviora scelera

[1] Devoti, *Institutiones canonicæ*, lib. I, sect. IV.

de quibus in superioribus egimus, et quibus ex pluribus constitutionibus pontificiis, imprimis ex bulla Benedicti XIV *Sacerdos in æternum*, ann. 1744, adjungi debet delictum illius qui non promotus ad sacerdotium, missas celebrare, aut sacramentales confessiones excipere præsumpsit.

Animadvertendum est depositionem verbalem, quæ est absoluta, in perpetuem fertur, et viam parat ad degradationem realem, pronuntiandam fore ab Episcopo, vel ab Episcopi vicario, advocatis et astantibus assessoribus, quemadmodum statutum fuit decreto concilii Tridentini, sess. XIII, cap. IV, juxta veterem disciplinam. Cum olim requireretur præsentia sex Episcoporum ad deponendum presbyterum, et trium Episcoporum ad deponendum diaconum vel subdiaconum, idem numerus servandus est ad præscriptum concilii, suffectis loco Episcoporum « personis in « dignitate ecclesiastica constitutis quæ ætate graves ac juris « scientia commendabiles existant. »

« Dubitari potest, ait Suarez, an illi assistentes Episcopo « habeant votum decisivum in tali sententia, an requirantur « solum ut consultores, et ad quamdam solemnitatem actus; « ita enim aliquibus visum est... Nihilominus tamen dicen- « dum est, illos postulari ut judicis assessores. Primo, quia « jus novum non recedit ab antiquo nisi quantum in eo ex- « primitur, sed concilium mutavit qualitatem seu dignitatem « personarum, non modum assistendi, vel actum quem « exercere debent. Item propter hanc causam censetur nunc « hæc solemnitas essentialis quia antea erat; concilium nihil « in hoc innovavit. » (Disput. XXX, sess. I, n° 20.) Re quidem vera juxta disciplinam olim religiose servatam, « non potest « quemquam a sacerdotali gradu, nisi justis ex causis, con- « cors sententia sacerdotum submovere » (cap. *Non potest*, 3, DE SENTENTIA ET RE JUDICATA); atqui nihil reperitur in decretis concilii, nec in cæteris constitutionibus recentioribus, quo derogatum sit huic disciplinæ. Ideo concilium

indixit ut assumerentur viri ætate graves et *scientia juris commendabiles* ut officium assessorum rite expleant. Ita communiter canonistæ in commentariis tituli DE PŒNIS, lib. V Decretalium.

838. — III° *Quid sit degradatio clerici?*

Degradatio, quæ frequenter in jure vocatur *depositio realis*, seu *actualis*, vel etiam *solemnis*, est pœna qua clericus, in quem sententia depositionis juridice prolata est, dejicitur e clero, amisso omni penitus privilegio clericalis ordinis.

Degradatio fieri debet ab Episcopo consecrato, quia censetur actus ordinis episcopalis, eidem annexus ex institutione Ecclesiæ. Quemadmodum Episcopi solius est ordines conferre, ita decebat ut ei reservaretur actus quo Ecclesia ordines aufert, quantum in se est, a clerico deposito.

Degradatio fit in Ecclesia, vel in alio loco sacro, servato ritu solemni. Degradandus adducitur coram Episcopo indutus sui ordinis vestibus sacris, in manu habens librum, calicem vel aliud instrumentum ad suum ordinem attinens. Episcopus illi aufert gradatim omnia insignia ordinum ab ordine ultimo suscepto ad usque primam tonsuram, quibus ablatis, dicit : *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem et deponimus, degradamus, spoliamus et exuimus te omni ordine, beneficio, et privilegio clericali.* (Cap. *Degradatio*, 2, DE PŒNIS, in VI°.) Canonistæ habent hæc verba veluti formam degradationis, producentem ex institutione Ecclesiæ effectus quos significat; quapropter cum ultimo loco reponatur amissio privilegii clericalis, concludendum existimant hunc esse proprium effectum degradationis realis, qui non convenit depositioni verbali. « Ideo, ait Suarez, « Ecclesia nunquam consuevit tradere clericum brachio sæ- « culari usque ad actualem degradationem ejus; neque se- « cundum jus ordinarium existimo aliter agi posse, quamvis « ob necessitatem urgentem possit aliquando aliter fieri, præ-

« sertim interveniente summi Pontificis auctoritate. » (Loco citato, sect. II, n° 8.)

Clericus actu degradatus restitui non potest nisi a S. Pontifice; qui vero fuit verbaliter depositus, ob certa delicta præfinita in jure canonico (cap. *At si*, 4, DE JUDICIIS) posset, post peractam pœnitentiam, restitui in statum pristinum ab Episcopo. Cf. Schmalzgrueber, DE PŒNIS, n° 137.

839. — Episcopi Galliarum prætermiserunt a sæculo XVII pœnam degradationis in clericos reos criminum [1], propterea quod magistratus sæculares non solum sibi assumpserunt officium judicandi criminaliter clericos, vi edictorum regiorum, nulla habita ratione privilegii clericalis fori, sed nec passi sunt Episcopos cognoscere summarie de causa criminali clerici, antequam ad degradationem devenirent. In statu præsenti difficile est servare ritus solemnes depositionis realis, quia reus plerumque detrectabit in eo Episcopi imperium, et magistratus sæculares e sua parte ab assistendo Episcopo diffugient; sed nihil obstat quominus feratur sententia verbalis depositionis in clericum juridice convictum gravis delicti, antequam plectatur potestate sæculari. Hoc servato juris ordine, primi pastores præcavent, quantum in se est, ne inter fideles adhuc cohonestatus sit juribus et officiis sui ordinis clericus qui se infando crimine miserrime commaculavit, pœnasque corporales luit a judice sæculari edictas.

Omnipotens et misericors Dominus a tantis flagitiis immunes tueatur, suaque virtute custodiat, quos ad officium sacerdotale sua benignitate provexit, ad ædificandum fideles prædicatione et exemplo, ut sit illorum doctrina spiritualis medicina populo Dei, et odor vitæ delectamentum Ecclesiæ Christi.

[1] Gohard, *Traité des bénéfices*, tom. IV, pag. 633. — *Mémoires du clergé*, tom. VII, col. 1307-1323.

CONCLUSIO

840. — Quæstionibus de constitutione ac regimine Ecclesiæ persolutis, explicata disciplina de personis, de rebus sacris et de judiciis, finem imponendum duximus hisce Prælectionibus canonicis. Multa quæ desunt consectaria practica supplebit studiosus lector, si ad principia juris animum intenderit; non enim cuncta expendere possibile fuit, nec exposcebat incœpti instituti ratio, sed regulas generales tradere methodo scholastica, atque compendiaria ratione, quibus causas quæ frequentius in praxi occurrunt resolvere valeamus et ad disciplinæ ecclesiasticæ scientiam vias parare. Hoc unum nobis animo fuit, ut clericos juvaremus in adipiscenda disciplina sacra ex traditionibus venerandis Patrum, imprimis SS. Pontificum. Si quid præter mentem exciderit quod alienum esse videatur a definitionibus atque placitis Ecclesiæ Romanæ, hoc penitus delendum volumus; nos enim atque cuncta quæ scripsimus, hujus Ecclesiæ Matris ac disciplinæ interpretis censuræ filiali affectu et obsequio subjicimus, rati non aliam esse veram, solidamque doctrinam, quam quæ ipsi probata sit.

APPENDICES

PRÆLECTIONUM JURIS CANONICI.

---

§ I

REGULÆ JURIS.

Regulæ juris e titulo XLI libri V Decretalium.

1. Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.
2. Estote misericordes, etc... Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo nisi ut ea facta quo dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos :* de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates et similia, de quibus nobis permittitur judicare.
3. Qui scandalizaverit, etc... Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.
4. Quod non est licitum in lege necessitas facit licitum. Nam et sabbatum custodiri præceptum est : Machabæi tamen sine culpa sua in sabbato pugnabant. Sic et hodie si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.
5. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.
6. In ipso causæ initio non est a quæstionibus inchoandum.

7. Quidquid in sacratis Deo rebus et episcopis injuste agitur pro sacrilegio reputatur : quia sacra sunt et a quoquam violari non debent.
8. Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat facit; et ideo jam non facit.
9. Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus.
10. Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit et pastor nescit.
11. Indignum et a Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

Regulæ juris Sexti Decretalium.

1. Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.
2. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.
3. Sine possessione præscriptio non procedit.
4. Peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum.
5. Peccati venia non datur nisi correcto.
6. Nemo potest ad impossibile obligari.
7. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.
8. Semel malus, semper præsumitur esse malus.
9. Ratum quis habere non potest quod ipsius nomine non est gestum.
10. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.
11. Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori.
12. In judiciis non est acceptio personarum habenda.
13. Ignorantia facti non juris excusat.
14. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.
15. Odia restringi et favores convenit ampliari.
16. Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.
17. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.
18. Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.
19. Non est sine culpa qui rei quæ ad eum non pertinet se immiscet.
20. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

21. Quod semel placuit amplius displicere non potest.
22. Non debet aliquis alterius odio prægravari.
23. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.
24. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur : cum habeat parere necesse.
25. Mora sua cuilibet est nociva.
26. Ea quæ fiunt a judice si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.
27. Scienti et consentienti non fit injuria neque dolus.
28. Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.
29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.
30. In obscuris minimum est sequendum.
31. Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.
32. Non licet actori quod reo licitum non existit.
33. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.
34. Generi per speciem derogatur.
35. Plus semper in se continet quod est minus.
36. Pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.
37. Utile non debet per inutile vitiari.
38. Ex eo non debet quis fructum consequi quod nisus extitit impugnare.
39. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.
40. Pluralis locutio duorum numero est contenta.
41. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.
42. Accessorium naturam sequi congruit principalis.
43. Qui tacet consentire videtur.
44. Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.
45. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.
46. Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debet.
47. Præsumitur ignorantia ubi scientia non probatur.
48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.
49. In pœnis benignior est interpretatio facienda.
50. Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.
51. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.
52. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

53. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.
54. Qui prior est tempore, potior est jure.
55. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.
56. In re communi potior est conditio prohibentis.
57. Contra eum qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda.
58. Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum juramentum.
59. Dolo facit qui petit quod restituere oportet eumdem.
60. Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.
61. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.
62. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.
63. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.
64. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.
65. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.
66. Cum non stat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.
67. Quod alicui suo non licet nomine : nec alieno licebit.
68. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.
69. In malis promissis fidem non expedit observari.
70. In alternativis electoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.
71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.
72. Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.
73. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari.
74. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.
75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.
76. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.
77. Rationi congruit ut succedat in onere qui substituitur in honore.
78. In argumentum trahi nequeunt quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.
79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.
80. In toto partem non est dubium contineri.
81. In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.
83. Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.
84. Cum quid una via prohibetur alicui ad id alia non debet admitti.
85. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.
86. Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.
87. Infamibus portæ non pateant dignitatum.
88. Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

§ II.

CONCORDATUM INITUM ANNO 1801 INTER PIUM VII S. PONTIFICEM ET GUBERNIUM GALLICANUM.

Gubernium Reipublicæ recognoscit religionem Catholicam, Apostolicam, Romanam, eam esse religionem quam longe maxima pars civium Gallicanæ Reipublicæ profitetur.

Summus Pontifex pari modo recognoscit eamdem religionem, maximam utilitatem maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore præstolari ex catholico cultu in Gallia constituto, necnon ex peculiari ejus professione, quam faciunt Reipublicæ Consules.

Hæc cum ita sint atque utrinque recognita, ad religionis bonum internæque tranquillitatis conservationem, ea quæ sequuntur inter ipsos conventa sunt:

Art. I^us^. Religio Catholica, Apostolica, Romana, libere in Gallia exercebitur. Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

II. Ab Apostolica Sede, collatis cum Gallico Gubernio consiliis, novis finibus Galliarum diœceses circumscribentur.

III. Summus Pontifex titularibus Gallicarum ecclesiarum Episcopis significabit se ab iis, pro bono pacis et unitatis, omnia sacrificia firma fiducia expectare, eo non excepto quo ipsas episcopales sedes resignent.

Hac hortatione præmissa, si huic sacrificio, quod Ecclesiæ bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri id autem posse summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicarum ecclesiarum novæ circumscriptionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

IV. Consul primus Gallicanæ Reipublicæ, intra tres menses qui promulgationem constitutionis apostolicæ consequentur, Archiepiscopos et Episcopos novæ circumscriptionis diœcesibus præficiendos nominabit. Summus Pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas, relate ad Gallias, ante regiminis commutationem statutas.

V. Item Consul primus ad episcopales sedes quæ in posterum vacaverint, novos Antistites nominabit, iisque, ut in articulo præcedenti constitutum est, Apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.

VI. Episcopi, antequam munus suum gerendum suscipiant, coram primo Consule, juramentum fidelitatis emittent, quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum :

« Ego juro et promitto, ad sancta Dei Evangelia, obedientiam et « fidelitatem Gubernio per Constitutionem Gallicanæ Reipublicæ sta« tuto. Item, promitto me nullam communicationem habiturum, nulli « consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra, « neque extra conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat; et si, « tam in diœcesi mea quam alibi, noverim aliquid in Status damnum « tractari, Gubernio manifestabo. »

VII. Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum emittent coram auctoritatibus civilibus a Gallicano Gubernio designatis.

VIII. Post divina officia, in omnibus catholicis Galliæ templis, sic orabitur :

Domine, salvam fac Rempublicam;

Domine, salvos fac Consules.

IX. Episcopi, in sua quisque diœcesi, novas parœcias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam Gubernii consensus accesserit.

X. Iidem Episcopi ad parœcias nominabunt; nec personas seligent, nisi Gubernio acceptas.

XI. Poterunt iidem Episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia, atque unum seminarium, in sua quisque diœcesi, sine dotationis obligatione ex parte Gubernii.

XII. Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, atque alia quæ non alienata sunt, cultui necessaria, Episcoporum dispositioni tradentur.

XIII. Sanctitas Sua, pro pacis bono felicique religionis restitutione, declarat eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus et jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes.

XIV. Gubernium Gallicanæ Reipublicæ in se recipit, tum Episcoporum, tum parochorum, quorum diœceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quæ cujusque statum deceat.

XV. Idem Gubernium curabit ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.

XVI. Sanctitas Sua recognoscit in primo Consule Gallicanæ Reipublicæ eadem jura ac privilegia quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

XVII. Utrinque conventum est, quod in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi Consulis catholicam religionem non profiteretur, super juribus et privilegiis in superiori articulo commemoratis, necnon super nominatione ad archiepiscopatus et episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fiet.

Ratificationum autem traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio.

Datum Parisiis, die 15 mensis julii 1801.

Hercules cardinalis Consalvi (L. S.).
J. Bonaparte (L. S.).
J. archiep. Corinthi (L. S.).
Cretet (L. S.).
F. Carolus Caselli (L. S.).
Bernier (L. S.).

Pius VII concordatum confirmavit Bulla *Ecclesia Christi*, data Romæ an. 1801, 18 calendas septembris.

DECRETUM ET BULLA

NOVÆ CIRCUMSCRIPTIONIS DIŒCESIUM.

Nos Joannes Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Caprara, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ VII, et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad primum Galliarum Reipublicæ Consulem a Latere Legatus.

Universis Galliarum Populis, Salutem in Domino.

Cum Sanctissimus Dominus noster Pius, Divina Providentia PP. VII, ad restituendum in Galliis publicum Catholicæ Religionis cultum et Ecclesiæ unitatem servandam, Conventionem a Plenipotentiariis Sanctitatis Suæ et Gubernii Gallicanæ Reipublicæ Parisiis initam per Apostolicas sub Plumbo Litteras incipientes *Ecclesia Christi*, sub Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1801, 18° calendas septembris, anno Pontificatus ejus secundo, solemniter confirmaverit, in iisque Apostolicis Litteris inter cætera illud quoque Decretum sit, novam esse faciendam circumscriptionem Gallicarum Diœcesium, hinc Sanctitas Sua ad eamdem circumscriptionem peragendam devenit per Apostolicas sub Plumbo Litteras tenoris sequentis videlicet :

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Qui Christi Domini vices in terris gerere, atque Ecclesiam Dei regere constitutus est, omnes occasiones arripere, omnique opportunitate, quæ ei offeratur, uti debet, qua possit et fideles ad Ecclesiæ sinum adducere, et omnia quæcumque timentur pericula evitare, ne, occasione amissa, spes amittatur etiam ea bona amplius assequendi, quibus catholica religio juvari possit. Hæ fuerunt causæ, quæ nos superioribus mensibus ad Conventionem inter hanc Apostolicam Sedem, et primum Consulem Reipublicæ Gallicanæ ineundam impulerunt, et eædem cogunt nunc ad cætera illa progredi, quæ si differrentur, et gravissimis damnis catholicam religionem affectam videre, et dilapsam spem illam omnem, in qua haud temere ingressi sumus, catholicam unitatem in Gallia retinendi dolere deberemus. In tanto hoc bono Ecclesiæ comparando cum statuissemus, et novam circumscriptionem

diœcesium in Gallia faciendam, et in totis quam late eæ patent regionibus, quæ nunc temporali dominationi Reipublicæ Gallicanæ subjacent, decem Ecclesias Metropolitanas, et quinquaginta Episcopales esse erigendas, quarum singulis possent a primo ejusdem Reipublicæ Consule tribus mensibus, qui proximi promulgationem litterarum nostrarum consequerentur, idonei viri ecclesiastici nominari ac digni, quos consuetis, ut antea, formis, nos canonice Archiepiscopos, sive Episcopos earum ecclesiarum institueremus, minime putabamus futurum, ut nos cogi deberemus derogare assensibus legitimorum pastorum, qui pridem Ecclesias illas ac diœceses obtinebant, quæ nunc omnes juxta novam circumscriptionem immutatæ, novis pastoribus a nobis donandæ sunt. Quinimo sperabamus, veteres omnes legitimos Antistites, tanto præsertim a nobis studio atque amore ad vetera ipsorum merita magna atque præclara novo hoc sacrificio augenda, excitatos litteris amantissimis nostris, quod maxime flagitabamus, statim responsuros, et sponte ac libere Ecclesias suas in manibus nostris resignaturos. Sed quoniam nunc magna cum animi nostri ægritudine in eo sumus, ut ex una parte etsi liberæ dimissiones multorum Episcoporum ad nos venerint, multorum tamen aut nondum allatæ sint, aut litteræ allatæ, quæ rationes quærunt, quibus differri hoc sacrificium possit; ex alia vero, cum maximum periculum sit, ne, si tanta res longius differatur, spoliata diutius suis pastoribus Gallia, non solum religionis restitutio differatur, sed omnia, quod maxime timendum est, in deterius convertantur, atque spes omnes nostræ ad nihilum recidant; postulat apostolici ministerii nostri ratio, ut nos, in tanto rei christianæ discrimine, cæteris rationibus omnibus, quamvis gravibus, unitatis, ac religionis causa, quæ omnium potissima est judicanda, postpositis, ad ea deveniamus, quæ ad opus tam laudabile, tamque Ecclesiæ salutare conficiendum omnino necessaria sunt.

Nos itaque audito consilio plurium venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, derogamus expresse cuicumque assensui legitimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et Capitulorum respectivarum Ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet Ordinariorum, et perpetuo interdicimus iisdem quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticæ jurisdictionis, nullius roboris declarantes quidquid quispiam eorum sit attentaturus, ita ut eæ Ecclesiæ, et respectivæ earum diœceses, qui, sive integræ, sive ex parte, juxta novam peragendam circumscriptionem, et haberi debeant, et sint revera prorsus liberæ; ut de iis nos constituere ac disponere ea forma possimus, quæ infra a nobis indica-

bitur. Habentes igitur prorsus pro expressis et integre insertis omnia et singula quæ præsentibus litteris necessario exprimenda et inserenda forent, supprimimus, annullamus et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totumque statum præsentem infra scriptarum Ecclesiarum Archiepiscopalium et Episcopalium, una cum respectivis earum Capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis, nimirum Archiepiscopalis Parisiensis cum suis Episcopalibus suffraganeis Carnotensi, Meldensi, Aurelianensi, Blesensi. . . . .

. . . . . .

Ita ut (deleto etiam omni jure Metropolitico cujuscumque existentis) omnes supradicti Archiepiscopatus et Episcopatus cum Abbatiis, etiamsi eæ vere essent nullius cum separato territorio, et jurisdictione, haberi debeant in posterum, tanquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimode extincti, aut in novam formam erigendi. Derogamus item cuicumque assensui illorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum ac quorumcumque Ordinariorum, quorum Ecclesiæ, ac diœceses, cum contineantur ex parte in supradicta extensione dominii Gallicani, ex hoc tempore haberi debebunt perpetuo exemptæ ac separatæ a quacumque jurisdictione, jure ac prærogativa prædictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum aliorumque Ordinariorum, ad hoc ut respectivæ earum partes applicari, uniri, atque corporari possint cum Ecclesiis ac diœcesibus nova circumscriptione (ut infra) erigendis : firmis tamen remanentibus juribus, privilegiis, ac jurisdictione ipsorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum et Ordinariorum in ea parte territorii quæ dominationi Gallicanæ non subjacet (quod idem decernimus relate ad eas Metropolitanas et Cathedrales Ecclesias, quas supra nominatim suppressimus et extinximus, si eæ forte partem aliquam suarum diœcesium habent extra fines actualis territorii Gallicanæ Reipublicæ), reservata nobis cura prospiciendi in posterum tum partibus illarum diœcesium, quæ pridem ab Episcopis Gallicanis regebantur, atque in aliorum principum ditione nunc constitutæ sunt, tum etiam Cathedralibus Ecclesiis quæ extra limites dicti Gallicani territorii existentes antea suffraganeæ essent antiquorum Galliæ Archiepiscoporum, quæque in novo hoc rerum ordine suo Metropolitano carere inveniantur.

Volentes nunc necessariam constitutionem ecclesiastici regiminis catholicorum subditorum Reipublicæ Gallicanæ exsequi, prout etiam nobis primus Consul ejusdem Gallicanæ Reipublicæ se desiderare significavit, apostolicis hisce nostris litteris de novo constituimus et eri-

gimus decem Ecclesias Metropolitanas, itemque quinquaginta Ecclesias Episcopales pro totidem Archiepiscopis et Episcopis nimirum : .

. . . . . .

Mandamus igitur dilecto filio nostro Joanni Baptistæ S. R. E. presbytero cardinali Caprara ad carissimum in Christo filium nostrum Napoleonem Bonaparte primum Galliarum Reipublicæ Consulem Gallicanamque nationem, nostro et Apostolicæ Sedis de latere Legato, ut is juxta has nostras prædictarum Ecclesiarum tam Archiepiscopalium quam Episcopalium erectiones procedens ad eas constituendas cum congrua unicuique Archiepiscopo et Episcopo præstanda assignatione decernat tum sanctos titulares patronos, sub quorum invocatione in unaquaque Ecclesia Metropolitana ac Cathedrali templum majus erit appellandum, tum dignitates et canonicos cujuscumque Capituli jùxta præscriptum sacrorum conciliorum efformandi, tum singularum diœcesium circuitum, novosque fines, clare, atque distincte omnia explicans atque constituens singulis decretis quæ ab eo emitti debebunt in actis omnibus conficiendis quæ ad singulas, quas diximus Ecclesias, tam decem Archiepiscopales, quam quinquaginta Episcopales peculiariter pertinebunt. Ad quod præstandum amplissimas quasque ei facultates, etiam subdelegandas impertimur, necessarias atque opportunas ad probanda statuta respectivorum Capitulorum, ad concedendum iisdem choralia insignia, quæ iis convenire arbitrabitur, ad veteres parœcias sive supprimendas, sive arctioribus limitibus circumscribendas, sive latioribus amplificandas, et ad novas novis finibus erigendas, itemque ad omnes controversias dijudicandas quæ suboriri unquam possent in exsequendis iis quæ per has litteras nostras apostolicas declarata sunt, ac generatim ad ea omnia efficienda quæ per nos ipsos effici possint, ut per erectionem prædictarum Ecclesiarum Archiepiscopalium atque Episcopalium, *itemque per erectionem, ut primum commode fieri poterit, seminariorum, ac per constitutionem necessarium parœciarum cum assignatione congruæ cuilibet parocho, spiritualibus necessitatibus omnium illorum catholicorum quam citius atque opportunius provideatur.

Ut vero in potestate facienda præfato Joanni Baptistæ Cardinali Legato procedendi per se ad omnia quæ ad constitutionem prædictarum Ecclesiarum Archiepiscopalium atque Episcopalium necessaria erunt, quin prius ea definita, ut moris est, a Sede Apostolica constituantur; nihil aliud optamus, nisi ut tanti momenti res ea celeritate quæ maxime necessaria est, omnino conficiatur, ita eidem Cardinali

mandamus ut mittere ad nos curet exemplaria singula authentica actorum omnium hujus constitutionis, quæ ab eo deinde conficientur. Confidimus autem pro ea doctrinæ, prudentiæ, consilii laude, qua præstat, supradictum Joannem Baptistam Cardinalem Legatum, rectissimis nostris studiis obsecuturum, omnemque operam adhibiturum ut meliori qua fieri ratione possit, re tota ad exitum quem optamus perducta, hoc tantum bonum quod nos Catholicæ religioni parare omni studio contendimus, auxiliante Deo, tandem aliquando consequi possimus, præsentes autem litteras, et in eis contenta et statuta quæcumque etiam ex eo quod quidlibet in præmissis, seu in eorum aliquo, jus, aut interesse habentes, vel habere prætendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, præeminentiæ, et ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis sint, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad præmissa minime vocati, vel etiam nullimode aut non satis, vel sufficienter auditi fuerint, aut ex alia qualibet, etiam læsionis, vel alias juridica, et privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quantumvis magno, inexcogitato, substantiali, et substantialissimo, sive etiam ex eo quod in præmissis solemnitates et quæcumque alia, forsan servanda et adimplenda, minime servata et adimpleta, seu causæ propter quas præsentes emanaverint, non satis adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis vel prætextibus, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris vel facti aut justitiæ remedium impetrari, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus vel specialibus : etiam motu, scientiæ et potestatis plenitudine paribus quomodolibet, ac quibusvis de causis pro tempore factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et tanquam ex Pontificiæ providentiæ officio et motu proprio, certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine nostris factas, et emanatas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo et inviolabiliter observari, ac

earumdem Ecclesiarum, sicut præfertur, noviter erectarum Episcopis, Capitulis et Canonicis, aliisque quorum favorem præsentes nostræ litteræ concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super præmissis omnibus et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri posse, neque ad probationem seu verificationem quorumcumque in eisdem præsentibus nostris litteris narratorum nullatenus unquam teneri, nec ad id in judicio, vel extra cogi seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse, et fore, pari auctoritate volumus, atque decernimus non obstantibus de jure quæsito non tollendo, de suppressionibus committendi ad partes vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariæ apostolicæ regulis, necnon dictarum Ecclesiarum per nos, ut præfertur, suppressarum, et extinctarum, etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, et donationibus eisdem Ecclesiis, ut præfertur, suppressis et extinctis, aut quibuscumque personis quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, quantumvis specifica et individua mentione dignis, etiam Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter in contrarium præmissorum concessis et emanatis et longissimi ac immemorabilis temporis usu, possessione, seu quasi exercitis, atque præscriptis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, et individua mentio, seu quævis alia expressio habenda aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, ex certa scientia motuque et potestatis plenitudine paribus derogamus et derogatum esse volumus cæterisque contrariis quibuscumque volumus etiam ut ipsarum præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppres-

sionis, extinctionis, erectionis, constitutionis, concessionis, impertitionis facultatum, subjectionis, commissionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis dominicæ millesimo octingentesimo primo, tertio kalendas decembris, pontificatus nostri anno secundo.

A. Card. Prod.

R. Card. Braschius de Honestis.

Visa de Curia, J. Manassei.

Locus † plumbi. F. Lavizzarus.

Hinc est quod Nos obtemperantes mandatis Sanctissimi Domini Nostri, ac utentes facultatibus a Sanctitate Sua Nobis specialiter delegatis, prævia suppressione, extinctione, et respective dismembratione a Sanctitate Sua, ut supra, factis, et salvis omnibus, et singulis dispositionibus, et ordinationibus in præfatis litteris Apostolicis contentis præsertim quod ad eas Metropolitanas, et Cathedrales Ecclesias, quarum Diœcesium partes extra fines actualis territorii Gallicanæ Reipublicæ existunt, necnon earum Ecclesiarum suorumque Capitulorum Jura, Privilegia, et Jurisdictionem, itemque quod ad Episcopos, qui extra ejusdem territorii limites reperiantur, quique antea veteribus Gallicanis Archiepiscopis tanquam eorum Suffraganei subdebantur, de quibus omnibus deinde Sanctitas Sua Apostolica Auctoritate statuet, atque decernet quidquid magis opportunum judicabit, præsentis Decreti Nostri tenore ad ea omnia procedimus, quæ a Sanctitate Sua in iisdem Apostolicis Litteris supplenda, perficiendaque Nobis committuntur, ut nova decem Archiepiscopalium, et quinquaginta Episcopalium Ecclesiarum in Regionibus, quæ nunc temporali Dominationi Reipublicæ Gallicanæ subjacent, erectio a Sanctitate Sua, ut supra facta numeris omnibus absolvatur, justis Gubernii votis, cum quo collatis consiliis omnia, quæ ad restituendam in Galliis Catholicam Religionem pertinent, acta sunt respondeatur, Conventio denique inter eamdem Sanctitatem Suam, Guberniumque ipsum inita suum sortiatur effectum.

Ac primum, quoniam a Sanctitate Sua omne onus in Nos transfusum est, circuitum novosque fines singularum Diœcesium decernendi et

clare atque distincte ea omnia quæ ad eosdem pertinent, explicandi, illud juxta receptam et constantissime servatam ab Apostolica Sede praxim et consuetudinem in hanc rem esset a Nobis præstandum, ut singulorum Locorum ac Parœciarum ex quibus unaquæque coalescere debet Diœcesis, diligens hoc loco enumeratio perficeretur, ne ullo unquam tempore de ipsis limitibus, et super exercitio spiritualis jurisdictionis a singulis Antistitibus exercendæ, exoriri dubium possit, utque propterea omnis inter conterminos Episcopos controversiæ præcidatur occasio; nunc tamen neque Parœciarum mentio fieri potest, cum nova earum erectio, et divisio peragi debeat ab Archiepiscopis, et Episcopis in sua respective Diœcesi, postquam canonice fuerint instituti, juxta facultatem a Sanctissimo Domino Nostro iisdem tributam in supradictis Apostolicis Litteris incipientibus : *Ecclesia Christi*, neque temporis angustiæ patiuntur ut loca singillatim enumeremus omnia, ex quibus singularum Diœcesium territorium constare debebit.

Ne igitur tantis Gallicanarum Ecclesiarum necessitatibus diutius opem et auxilium differamus, utque celerius et ejusdem Sanctitatis Suæ votis, et repetitis Gallicani Gubernii postulationibus, et Catholicorum omnium precibus, ac desideriis satisfaciamus, eam, tot utilitatibus propositis, inire cogimur rationem, qua rem omnem explicare, retentis aliquo pacto Sedis Apostolicæ Regulis, et Consuetudinibus, expeditissime possimus.

Ratio autem, quam in circuitu novisque Diœcesium finibus decernendis sequimur, hæc est : Quoniam scilicet singularum Diœcesium novæ circumscriptionis territorium complecti debebit unam aut plures ex Provinciis, sive Regionibus Gallicanis, idcirco earum Provinciarum seu Regionum appellationem interea sequemur in designandis Locorum spatiis intra quæ cujuslibet Metropolitanæ et Cathedralis Ecclesiæ, eorumque Antistitum Jurisdictio sese continere debebit. Hunc vero actum novorum Antistitum auxilio et adjuncta Parœciarum omnium et locorum in unaquaque Diœcesi contentorum descriptione tunc plenius exactiusque perficiemus, cum ii, secundum ea quæ ab iisdem diligenter postulabimus, quidquid ad idem opus numeris omnibus absolvendum necessarium erit, Nobis suppeditabunt.

Ut autem una et brevitati, et perspicuitati inserviamus, singulis Metropolitanis et Cathedralibus, ut supra, erectis, propriam Metropolitanam, et Cathedralem respective Ecclesiam, Titulosque Sanctorum Patronorum, sub quorum invocatione appellandæ erunt præfigemus, nominaque Provinciarum seu Regionum adjungemus, quarum inte-

gram extensionem, præter ipsam Civitatem, in qua Metropolitana vel Cathedralis erecta est, pro Diœcesi singulis supradictis Ecclesiis intendimus assignare.

Itaque ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, Beatissimæ Virginis Mariæ, quam inclyta Gallicana Natio ut Patronam præcipue veneratur, Sanctorumque, quos singulæ Diœceses in Patronos pariter habebunt, honorem, itemque ad Catholicæ Religionis conservationem et incrementum, utentes facultatibus Nobis, ut supra, tributis, Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum Titulos, novarumque Gallicanarum Diœcesium limites in subjecto Elencho describimus atque assignamus, eumdem tenentes ordinem, quem Sanctitas Sua in designandis novis Metropolitanis cum suis Suffraganeis Ecclesiis secuta est : . . . .

Optabat quidem Sanctitas Sua, ut archiepiscopalis, seu episcopalis Cathedræ honor conservaretur pluribus aliis Ecclesiis, quæ cum propter antiquitatem originis, quam a primis Christianæ Religionis exordiis repetunt, venerabiles, tum propter earum prærogativas, suorumque Antistitum gloriam celeberrimæ, optimeque de Catholica Religione sunt meritæ. Quoniam vero temporum difficultates et circumstantiæ locorum id minime passæ sunt, maxime expediens videtur, ut aliquarum saltem ex illustrioribus, quod Catholicorum desideriis respondet, memoria retineatur, quæ novis Antistitibus ipsa per se ad omnem virtutem præbeat incitamenta. Propterea nos de præfata Apostolica Auctoritate, tum generatim in præinsertis Apostolicis sub plumbo Litteris, tum in specialibus sub Annulo Piscatoris, die 29 novembris anni 1801 a S. S. datis, Nobis tributa, aliquibus Ecclesiis noviter erectis, intra quarum Diœcesium (si de Cathedralibus, si vero de Metropolitanis agitur intra quarum Metropoleon), fines antiquæ supradictarum insignium Ecclesiarum quæ, ut præfertur, suppressæ et extinctæ sunt, Diœceses, vel earum pars aliqua consistit, denominationem, et titulum earumdem antiquarum Ecclesiarum adjungimus, et applicamus, juxta hanc Nostram quam hic addimus enumerationem.

Archiepiscopis ergo et Episcopis canonice instituendis quorum Ecclesiarum nomina in superiori Elencho descripta sunt Apostolica Nobis delegata Auctoritate mandamus, et respective potestatem facimus, ut eorum quilibet titulo Ecclesiæ, ad quam promoti fuerint, alios quoque suppressarum Ecclesiarum titulos adjungant, quos Nos in supradicto Elencho adnotavimus; ita tamen ut ex hac titulorum unione et applicatione, propter Ecclesiarum quarumdam insignium memoriam et honorem unice facta, nullo unquam tempore deduci possit, aut

easdem Ecclesias adhuc superesse, nec realiter fuisse suppressas, aut Antistitibus, quibus suarum Ecclesiarum titulo eorumdem titulorum adjungendorum potestatem fecimus, ullam aliam, præter eam, quam singulis hujus Decreti Nostri tenore expresse tribuimus, jurisdictionem adscriptam fuisse.

Assignatis Sanctis Titularibus Patronis, sub quorum invocatione in unaquaque ex sexaginta erectis Metropolitanis et Cathedralibus respective Ecclesiis Templum majus erit appellandum, præfinitisque singularum Diœcesium limitibus, postulat rerum ordo ut ad reliqua procedentes, ab earumdem Ecclesiarum Capitulis ducamus exordium. Inter cætera enim quæ Nobis a Sanctissimo Domino Nostro, in sæpe laudatis Litteris Apostolicis mandata sunt, alterum illud est, ut suppressis jam a Sanctitate Sua antiquis omnibus Gallicani territorii Capitulis, nova in singulis Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis, qua ratione fieri poterit, constituantur. Quod cum ita Nobis commissum sit, ut facultas quoque has partes subdelegandi per memoratas Litteras Apostolicas Nobis ipsis tributa fuerit; ideo hujus facultatis vigore Archiepiscopis, et Episcopis Galliarum primofuturis concedimus, ut posteaquam canonice instituti Ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in Metropolitanis et Cathedralibus respective Ecclesiis suis erigere ipsi possint juxta formam a Sacris Canonibus Conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam, cum eo Dignitatum et Canonicorum numero, quem ad earumdem Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt.

Eosdem autem Archiepiscopos et Episcopos enixe adhortamur ut quanto citius fieri poterit, supradicta facultate, ad suarum Diœcesium utilitatem, Ecclesiarum tam Metropolitanarum quam Cathedralium honorem, Religionis decus, ac administrationis suæ levamen utantur, memores eorum quæ ab Ecclesia circa Capitulorum erectionem et utilitatem sancita sunt; quod quidem eo facilius ab ipsis peragi posse confidimus, quod in ipsamet supra memorata Conventione inter Sanctitatem Suam et Gallicanum Gubernium Parisiis feliciter inita statutum sit, singulos Archiepiscopos et Episcopos Gallicani territorii unum in Ecclesia Metropolitana et Cathedrali Capitulum habere posse.

Ut vero in iisdem Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis in iis, quæ ad Capitula, ut supra erigenda spectant, Ecclesiastica Disciplina servetur, iisdem Archiepiscopis et Episcopis primofuturis curæ erit,

ut quæ pertinent ad eorumdem Capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum Officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem Ecclesiis, earumque Choro servandos, ac alia quælibet per eorumdem Capitulorum Dignitates, et Canonicos obeunda munia, pro eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum arbitrio, et prudentia definiantur et constituantur, relicta tamen eorum successoribus statutorum illorum immutandorum facultate, requisito prius Capitulorum respectivorum consilio, si, attentis temporum circumstantiis, id utile et opportunum judicaverint : in ipsis autem statutis vel condendis, vel immutandis religiosa Sacrorum Canonum observantia retineatur, usuumque, ac consuetudinum laudabilium antea vigentium, præsentibusque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur. Quam quidem Capitulorum erectionem, cæteraque omnia ad ipsa Capitula pertinentia singuli Archiepiscopi et Episcopi cum primum perfecerint, erectionis hujusmodi, omniumque hanc in rem constitutorum acta authentica forma exarata Nobis reddenda curent, ut ad perfectam Apostolicarum Litterarum exsecutionem huic Nostro Decreto inserere possimus.

Porro Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis sic constitutis, illud superesset, ut juxta receptam Apostolicæ Sedis consuetudinem de earumdem dotatione et redditibus statueremus. Sed cum hanc ipsam dotationem Gallicanum Gubernium, memoratæ Conventionis vigore, in se susceperit, ut, quantum in Nobis est, præfatæ consuetudini satisfaciamus, declaramus, earumdem Ecclesiarum dotationem ex iis redditibus conflatam fore, qui ab ipso Gubernio juxta præfatæ Conventionis tenorem, singulis Archiepiscopis et Episcopis quamprimum assignandi erunt, quosque sufficientes fore juste confidimus, ut iidem Archiepiscopi et Episcopi dignitatis suæ decenter onera ferre, et munia digne valeant implere.

Et quoniam, ut in sæpe memorata Conventione Parisiis peracta, atque a Sanctitate Sua per Apostolicas supracitatas Litteras approbata constitutum est, nova a futuris Archiepiscopis et Episcopis Paræciarum circumscriptio in singulorum Diœcesibus facienda est, quam minime dubitamus talem futuram, quæ Fidelium in unaquaque Diœcesi existentium tum copiæ, tum necessitati respondeat, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, atque ad æternam salutem assequendam adjumenta possint deesse, ut impedimenta omnia quæ expeditam, ac plenam ipsius Conventionis, hac in parte, exsecutionem a singulis Antistitibus peragendam retardare possent, penitus removeantur, neces-

sarium propterea ducimus, ut eo modo, quo de Diœcesibus factum est, hujusmodi novæ Parœciarum circumscriptioni viam sternamus. Hinc ergo est, quod Nos de præfata Apostolica Auctoritate Nobiscum, ut supra, communicata, omnes et singulas Parochiales Ecclesias, quæ in territoriis Diœcesium novæ circumscriptionis continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque Presbyterum exercetur, qui Parochi, Rectoris, Vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum cura, et jurisdictione quacumque, *nunc pro tunc*, suppressas perpetuo fore declaramus; ita ut, cum singulis Ecclesiis in unaquaque Diœcesi in Parochiales erectis singuli Parochi, seu Rectores novorum Antistitum auctoritate præfecti fuerint, omnis antiquorum Parochorum jurisdictio in territorio novis Parœciis assignato cessare prorsus debeat, neque ullus, præter novos Parochos, seu Rectores a novis Antistitibus institutos, illarum Ecclesiarum, aut in eo territorio Parochus, Rector, aut alio quolibet titulo et appellatione gaudens, censeri et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere amplius possit.

Singulis vero Parochialibus Ecclesiis sic erigendis pro congrua Rectorum sustentatione eos redditus qui, ut in supradicta Conventione statutum est, assignandi erunt, iidem Archiepiscopi et Episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

Hæc omnia cum singuli Antistites perfecerint, quod, quam citissime ut præstetur ab ipsis vehementer cupimus, et hortamur, eorum quilibet Nobis reddendum curet exemplar Decreti authentica forma exaratum erectionis omnium Ecclesiarum Parochialium totius Diœcesis suæ, adjuncto singularum Titulo, Invocatione, extensione, terminatione, limitibus, Congrua, adnotatisque nominibus Civitatum, Pagorum et Locorum, in quibus singulas Parœcias erexerint, ut exemplar ipsum, Nostro pariter huic Decreto inserere possimus ad supplendam enumerationem Parœciarum et Locorum, ex quibus unaquæque Diœcesis extare debebit, quæ juxta receptam consuetudinem a Nobis peragi debuisset.

Seminarium quoque, ut in supra memorata Conventione similiter firmatum est, ad erudiendam pietate, litteris omnique Ecclesiastica Disciplina juventutem, quæ clericalis militiæ est viam ingressura, quibus poterunt modis ac temporalibus adjumentis ad SS. Canonum et Conciliorum Sanctiones Archiepiscopi et Episcopi omnes Ecclesiis novæ circumscriptionis præficiendi, quam citissime fieri poterit, curent instituendum; eique sic erecto et instituto eas leges præscribant, tum

quod ad scientiarum studia, tum quod ad omnem pietatis et disciplinæ rationem, quæ magis accommodatæ suarum Ecclesiarum utilitatibus, temporumque circumstantiis ipsis in Domino videbuntur.

In id præterea Archiepiscopi ipsi sedulo incumbant, ut Metropolitanæ et Cathedrales Ecclesiæ, si quæ vel reparatione aliqua indigeant, vel sacris suppellectibus, cæterisque, pro decenti Pontificalium usu, Divinique Cultus exercitio vel omnino carent, vel non satis instructæ sunt, ad utramque rem ipsis necessaria comparentur.

Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis, ut supra, erectis, finibus singularum Diœcesium novæ circumscriptionis designatis, cæterisque statutis, quæ Capitulorum, Paræciarum et Seminariorum erectiones, totamque Gallicanarum Ecclesiarum ordinationem respiciunt, Nos, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, Civitates in Archiepiscopales et Episcopales, ut præfertur, erectas, itemque memoratas, et singulis Ecclesiis pro Diœcesi adscriptas atque attributas Provincias seu Regiones, et iis contentos utriusque sexus habitatores et incolas, tam Laicos quam Clericos et Presbyteros, novis prædictis Ecclesiis, illarumque futuris Præsulibus, pro suis Civitate, Territorio, Diœcesi, Clero et Populo, perpetuo assignamus et respective in spiritualibus et in ordine ad Religionis officia supponimus atque subjicimus. Quocirca Personis, Archiepiscopalibus et Episcopalibus Ecclesiis sic erectis et institutis, in Archiepiscopos et Episcopos, tam pro hac prima vice, quam aliis futuris vacationibus, Apostolica Auctoritate præficiendis licebit (quemadmodum iisdem de simili Auctoritate præcipimus et mandamus) per se ipsos, vel per alios eorum nomine, veram, realem, actualem et corporalem possessionem, seu quasi, regiminis, administrationis, et omnimodi juris Diœcesani in respectivis prædictis Civitatibus, et earum Ecclesiis et Diœcesibus ac Mansis Archiepiscopalibus et Episcopalibus assignatis, vel assignandis, vigore Litterarum Apostolicarum provisionis de eorum personis libere apprehendere, apprehensamque perpetuo retinere.

Proptereaque statim ac novi Archiepiscopi et Episcopi canonice, ut supra, instituendi suarum Ecclesiarum regimen actu consecuti erunt, omnis antiquorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum, Administratorum, ac sub alio quocumque titulo Ordinariorum jurisdictio cessare prorsus debebit, facultatesque omnes ipsorum Ordinariorum nullius amplius erunt roboris vel momenti.

Demum, quoniam primi Galliarum Reipublicæ Consulis vota et postulata in id etiam intenderint, ut in magnis illis Insulis, amplisque

Indiarum Occidentalium Regionibus, quæ præsenti Gallicanæ Reipublicæ Dominationi subjacent, res Ecclesiasticæ componantur, et necessitati Fidelium, qui magno numero eas incolunt Regiones consulatur, cumque Sanctissimo Domino Nostro per suas Apostolicas sub plumbo Litteras sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Incarnationis Dominicæ 1801, 3° cal. Decembris, quarum initium, *Apostolicum universæ*, hujusmodi negotio provisum sit; huic propterea operi manum jam apposuimus ut ipsæ Apostolicæ Litteræ debitæ exsecutioni mandentur.

Putamus tandem per Apostolicas hic præinsertas Litteras, Nostrumque Decretum ita provisum cuicumque rei, quæ ad Gallicarum Ecclesiarum statum in omne reliquum tempus componendum conducat, ut omnibus dubiis, quæstionibus aditus sit occlusus. Quod si forte acciderit, ut aliquæ excitentur controversiæ, aut super intelligentia, sensu, exsecutione tum prædictarum Litterarum, tum Decreti Nostri dubium aliquod exoriatur, quoniam Sanctissimo Domino Nostro visum est in iisdem Litteris ad controversias hujusmodi dijudicandas, et ad ea generatim perficienda omnia quæ per se ipsam S. S. efficere posset, amplissimis Nos facultatibus instruere, declaramus ea dubia quæstionesque, nullis excitatis contentionibus, quæ Ecclesiæ non minus quam Reipublicæ tranquillitatem perturbare possent, confestim ad Nos deferri debere, ut eas explicare, dissolvere, componere et respective interpretari, de præfata Apostolica Auctoritate possimus.

Hæc autem omnia tam in præfatis Apostolicis Litteris quam in præsenti Decreto contenta, ab iis ad quos spectat inviolabiliter observari volumus : non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus etiam speciali et individua mentione dignis, cæterisque quæ Sanctitas Sua in dictis Litteris voluit non obstare.

In quorum fidem præsentes manu Nostra signatas, Secretarii Nostræ Legationis Apostolicæ subscriptione, Nostroque Sigillo muniri mandavimus.

Datum Parisiis, ex Ædibus Nostræ Residentiæ, die 9 Aprilis 1802.

J. B. Cardinalis Caprara, legatus.

Locus † Sigilli.

Josephus Antonius Sala, legationis Apostolicæ Secretarius.

Aliam conventionem iniit Pius VII, an. 1817, cum Ludovico XVIII, qua restituebatur concordatum initum inter Leonem X et Franciscum I;

articuli organici nuncupati, qui inscio S. Pontifice ac sine illius assensu una cum concordato 1801 promulgati fuerant abrogabantur in iis quæ adversantur doctrinæ et legibus Ecclesiæ; Ecclesiæ suppressæ per Litteras Apostolicas an. 1801 denuo erigebantur ad certum numerum qui mutuo consensu præfiniendus erat; promittebatur dos conveniens cunctis Ecclesiis, tam existentibus quam denuo erigendis, in bonis stabilitis, ac in redditibus super regni debito, vulgo *rentes sur l'État*, quamprimum fieri potuisset constituenda.... At quando ad exsecutionem ventum est, graves obvenerunt difficultates ex parte comitiorum regni; cuncta in suspenso manserunt, usquedum lege tandem 4 julii 1821, comitia assensum dederunt ut triginta novæ sedes erigerentur, præter priores quinquaginta quæ existebant vi concordati 1801. Non videtur conventionem an. 1817 alium effectum sortitam fuisse; in cæteris enim articulis non fuit exsecutioni mandata imo nec promulgata; quamobrem nec illam inserendam hic duximus. Inserta est ex integro in L. Ferraris *Bibliotheca*, v° *Concordatum Gallicum*. (Ed. Cassinensium.)

§ III.

ORDINATIONES EDICTÆ A POTESTATE CIVILI OCCASIONE CONCORDATI, QUÆ VULGO NUNCUPANTUR ARTICLES ORGANIQUES : RECLAMATIONES S. SEDIS CONTRA EOSDEM ARTICULOS.

ARTICLES ORGANIQUES DE LA CONVENTION PASSÉE A PARIS, LE 26 MESSIDOR AN IX, ENTRE LE GOUVERNEMENT FRANÇAIS ET LE PAPE PIE VII.

TITRE PREMIER.

Du régime de l'Église catholique dans ses rapports généraux avec les droits et la police de l'État.

Art. 1. Aucune bulle, bref, rescrit, décret, mandat, provision, signature servant de provision, ni autres expéditions de la cour de Rome, même ne concernant que les particuliers, ne pourront être reçus, publiés, imprimés, ni autrement mis à exécution, sans l'autorisation du gouvernement.

2. Aucun individu se disant nonce, légat, vicaire ou commissaire apostolique, ou se prévalant de toute autre dénomination, ne pourra,

sans la même autorisation, exercer sur le sol français ni ailleurs aucune fonction relative aux affaires de l'Église gallicane.

3. Les décrets des synodes étrangers, même ceux des conciles généraux, ne pourront être publiés en France, avant que le gouvernement en ait examiné la forme, leur conformité avec les lois, droits et franchises de la République française, et tout ce qui, dans leur publication, pourrait altérer ou intéresser la tranquillité publique.

4. Aucun concile national ou métropolitain, aucun synode diocésain, aucune assemblée délibérante n'aura lieu sans la permission expresse du gouvernement.

5. Toutes les fonctions ecclésiastiques seront gratuites, sauf les oblations qui seraient autorisées et fixées par les règlements.

6. Il y aura recours au conseil d'État, dans tous les cas d'abus de la part des supérieurs et autres personnes ecclésiastiques.

Les cas d'abus sont : l'usurpation ou l'excès du pouvoir, la contravention aux lois et règlements de la République, l'infraction des règles consacrées par les canons reçus en France, l'attentat aux libertés, franchises et coutumes de l'Église gallicane, et toute entreprise ou tout procédé qui, dans l'exercice du culte, peut compromettre l'honneur des citoyens, troubler arbitrairement leur conscience, dégénérer contre eux en oppression, ou en injure, ou en scandale public.

7. Il y aura pareillement recours au conseil d'État, s'il est porté atteinte à l'exercice public du culte, et à la liberté que les lois et les règlements garantissent à ses ministres.

8. Le recours compétera à toute personne intéressée. A défaut de plainte particulière, il sera exercé d'office par les préfets.

Le fonctionnaire public, l'ecclésiastique ou la personne qui voudra exercer recours, adressera un mémoire détaillé et signé au conseiller d'État chargé de toutes les affaires concernant les cultes, lequel sera tenu de prendre, dans le plus court délai, tous les renseignements convenables; et, sur son rapport, l'affaire sera suivie et définitivement terminée dans la forme administrative, ou renvoyée, selon l'exigence des cas, aux autorités compétentes.

TITRE II.

Des Ministres.

SECTION PREMIÈRE. — DISPOSITIONS GÉNÉRALES.

9. Le culte catholique sera exercé sous la direction des archevêques

et évêques dans leurs diocèses, et sous celle des curés dans leurs paroisses.

10. Tout privilége, portant exemption ou attribution de la juridiction épiscopale, est aboli.

11. Les archevêques et évêques pourront, avec l'autorisation du gouvernement, établir dans leurs diocèses des chapitres cathédraux et des séminaires. Tous autres établissements ecclésiastiques sont supprimés.

12. Il sera libre aux archevêques et évêques d'ajouter à leur nom le titre de *Citoyen* ou celui de *Monsieur*. Toutes autres qualifications sont interdites.

SECTION II. — DES ARCHEVÊQUES OU MÉTROPOLITAINS.

13. Les archevêques consacreront et installeront leurs suffragants. En cas d'empêchement ou de refus de leur part, ils seront suppléés par le plus ancien évêque de l'arrondissement métropolitain.

14. Ils veilleront au maintien de la foi et de la discipline dans les diocèses dépendant de leur métropole.

15. Ils connaîtront des réclamations et des plaintes portées contre la conduite et les décisions des évêques suffragants.

SECTION III. — DES ÉVÊQUES, DES VICAIRES GÉNÉRAUX ET DES SÉMINAIRES.

16. On ne pourra être nommé évêque avant l'âge de trente ans, et si on n'est originaire français.

17. Avant l'expédition de l'arrêté de nomination, celui ou ceux qui seront proposés seront tenus de rapporter une attestation de bonne vie et mœurs, expédiée par l'évêque dans le diocèse duquel ils auront exercé les fonctions du ministère ecclésiastique ; et ils seront examinés sur leur doctrine par un évêque et deux prêtres, qui seront commis par le premier consul, lesquels adresseront le résultat de leur examen au conseiller d'État chargé de toutes les affaires concernant les cultes.

18. Le prêtre nommé par le premier consul fera les diligences pour rapporter l'institution du pape.

Il ne pourra exercer aucune fonction avant que la bulle portant son institution ait reçu l'attache du gouvernement, et qu'il ait prêté en personne le serment prescrit par la convention passée entre le gouvernement français et le Saint-Siége.

Ce serment sera prêté au premier consul; il en sera dressé procès-verbal par le secrétaire d'État.

19. Les évêques nommeront et institueront les curés : néanmoins, ils ne manifesteront leur nomination, et ils ne donneront l'institution canonique, qu'après que cette nomination aura été agréée par le premier consul.

20. Ils seront tenus de résider dans leurs diocèses; ils ne pourront en sortir qu'avec la permission du premier consul.

21. Chaque évêque pourra nommer deux vicaires généraux, et chaque archevêque pourra en nommer trois : ils les choisiront parmi les prêtres ayant les qualités requises pour être évêques.

22. Ils visiteront annuellement et en personne une partie de leur diocèse, et dans l'espace de cinq ans, le diocèse entier. En cas d'empêchement légitime, la visite sera faite par un vicaire général.

23. Les évêques seront chargés de l'organisation de leurs séminaires, et les règlements de cette organisation seront soumis à l'approbation du premier consul.

24. Ceux qui seront choisis pour l'enseignement dans les séminaires souscriront la déclaration faite par le clergé de France en 1682, et publiée par l'édit de la même année : ils se soumettront à y enseigner la doctrine qui y est contenue, et les évêques adresseront une expédition en forme de cette soumission au conseiller d'État chargé de toutes les affaires concernant les cultes.

25. Les évêques enverront, toutes les années, à ce conseiller d'État le nom des personnes qui étudieront dans les séminaires, et qui se destineront à l'état ecclésiastique.

26. Ils ne pourront ordonner aucun ecclésiastique, s'il ne justifie d'une propriété produisant au moins un revenu annuel de trois cents francs, s'il n'a atteint l'âge de vingt-cinq ans, et s'il ne réunit les qualités requises par les canons reçus en France.

Les évêques ne feront aucune ordination avant que le nombre des personnes à ordonner ait été soumis au gouvernement, et par lui agréé.

SECTION IV. — DES CURÉS.

27. Les curés ne pourront entrer en fonctions qu'après avoir prêté, entre les mains du préfet, le serment prescrit par la convention passée entre le gouvernement et le Saint-Siége. Il sera dressé procès-verbal de cette prestation, par le secrétaire général de la préfecture, et copie collationnée leur en sera délivrée.

28. Ils seront mis en possession par le curé ou le prêtre que l'évêque désignera.

29. Ils seront tenus de résider dans leur paroisse.

30. Les curés seront immédiatement soumis aux évêques dans l'exercice de leurs fonctions.

31. Les vicaires et desservants exerceront leur ministère sous la surveillance et la direction des curés.

Ils seront approuvés par l'évêque, et révocables par lui.

32. Aucun étranger ne pourra être employé dans les fonctions du ministère ecclésiastique, sans la permission du gouvernement.

33. Toute fonction est interdite à tout ecclésiastique, même français, qui n'appartient à aucun diocèse.

34. Un prêtre ne pourra quitter son diocèse pour aller desservir dans un autre, sans la permission de son évêque.

SECTION V. — DES CHAPITRES CATHÉDRAUX, ET DU GOUVERNEMENT DES DIOCÈSES PENDANT LA VACANCE DU SIÉGE.

35. Les archevêques et évêques qui voudront user de la faculté qui leur est donnée d'établir des chapitres, ne pourront le faire sans avoir rapporté l'autorisation du gouvernement, tant pour l'établissement lui-même que pour le nombre et le choix des ecclésiastiques destinés à les former.

36. Pendant la vacance des siéges, il sera pourvu par le métropolitain, et, à son défaut, par le plus ancien des évêques suffragants, au gouvernement des diocèses. Les vicaires généraux de ces diocèses continueront leurs fonctions, même après la mort de l'évêque, jusqu'à son remplacement.

37. Les métropolitains, les chapitres cathédraux, seront tenus, sans délai, de donner avis au gouvernement de la vacance des siéges, et des mesures qui auront été prises pour le gouvernement des diocèses vacants.

38. Les vicaires généraux qui gouverneront pendant la vacance, ainsi que les métropolitains ou capitulaires, ne se permettront aucune innovation dans les usages et coutumes des diocèses.

TITRE III.

Du Culte.

39. Il n'y aura qu'une liturgie et un catéchisme pour toutes les églises de France.

40. Aucun curé ne pourra ordonner des prières publiques extraordinaires dans sa paroisse, sans la permission spéciale de l'évêque.

41. Aucune fête, à l'exception du dimanche, ne pourra être établie sans la permission du gouvernement.

42. Les ecclésiastiques useront, dans les cérémonies religieuses, des habits et ornements convenables à leur titre : ils ne pourront dans aucun cas, ni sous aucun prétexte, prendre la couleur et les marques distinctives réservées aux évêques.

43. Tous les ecclésiastiques seront habillés à la française et en noir. Les évêques pourront joindre à ce costume la croix pastorale et les bas violets.

44. Les chapelles domestiques, les oratoires particuliers, ne pourront être établis sans une permission expresse du gouvernement, accordée sur la demande de l'évêque.

45. Aucune cérémonie religieuse n'aura lieu hors des édifices consacrés au culte catholique, dans les villes où il y a des temples destinés à différents cultes.

46. Le même temple ne pourra être consacré qu'à un même culte.

47. Il y aura dans les cathédrales et paroisses une place distinguée pour les individus catholiques qui remplissent les autorités civiles et militaires.

48. L'évêque se concertera avec le préfet pour régler la manière d'appeler les fidèles au service divin par le son des cloches. On ne pourra les sonner pour toute autre cause, sans la permission de la police locale.

49. Lorsque le gouvernement ordonnera des prières publiques, les évêques se concerteront avec le préfet et le commandement militaire du lieu, pour le jour, l'heure et le mode d'exécution de ces ordonnances.

50. Les prédications solennelles, appelées *sermons*, et celles connues sous le nom de *stations* de l'avent et du carême, ne seront faites que par des prêtres qui en auront obtenu une autorisation spéciale de l'évêque.

51. Les curés, aux prônes des messes paroissiales, prieront et feront prier pour la prospérité de la République française et pour les consuls.

52. Ils ne se permettront, dans leurs instructions, aucune inculpation directe ou indirecte, soit contre les personnes, soit contre les autres cultes autorisés dans l'État.

53. Ils ne feront au prône aucune publication étrangère à l'exercice du culte, si ce n'est celles qui seront ordonnées par le gouvernement.

54. Ils ne donneront la bénédiction nuptiale qu'à ceux qui justifieront, en bonne et due forme, avoir contracté mariage devant l'officier civil.

55. Les registres tenus par les ministres du culte, n'étant et ne pouvant être relatifs qu'à l'administration des sacrements, ne pourront, dans aucun cas, suppléer les registres ordonnés par la loi pour constater l'état civil des Français.

56. Dans tous les actes ecclésiastiques et religieux, on sera obligé de se servir du calendrier d'équinoxe établi par les lois de la république; on désignera les jours par les noms qu'ils avaient dans le calendrier des solstices.

57. Le repos des fonctionnaires publics sera fixé au dimanche.

TITRE IV.

De la circonscription des Archevêchés, des Évêchés et des Paroisses; des Édifices destinés au Culte, et du traitement des Ministres.

SECTION PREMIÈRE. — DE LA CIRCONSCRIPTION DES ARCHEVÊCHÉS ET DES ÉVÊCHÉS.

58. Il y aura en France dix archevêchés ou métropoles, et cinquante évêchés.

59. La circonscription des métropoles et des diocèses sera faite conformément au tableau ci-joint.

SECTION II. — DE LA CIRCONSCRIPTION DES PAROISSES.

60. Il y aura au moins une paroisse par justice de paix.

Il sera en outre établi autant de succursales que le besoin pourra l'exiger.

61. Chaque évêque, de concert avec le préfet, réglera le nombre et l'étendue de ses succursales. Les plans arrêtés seront soumis au gouvernement, et ne pourront être mis à exécution sans son autorisation.

62. Aucune partie du territoire français ne pourra être érigée en cures, ou en succursales, sans l'autorisation expresse du gouvernement.

63. Les prêtres desservant les succursales sont nommés par les évêques.

SECTION III. — DU TRAITEMENT DES MINISTRES.

64. Le traitement des archevêques sera de 15,000 fr.

65. Le traitement des évêques sera de 10,000 fr.

66. Les curés seront distribués en deux classes.

Le traitement des curés de la première classe sera porté à 1,500 fr.; celui des curés de seconde classe à 1,000 fr.

67. Les pensions dont ils jouissent en exécution des lois de l'Assemblée constituante seront précomptées sur leur traitement.

Les conseils généraux des grandes communes pourront, sur leurs biens ruraux ou sur leurs octrois, leur accorder une augmentation de traitement, si les circonstances l'exigent.

68. Les vicaires et desservants seront choisis parmi les ecclésiastiques pensionnés en exécution des lois de l'Assemblée constituante. Le montant de ces pensions et le produit des oblations formeront leur traitement.

69. Les évêques rédigeront les projets de règlements relatifs aux oblations que les ministres du culte sont autorisés à recevoir pour l'administration des sacrements. Les projets des règlements, rédigés par les évêques, ne pourront être publiés, ni autrement mis à exécution, qu'après avoir été approuvés par le gouvernement.

70. Tout ecclésiastique, pensionnaire de l'État, sera privé de sa pension, s'il refuse, sans cause légitime, les fonctions qui pourront lui être confiées.

71. Les conseils généraux de département sont autorisés à procurer aux archevêques et aux évêques un logement convenable.

72. Les presbytères et les jardins attenants, non aliénés, seront rendus aux curés et aux desservants des succursales. A défaut de ces presbytères, les conseils généraux des communes sont autorisés à leur procurer un logement et un jardin.

73. Les fondations, qui ont pour objet l'entretien des ministres et l'exercice du culte, ne pourront consister qu'en rentes constituées sur l'État : elles seront acceptées par l'évêque diocésain, et ne pourront être executées qu'avec l'autorisation du gouvernement.

74. Les immeubles, autres que les édifices destinés au logement et

jardins attenants, ne pourront être affectés à des titres ecclésiastiques, ni possédés par les ministres du culte à raison de leurs fonctions.

SECTION IV. — DES ÉDIFICES DESTINÉS AU CULTE.

75. Les édifices, anciennement destinés au culte catholique, actuellement dans les mains de la nation, à raison d'un édifice par cure et par succursale, seront mis à la disposition des évêques par arrêté du préfet du département. Une expédition de ces arrêtés sera adressée au conseiller d'État chargé de toutes les affaires concernant les cultes.

76. Il sera établi des fabriques pour veiller à l'entretien et à la conservation des temples, à l'administration des aumônes.

77. Dans les paroisses où il n'y aura point d'édifice disponible pour le culte, l'évêque se concertera avec le préfet pour la désignation d'un édifice convenable.

RÉCLAMATION DU SAINT-SIÉGE CONTRE LES ARTICLES ORGANIQUES DU CONCORDAT DE 1802. (LETTRE DU CARDINAL CAPRARA A M. DE TALLEYRAND.)

« Monseigneur, je suis chargé de réclamer contre cette partie de la loi du 18 germinal, que l'on a désignée sous le nom d'*Articles organiques*. Je remplis ce devoir avec d'autant plus de confiance, que je compte davantage sur la bienveillance du gouvernement, et sur son attachement sincère aux vrais principes de la religion.

« La qualification qu'on donne à ces articles paraîtrait d'abord supposer qu'ils ne sont que la suite naturelle et l'explication du Concordat religieux. Cependant, il est de fait qu'ils n'ont point été concertés avec le Saint-Siége, qu'ils ont une extension plus grande que le Concordat, et qu'ils établissent en France un code ecclésiastique sans le concours du Saint-Siége. Comment Sa Sainteté pourrait-elle l'admettre, n'ayant pas même été invitée à l'examiner? Ce code a pour objet la doctrine, les mœurs, la discipline du clergé, les droits et les devoirs des évêques, ceux des ministres inférieurs, leurs relations avec le Saint-Siége et le mode d'exercice de leur juridiction. Or tout cela tient aux droits imprescriptibles de l'Église : « Elle a reçu de Dieu seul « l'autorisation de décider les questions de la doctrine sur la foi ou « sur la règle des mœurs, et de faire des canons ou des règles de dis- « cipline. » (Arrêté du Conseil du 16 mars et du 31 juillet 1751.)

« M. d'Héricourt, l'historien Fleury, les plus célèbres avocats géné-

raux, et M. de Castillon lui-même, avouaient ces vérités. Ce dernier reconnaît dans l'Église « le pouvoir qu'elle a reçu de Dieu pour con-« server par l'autorité de la prédication, des lois et des jugements, la « règle de la foi et des mœurs, la discipline nécessaire à l'économie de « son gouvernement, la succession et la perpétuité de son ministère. » (*Réquisitoire contre les actes de l'assemblée du clergé* en 1765.)

« Sa Sainteté n'a donc pu voir qu'avec une extrême douleur, qu'en négligeant de suivre ces principes, la puissance civile ait voulu régler, décider, transformer en loi des articles qui intéressent essentiellement les mœurs, la discipline, les droits, l'instruction et la juridiction ecclésiastique. N'est-il pas à craindre que cette innovation n'engendre des défiances, qu'elle ne fasse croire que l'Église de France est asservie, même dans les objets purement spirituels, au pouvoir temporel, et qu'elle ne détourne de l'acceptation des places beaucoup d'ecclésiastiques méritants? Que sera-ce si nous envisageons chacun de ces articles en particulier? Le premier veut « qu'aucune bulle, bref, res-« crit, etc., émanés du Saint-Siége, ne puissent être mis à exécution, « ni même publiés sans l'autorisation du gouvernement. »

« Cette disposition, prise dans son ensemble, ne blesse-t-elle pas évidemment la liberté de l'enseignement ecclésiastique? Ne soumet-elle pas la publication des vérités chrétiennes à des formalités gênantes? Ne met-elle pas les décisions concernant la foi et la discipline sous la dépendance absolue du pouvoir temporel? Ne donne-t-elle pas à la puissance qui serait tentée d'en abuser, les droits et les facilités d'arrêter, de suspendre, d'étouffer même le langage de la vérité, qu'un Pontife fidèle à ses devoirs voudrait adresser aux peuples confiés à sa sollicitude?

« Telle ne fut jamais la dépendance de l'Église, même dans les premiers siècles du christianisme. Nulle puissance n'exigeait alors la vérification de ses décrets. Cependant elle n'a pas perdu de ses prérogatives en recevant les empereurs dans son sein : « Elle doit jouir « de la même juridiction dont elle jouissait sous les empereurs païens. « Il n'est jamais permis d'y donner atteinte, parce qu'elle la tient de « Jésus-Christ. » (*Lois ecclésiastiques.*) Avec quelle peine le Saint-Siége ne doit-il donc pas voir les entraves qu'on veut mettre à ses droits?

« Le clergé de France reconnaît lui-même que les jugements émanés du Saint-Siége, et *auxquels adhère le corps épiscopal*, sont irréfragables. Pourquoi auraient-ils donc besoin de l'autorisation du gouvernement, puisque, suivant les principes gallicans, ils tirent toute

leur force de l'autorité qui les prononce et de celle qui les admet? *Le successeur de Pierre doit confirmer ses frères dans la foi*, suivant les expressions de l'Écriture; or comment pourra-t-il le faire si, sur chaque article qu'il enseignera, il peut être à chaque instant arrêté par le refus ou le défaut de vérification de la part du gouvernement temporel! Ne suit-il pas évidemment de ces dispositions que l'Église ne pourra plus savoir et croire que ce qu'il plaira au gouvernement de laisser publier?

« Cet article blesse la délicatesse et le secret constamment observés à Rome dans les affaires de la Pénitencerie. Tout particulier peut s'y adresser avec confiance, et sans crainte de voir ses faiblesses dévoilées. Cependant cet article, qui n'excepte rien, veut que les brefs, même personnels, émanés de la Pénitencerie, soient vérifiés. Il faudra donc que les secrets des familles et la suite malheureuse des faiblesses humaines soient mis au grand jour pour obtenir la permission d'user de ces brefs. Quelle gêne! quelles entraves! Le parlement lui-même ne les admettait pas, car il exceptait de la vérification les *provisions*, les *brefs de la Pénitencerie*, et *autres* expéditions concernant les affaires des particuliers.

« Le second article déclare : « Qu'aucun légat, nonce ou délégué « du Saint-Siége, ne pourra exercer ses pouvoirs en France sans la « même autorisation. » Je ne puis que répéter ici les justes observations que je viens de faire sur le premier article. L'un frappe la liberté de l'enseignement dans sa source, l'autre l'atteint dans ses agents. Le premier met des entraves à la publication de la vérité; le second à l'apostolat de ceux qui sont chargés de l'annoncer. Cependant Jésus-Christ a voulu que sa divine parole fût constamment libre, qu'on pût la prêcher sur les toits, dans toutes les nations, et auprès de tous les gouvernements. Comment allier ce dogme catholique avec l'indispensable formalité d'une vérification de pouvoirs et d'une permission civile de les exercer? Les apôtres et les premiers pasteurs de l'Église naissante eussent-ils pu prêcher l'Évangile, si les gouvernements eussent exercé sur eux un pareil droit?

« Le troisième article étend cette mesure aux canons des conciles, même généraux. Ces assemblées si célèbres n'ont eu nulle part, plus qu'en France, de respect et de vénération. Comment se fait-il donc que chez cette même nation elles éprouvent tant d'obstacles, et qu'une formalité civile donne le droit d'en éluder, d'en rejeter même les décisions?

« On veut, dit-on, les examiner ; mais *la voie d'examen en matière religieuse est proscrite dans le sein de l'Église catholique :* il n'y a que les communions protestantes qui l'admettent, et de là est venue cette étonnante variété qui règne dans leurs croyances.

« Quel serait d'ailleurs le but de ces examens? celui de reconnaître si les canons des conciles sont conformes aux lois françaises? Mais si plusieurs de ces lois, telles que celle sur le divorce, sont en opposition avec le dogme catholique, il faudra donc rejeter les canons, et préférer les lois, quelque injuste ou erroné qu'en soit l'objet. Qui pourra adopter une pareille conclusion? Ne serait-ce pas sacrifier la religion, ouvrage de Dieu même, aux ouvrages toujours imparfaits et souvent injustes des hommes?

« Je sais que notre obéissance doit être raisonnable; mais n'obéir qu'avec des motifs suffisants n'est pas avoir le droit non-seulement d'examiner, mais de rejeter arbitrairement tout ce qui nous déplait.

